SANCTI THOMÆ AQVINATIS DOCTORIS ANGELICI, ORDINIS PRÆDICATORVM

BIBLIA

SIVE COLLECTIO ET EXPLICATIO

omnium locorum Sacræ ſcripturæ, quæ ſparſim reperiuntur in omnibus S. Thomæ Scholaſticis operibus, Ordine Biblico.

TOMVS TERTIVS COMPLECTENS LIBROS Salomonis, &c. vſque ad finem Veteris Teſtamenti.

Labore F. DAVIDIS L'ENFANT, Pariſini, Doctoris Theologi, Ordinis FF. Prædicatorum.



PARISIIS,

Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Angeli Cuſtodis, & S. Raphaëlis.

M. DC. LIX.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

Bibliotheque S. M. [illegible]

SANCTI THOMÆ AQVINATIS DOCTORIS ANGELICI, ORDINIS PRÆDICATORVM. BIBLIA.

SIVE COLLECTIO ET EXPLICATIO omnium locorum Sacræ Scripturæ, quæ ſparſim reperiuntur in omnibus S. Thomæ Scholaſticis operibus.

ORDINE BIBLICO.

LIBER PROVERBIORVM

CAPVT. I. *Verſ.* 4.

Vt detur paruulis aſtutia.

Videtur quòd aſtutia non ſit ſpeciale peccatum; verba enim ſacræ ſcripturæ non inducunt aliquemad peccandum: inducunt autem ad aſtutiam, vt patet *in textu*: ergoaſtutia non eſt peccatum.

2. Dicitur, *aſtutus omnia agit cum conſilio*; aut ergo ad finem bonum, aut ad finem malum. Si ad finem bonum, non videtur eſſe peccatum: ſi autem ad finem malum, videtur pertinere ad prudentiam carnis, vel ſæculi; ergo aſtutia non *Prou.* 13. *v.* 16.

Digitized by Google

iuſtificatio, ſed diſponit ad eam. Quædam verò interior: & hæc quandoque quidem non pertingit ad finem ſuum ex vocati defectu: & hæc vocatio nihil aliud eſt quàm aliquis inſtinctus, vel motus ad bonum à Deo immiſſus. Et hæc etiam vocatio non eſt idem quòd iuſtificatio, ſed via ad illam.

Quandoque autem pertingit ad finem, quando ſcilicet aliquis audit vocantem, & venit ad Chriſtum, vt dicitur, *Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* (*Ioan. 6. v. 45.*) Et hæc vocatio idem eſt quòd iuſtificatio ſecundùm ſubſtantiam, ſed differt ratione; quia vocatio dicitur ſecundùm quod per infuſionem gratiæ, & auxilium, homo à peccato retrahitur.

Sed iuſtificatio reſpicit terminum ad quem, ſcilicet prædictæ rectitudinis ſtatum. Et ſic vocatio ſumitur; auxilium enim quod fidei, nos vocando, Deus præſtat, eſt gratia, quæ facit fidem per dilectionem operari. Vnde illorum quatuor quæ ibi ponuntur, prædeſtinatio eſt cauſa iuſtificationis in iuſtificante: vocatio autem eſt idem iuſtificationi, ratione differens, vt dictum eſt: ſed magnificatio eſt iuſtificationis complementum; ſiue referatur ad perfectionem gloriæ, ſiue ad perfectionem gratiæ.

Ad 1. R. quòd vocatio ibi præponitur iuſtificationi; quia priùs eſt receſſus à termino, quàm acceſſus ad terminum.

Ad 2. R. quòd obiectio procedit de primis duabus iuſtificationibus, non de tertia.

Ad 3. R. quòd ille non iuſtificat quantùm ad terminum à quo erat diſtans; ſed quantùm ad terminum ad quem eſt propriè. *Lib. 4. ſent. Diſt. 17. q. 1. art. 1. q. 2.*

PROVERB. *Cap. 1. v. 32.*

Proſperitas ſtultorum perdet eos.

VIdetur quòd ſtultitia non ſit peccatum; nullum enim peccatum prouenit in nobis à natura: ſed quidam ſunt ſtulti naturaliter; ergo ſtultitia non eſt peccatum.

2. Omne peccatum eſt voluntarium: ſed ſtultitia non eſt voluntaria; ergo non eſt peccatum.

3. Omne peccatum opponitur alicui præcepto diuino: ſed ſtultitia nulli præcepto opponitur; ergo non eſt peccatum.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*, nullus enim perditur niſi pro peccato, ergo ſtultitia eſt peccatum.

Dicendum quòd ſtultitia importat quendam ſtuporem ſenſus in iudicando, & præcipuè circa altiſſimam cauſam, quæ eſt finis vltimus & ſummum bonum. (Stultitiæ deſcriptio.)

Circa quod aliquis poteſt pati ſtuporem in iudicando dupliciter: vno modo ex indiſpoſitione naturali ſicut patet in amentibus: & talis ſtultitia non eſt peccatum.

Alio modo inquantum immergit homo ſenſum ſuum rebus terrenis, ex quo redditur eius ſenſus ineptus ad percipienda diuina; ſecundùm illud *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* (*1. Cor. 2. v. 14.*) Sicut etiam homini habenti guſtum infectum malo humore, non ſapiunt dulcia: & talis ſtultitia eſt peccatum. Et per hoc patet R. ad primum.

Digitized by Google

Ad 2. R. quòd quamuis ſtultitiam nullus velit, vult tamen ea ad quæ conſequitur eſſe ſtultum, ſcilicet abſtrahere ſenſum ſuum à ſpiritualibus, & immergere terrenis. Et idem etiam contingit in alijs peccatis: nam luxurioſus vult delectationem, ſine qua non eſt peccatum; quamuis non ſimpliciter velit peccatum: vellet enim frui delectatione ſine peccato.

Ad 3. R. quòd ſtultitia opponitur præceptis quæ dantur de contemplatione veritatis. 2. 2. *q.* 46. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 1. *v.* 33.

Abundantiâ perfruetur malorum timore ſublato.

ARguitur, Spei opponitur timor: ſed timor manet poſt hanc vitam; & in beatis quidem timor filialis, qui manet in ſæculum; & in damnatis timor pœnarum; ergo ſpes pari ratione poteſt manere.

Ad argum. R. quòd timor eſt duplex: ſeruilis & filialis. Seruilis quidem eſt timor pœnæ, qui non poterit eſſe in gloria nullâ poſſibilitate ad pœnam remanente. Timor verò filialis habet duos actus, ſcilicet reuereri Deum; & quantùm ad hunc actum manet: & timere ſeparationem ab ipſo; & quantùm ad hunc actum non manet: ſeparari enim à Deo habet rationem mali; nullum autem malum ibi timetur, vt patet *in textu*

Timor. duplex.

Timor autem opponitur ſpei per oppoſitionem boni & mali: & ideo timor qui remanet in gloria, non opponitur ſpei. In damnatis autem magis poteſt eſſe timor pœnæ quàm in beatis ſpes gloriæ; quia in damnatis erit ſucceſſio pœnarum; & ſic remanet ibi ratio futuri, quod eſt obiectum timoris: ſed gloria ſanctorum eſt abſque ſucceſſione ſecundùm quandam æternitatis participationem, in qua non eſt præteritum & futurum, ſed ſolùm præſens.

Et tamen nec etiam in damnatis eſt propriè timor; nam timor nunquam eſt ſine aliqua ſpe euaſionis, quæ omnino in damnatis non erit. Vnde nec timor niſi communiter loquendo, ſecundùm quod quælibet expectatio mali futuri dicitur timor 1. 2. *q* 67. *art.* 4. *ad ſecundũ.*

Abundantiâ perfruetur malorum timore ſublato. Videtur quòd timor non remanet in patria; hoc patet *in textu*, quod intelligitur de homine iam ſapientiâ perfruente in beatitudine æterna. Sed omnis timor eſt alicuius mali; quia malum eſt obiectum timoris; ergo nullus timor erit in patria.

2. Spes eſt perfectior quàm timor; quia ſpes eſt reſpectu boni, timor autem reſpectu mali: ſed ſpes non erit in patria, ergo nec timor erit in patria. Sed contra eſt quod dicitur, *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum.* *Pſal.* 18. *v.* 10.

Dicendum quòd timor ſeruilis, ſiue timor pœnæ nullo modo erit in patria. Excluditur enim talis timor per ſecuritatem æternæ beatitudinis, quæ eſt de ipſius beatitudinis ratione. Timor autem filialis ſicut augetur augmentatâ charitate; ita charitate perfectâ perficietur. Vnde non habebit in patria eundem actum omnino quem habet modò.

Ad cuius euidentiam ſciendum

eſt quòd proprium obiectum timoris eſt malum poſſibile; ſicut proprium obiectum ſpei eſt bonum poſſibile. Et cùm motus timoris ſit quaſi fugæ, importat timor fugam mali ardui poſſibilis: parua enim mala timorem non inducunt.

Sicut autem bonum vniuſcuiuſque eſt, vt in ſuo ordine conſiſtat: ita malum vniuſcuiuſque eſt, vt ſuum ordinem deſerat. Ordo autem creaturæ rationalis eſt, vt ſit ſub Deo, & ſupra cæteras creaturas. Vnde ſicut malum creaturæ rationalis eſt; vt ſubdat ſe creaturæ inferiori per amorem; ita etiam malum eius eſt, ſi non Deo ſe ſubijciat, ſed in ipſum præſumptuosè inſiliat, vel contemnat.

Hoc autem malum creaturæ rationali ſecundùm ſuam naturam conſideratæ poſſibile eſt, propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem. Sed in beatis fit non poſſibile per gloriæ perfectionem. Fuga ergo huius mali, quod eſt Deo non ſubijci, vt poſſibilis naturæ; impoſſibilis autem beatitudini, erit in patria. In via autem eſt fuga huius mali vt omnino poſſibilis.

Ad 1. R. quòd in auctoritate prædicta excluditur à beatis timor ſolicitudinem habens, de malo præcauens; non autem timor ſecurus.

Ad 2. R. quòd ſpes importat quendam defectum, ſcilicet fruitionem beatitudinis, quæ tollitur per eius præſentiam. Sed timor importat defectum naturalem creaturæ, ſecundùm quod in infinitum diſtat à Deo. Quod etiam in patria remanebit: & ideo timor non euacuabitur totaliter. 2. 2. *q.* 19. *art.* 11.

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm.* 18. *v.* 10.

PROVERB. *Cap.* 1. *v.* 14.

Lætantur cùm malè fecerint &c.

Videtur quòd omnis delectatio ſit bona, nam bonum in tria diuiditur, ſcilicet honeſtum vtile & delectabile: ſed honeſtū omne eſt bonum; & ſimiliter omne vtile; ergo & omnis delectatio eſt bona.

2. Id quod ab omnibus deſideratur, videtur eſſe per ſe bonum: nam bonum eſt quod omnia appetunt: ſed omnes appetunt aliquam delectationem, etiam pueri & beſtiæ; igitur delectatio eſt ſecundùm ſe bonum; omnis ergo delectatio eſt bona.

Dicendum quòd diſtinguendum eſt inter id quod eſt bonum ſimpliciter, & inter id quod eſt bonum quo ad hunc. Simpliciter quidem bonum eſt quod ſecundùm ſe bonum eſt. Contingit autem quod non eſt ſecundùm ſe bonum, eſſe huic bonum dupliciter: *vno modo*, quia eſt ei conueniens ſecundùm diſpoſitionem in qua nunc eſt, quæ tamen non eſt naturalis: ſicut leproſo bonum eſt quandoque comedere aliqua venenoſa, quæ non ſunt ſimpliciter conuenientia complexioni humanæ. *Alio modo*, quia idquod non eſt conueniens æſtimatur vt cōueniens. Bonum duplex.

Et quia delectatio eſt quies appetitus in bono, ſi ſit bonum ſimpliciter; illud in quo quieſcit appetitus, erit ſimpliciter delectatio, & ſimpliciter bona. Si autem non Delectatio duplex.

Digitized by Google

ſit bonum ſimpliciter, ſed quo ad hunc; tunc nec delectatio eſt ſimpliciter, ſed huic; nec ſimpliciter eſt bona, ſed bona ſecundùm quid, vel apparens bona.

Ad 1. R. quòd honeſtum & vtile dicuntur ſecundùm rationem: & ideo nihil eſt honeſtum vel vtile quod non ſit bonum. Delectabile autem dicitur ſecundùm appetitum, qui quandoque in illud tendit quod non eſt conueniens rationi. Et ideo non omne delectabile eſt bonum bonitate morali, quæ attenditur ſecundùm rationem.

Ad 2. R. quòd hoc modo omnia appetunt delectationem ſicut & bonum; cùm delectatio ſit quies appetitus in bono. Sed ſicut contingit non omne bonum quod appetitur, eſſe per ſe & verè bonum; ita non omnis delectatio eſt per ſe & verè bona. 1, 2. *q.* 34. *art.* 2.

Lætantur cùm malè fecerint. Videtur quòd omnis triſtitia ſit mala; nam illud quod omnes fugiunt, etiam virtuoſi, eſt malum: ſed triſtitiam omnes fugiunt; ergo.

Sed contra, triſtitia de malo contrariatur delectationi de malo: ſed delectatio de malo eſt mala; vnde in deteſtationem quorundam dicitur in textu quod *Lætantur cùm malè fecerint*; ergo triſtitia de malo eſt bona.

Bonum & malũ duplex. Dicendum quòd aliquid eſſe bonum vel malum poteſt dici dupliciter. *Vno modo* ſimpliciter & ſecundùm ſe: & ſic omnis triſtitia eſt quoddam malum; hoc enim ipſum quod eſt appetit um hominis anxiari de malo præſenti, rationem mali habet; impeditur enim per hoc quies appetitus in bono.

Alio modo dicitur aliquid bonum vel malum ex ſuppoſitione alterius: ſicut verecundia dicitur eſſe bonum ex ſuppoſitione alicuius turpis commiſſi.

Sic igitur ſuppoſito aliquo contriſtabili vel doloroſo, ad bonitatem pertinet quòd aliquis de malo præſenti triſtetur, vel doleat: quòd enim non triſtaretur, vel non doleret, non poſſet eſſe, niſi quia vel non ſentiret, vel quia non reputaret ſibi repugnans: & vtrumque iſtorum eſt malum manifeſtè. Et ideo ad bonitatem pertinet, vt ſuppoſitâ præſentiâ mali, ſequatur triſtitia vel dolor. Et per hoc patet reſponſio ad argumentum. 1. 2 *q.* 39. *art.* 1.

Lætantur cùm malè fecerint. Arguitur, Inepta lætitia conſequitur omne peccatum, vt patet *in textu.* Similiter etiam hebetudo mentis inuenitur in omni peccato, ſecundùm illud *Errant qui operantur malum*; ergo inconuenienter ponuntur filiæ gulæ. Prou. 14 v. 22.

2. Immunditia quæ maximè conſequitur gulam, videtur ad vomitum pertinere ſecundùm illud, *Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiùmque*: Sed hoc non videtur eſſe peccatum, ſed pœna peccati: vel etiam aliquid vtile ſub conſilio cadens, ſecundùm illud *Si coactus fueris in edendo multùm, ſurge è medio & vome, & refrigerabit te*; ergo non debet poni inter filias gulæ. Eſa. 28. v. 8. Eccl 31 v. 25.

Dicendum quòd gula propriè conſiſtit circa immoderatam delectationem quæ eſt in cibis & potibus. Et ideo illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi & potus

conſequuntur.

Quæ quidem poſſunt accipi vel ex parte animæ vel ex parte corporis Ex parte autem animæ quadrupliciter. *Primò* quidem quantùm ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi & potus Et quantùm ad hoc ponitur filia gulæ hebetudo ſenſus circa intelligentiam propter fumoſitates ciborum perturbantes caput: ſicut è contrario abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem,

Eccle. 2. *v.* 3. ſecundùm illud *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam.*

Gula. filia. *Secundò* quantùm ad appetitum qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi & potus, quaſi ſopito gubernaculo rationis. Et quantùm ad hoc ponitur inepta lætitia; quia omnes aliæ inordinatæ paſſiones ad lætitiam & triſtitiam ordinantur. Et hoc eſt

3. *Eſd.* 3. *v.* 20 quod dicitur quod *Vinum omnem mentem conuertit in ſecuritatem & iucunditatem.*

Tertiò quantùm ad inordinatum verbum. Et ſic ponitur multiloquium.

Quartò quantùm ad inordinatum actum. Et ſic ponitur ſcurrilitas, id eſt, iocularitas quædam proueniens ex defectu rationis: quæ ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores geſtus.

Ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ poteſt attendi ſiue ſecundùm inordinatam emiſſionem quarumcumque ſuperfluitatum; vel ſpecialiter quantùm ad emiſſionem ſeminis.

Ad 1. R. quòd lætitia quæ eſt de actu peccati, vel fine, conſequitur omne peccatum, maximè quod procedit ex habitu. Sed lætitia vaga, incompoſita, quæ hîc dicitur inepta, præcipuè oritur ex immoderata ſumptione cibi vel potus.

Similiter etiam dicendum quòd hebetudo ſenſus quantùm ad eligibilia communiter inuenitur in omni peccato. Sed hebetudo ſenſus circa ſpeculabilia, maximè procedit ex gula.

Ad 2. R. quòd licet vtilis ſit vomitus poſt ſuperfluam comeſſationem; tamen vitioſum eſt quòd aliquis huic neceſſitati ſe ſubdat per immoderantiam cibi vel potus. Poteſt tamen abſque culpa vomitus procurari ex conſilio medicinæ, in remedium alicuius languoris. 2. 2. *q.* 148 *art.* 6.

Lætantur cùm malè fecerint. Videtur quòd incontinens plus peccet quàm intemperatus; tantò enim aliquis videtur grauius peccare, quantò magis contra conſcientiam agit ſecundùm illud *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis &c.* *Luca.* 12. 47. Sed incontinens magis videtur agere contra conſcientiam quàm intemperatus; quia incontinens ſciens quàm praua ſunt quæ concupiſcit nihilominus agit propter paſſionem: intemperatus autem iudicat ea quæ concupiſcit eſſe bona: ergo incontinens grauius peccat, quàm intemperatus.

Dicendum quòd peccatum præcipuè in voluntate conſiſtit; voluntas enim eſt qua peccatur, & rectè viuitur. Et ideo vbi eſt maior inclinatio voluntatis ad pec-

Digitized by Google

candum, ibi eſt grauius peccatum. In eo autem qui eſt intemperatus voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per conſuetudinem acquiſito. In eo autem qui eſt incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua paſſione.

Plus peccat intemperatus quàm incontinens.

Et quia paſſio citò tranſit; habitus autem eſt qualitas difficilè mobilis: inde eſt quòd incontinens ſtatim pœnitet tranſeunte paſſione; quod non accidit de intemperato, quinimo gaudet ſe peccaſſe; eo quòd operatio peccati eſt ſibi facta connaturalis ſecundùm habitum. Vnde de his dicitur in textu, quòd *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Vnde patet quòd intemperatus eſt multò peior quàm incontinens.

Ad argum R. quòd ignorantia intellectus quandoque quidem præcedit inclinationem appetitus & cauſat eam. Et ſic quantò eſt maior ignorantia, tantò magis peccatum diminuit, vel totaliter excuſat, inquantum cauſat inuoluntarium.

Alio modo è conuerſo ignorantia rationis ſequitur inclinationem appetitus: & talis ignorantia quantò eſt maior, tantò peccatum eſt grauius; quia oſtenditur inclinatio appetitus eſſe maior.

Ignorantia autem tam incontinentis quàm intemperati prouenit ex eo quòd appetitus eſt in aliquid inclinatus; ſiue per paſſionem, ſicut in incontinente; ſiue per habitum, ſicut in intemperato.

Maior autem ignorantia cauſatur ex hoc in intemperato, quàm in incontinente. Et vno quidem modo quantùm ad durationem; quia in incontinente durat illa ignorantia ſolùm paſſione durante: ſicut acceſſio febris tertianæ durat durante commotione humoris. Ignorantia autem intemperati durat aſſiduè, propter permanentiam habitus.

Alio autem modo eſt maior ignorantia intemperati quantùm ad id quod ignoratur: nam ignorantia incontinentis attenditur quantùm ad aliquod particulare eligere, prout ſcilicet æſtimat hoc nunc eſſe eligendum. Sed intemperatus habet ignorantiam circa ipſum finem, inquantum ſcilicet iudicat hoc eſſe bonum, vt irrefrænatè concupiſcentias ſequatur. 2. 2. q. 156. art. 3.

Lætantur cùm malè fecerint. Videtur quòd damnati numquam pœniteant de malis quæ fecerunt; quia maior erit peruerſitas damnatorum in inferno, quàm peccatorum in hoc mundo: ſed peccatores aliqui in hoc mundo non pœnitent de peccatis commiſſis, vel propter excæcationem mentis, ſicut hæretici; vel propter obſtinationem, ſicut qui *Lætantur cùm malè fecerint*; ergo.

Sed contra, de damnatis dicitur, *Intra ſe pœnitentiam agentes.*

Dicendum quòd pœnitere de peccato contingit dupliciter: *vno modo* per ſe, *Alio modo* per accidens. Per ſe quidem de peccato pœnitet, qui peccatum inquantum eſt peccatum abominatur. Per accidens verò qui illud odit ratione alicuius adiuncti, vt pœnæ. vel alicuius huiuſmodi. Sap. 5. v. 3.

Mali igitur non pœnitebunt, per ſe loquendo, de peccatis; quia voluntas malitiæ peccati in eis remanet:

manet: pœnitebunt autem per accidens, inquantum aſſligentur de pœna, quam pro peccato ſuſtinent.

Ad argum. R. quòd homines in hoc mundo quantumcumque obſtinati, per accidens de peccatis ſuis pœnitent, ſi pro eis puniantur. *Supplem. q.* 98. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 1.

Fili mi ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat. &c.

LIber vitæ in Deo dicitur metaphoricè ſecundùm ſimilitudinem à rebus humanis acceptam. Eſt enim conſuetum apud homines, quòd illi qui ad aliquid eliguntur, conſcribuntur in libro vt pote milites, vel conſiliarij, qui olim dicebantur patres conſcripti.

Liber vitæ explicatur. Sed omnes prædeſtinati eliguntur à Deo ad habendam vitam æternam; ipſa ergo prædeſtinatorum conſcriptio dicitur liber vitæ. Dicitur enim metaphoricè aliquid conſcriptum in intellectu alicuius, quod firmiter in memoria tenet, vt patet *in textu*; nam poſt pauca

Prou. 3. v. 3. ſequitur, *Deſcribe illa in tabulis cordis tui.*

Nam & in libris materialibus aliquid conſcribitur ad ſuccurendum memoriæ, Vnde ipſa Dei notitia, qua firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Nam ſicut ſcriptura libri eſt ſignum eorum quæ fienda ſunt; ita Dei notitia eſt quoddam ſignum apud ipſum eorum qui ſunt perducendi ad vitam æternam, ſecundùm illud, *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus qui ſunt eius.* 2. Tim. 2. v. 19.

Nota quòd liber vitæ poteſt dici dupliciter: *vno modo* conſcriptio eorum qui ſunt electi ad vitam: & ſic loquimur nunc de libro vitæ. *Alio modo* poteſt dici liber vitæ conſcriptio eorum quæ ducunt in vitam: & hoc dupliciter; vel ſicut agendorum, & ſic nouum & vetus Teſtamentum dicitur liber vitæ.

Vel ſicut jam factorum, & ſic illa vis diuina, qua fiet vt cuilibet in memoriam reducantur facta ſua, dicitur liber vitæ. Sicut etiam liber militiæ poteſt dici, vel in quo ſcribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum.

Nota ſecundò quod non eſt conſuetum conſcribi eos qui repudiantur, ſed eos qui eliguntur. Vnde reprobationi non reſpondet liber mortis, ſicut prædeſtinationi liber vitæ.

Nota tertiò quòd ſecundùm rationem differt liber vitæ à prædeſtinatione, importat enim notitiam prædeſtinationis, 1. *p. q* 24. *art.* 1.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 3.

Deſcribe ea in tabulis cordis tui.

ARguitur, Omnia præcepta Dei ſunt in memoria retinenda, vt patet *in textu*; inconuenienter ergo in ſolo tertio præcepto fit mentio de memoria; & ita videntur præcepta decalogi inconuenienter tradita eſſe. Præceptum decalogi tertium explicatur.

Ad argum. R. quòd præceptum de Sabbato ponitur vt com-

memoratiuum beneficij præteriti: & ideo ſpecialiter in eo ſit mentio de memoria. Vel quia præceptum de ſabbato habet determinationem adiunctam, quæ non eſt de lege naturæ: & ideo hoc præceptum ſpeciali admonitione indiguit. 1. 2. *q.* 100. *art* 7. *ad quintum.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 3. *v.* 1.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 5.

Ne innitaris prudentiæ tuæ.

VIdetur quòd docilitas non debeat poni pars prudentiæ; nam docilitas ad diſcipulum pertinet: ſed prudentia cùm ſit præceptiua, videtur magis ad magiſtros pertinere, qui etiam præceptores dicuntur; ergo docilitas non eſt pars prudentiæ.

Prudentiæ deſcriptio. Dicendum quod prudentia conſiſtit circa particularia operabilia, in quibus cùm ſint quaſi infinitæ diuerſitates, non poſſunt ab vno homine ſufficienter omnia conſiderari, nec per modicum tempus, ſed per temporis diuturnitatem.

Vnde in his quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo ab alio erudiri, & præcipuè ex ſenibus, qui ſanum intellectum adepti ſunt circa fines operabilium. Vnde Philoſophus dicit, Oportet attendere expertorum & ſeniorum & prudentium in demonſtrabilibus, enuntiationibus & opinionibus, non minùs quàm demonſtrationibus; propter experientiam enim vident principia:

Eccli. 6. v. 35 vnde dicitur in textu, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, Et, *In multitudine presbyterorum*, id eſt ſeniorum, *prudentium ſta*, *& ſapientiæ illorum ex corde coniungere.*

Hoc autem pertinet ad docilitatem, vt aliquis ſit bene diſciplinæ ſuſceptiuus: & ideo conuenienter docilitas ponitur pars prudentiæ.

Nota quòd etſi docilitas vtilis ſit ad quamlibet virtutem intellectualem, præcipuè tamen ad prudentiam pertinet.

Nota ſecundò quòd docilitas, ſicut & alia quæ ad prudentiam pertinent, ſecundùm aptitudinem quidem eſt à natura: ſed ad eius conſummationem plurimùm valet humanum ſtudium, dum ſcilicet homo ſolicitè, frequenter & reuerenter applicat animum ſuum documentis maiorum; non negligens ea propter ignauiam, nec contemnens propter ſuperbiam.

Ad argum. R. quòd per prudentiam aliquis præcipit non ſolùm alijs, ſed etiam ſibi ipſi: vnde etiam in ſubditis locum habet; ad quorum prudentiam pertinet docilitas: quamuis etiam ipſos maiores oporteat dociles quantùm ad aliqua eſſe; quia nullus in his quæ ſubſunt prudentiæ, ſibi quantùm ad omnia ſufficit. 2. 2. *q.* 49. *art.* 3.

Ne innitaris prudentiæ tuæ. Arguitur, in doctrina Euangelica continetur lex, maximè quantùm ad præcepta decalogi: ſed in doctrina Euangelica datur præceptum de prudentia, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*; ergo inter præcepta decalogi debuit præcipi actus prudentiæ. *Matt 10 v. 16.*

2. Alia documenta veteris Teſtamenti ad præcepta decalogi ordinantur. Vnde dicitur *Memento te legis Moyſi ſerui mei quam man-* *Malach 4. v. 4.*

Digitized by Google

duxi ti in Oreb: Sed in alijs documentis veteris Teſtamenti, dantur præcepta de prudentia, vt patet Prou. 4. v. 25. *in textu*. Et, *Palpebræ tuæ precedent greſſus tuos*; Ergo & in lege debuit aliquod præceptum de prudentia dari, & præcipuè inter præcepta decalogi.

Decem præceptorum decalogi deſcriptio. Dicendum quòd præcepta decalogi ſicut data ſunt omni populo, ita etiam cadunt in exiſtimatione omnium quaſi ad naturalem rationem pertinentia. Præcipuæ autem ſunt de dictamine rationis naturalis fines humanæ vitæ; qui ſe habent in agendis, ſicut principia naturaliter cognita in ſpeculatiuis.

Prudentiæ deſcriptio. Prudentia autem non eſt circa finem, ſed circa ea quæ ſunt ad finem. Et ideo non fuit conueniens vt inter præcepta decalogi, aliquod præceptum poneretur ad prudentiam pertinens directè: ad quam tamen omnia præcepta decalogi pertinent, ſecundùm quod ipſa eſt directiua omnium virtuoſorum actuum.

Nota quòd licet prudentia ſit ſimpliciter principalior omnibus alijs virtutibus moralibus; iuſtitia tamen principaliùs reſpicit rationem debiti, quod requiritur ad præceptum. Et ideo principalia præcepta legis, quæ ſunt præcepta decalogi, magis debuerunt ad iuſtitiam quàm ad prudentiam pertinere.

Ad 1. R. quòd doctrina Euangelica eſt doctrina perfectionis, & ideo oportuit quòd in ipſa perfectè inſtrueretur homo de omnibus quæ pertinent ad rectitudinem vitæ, Siue ſint fines, ſiue ſint ea quæ ſunt ad finem. Et propter hoc oportuit in doctrina Euangelica etiam de prudentia præcepta dari.

Ad 2. R. quòd ſicut alia doctrina veteris Teſtamenti ordinatur ad præcepta decalogi, vt ad finem: ita etiam conueniens fuit vt in ſubſequentibus documentis veteris Teſtamenti, homines inſtruerentur de actu prudentiæ, qui eſt circa ea quæ ſunt ad finem. 2. 2. *q.* 56. *art.* 1.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 9.

Honora Dominum de tua ſubſtantia.

VIdetur quòd non poſſit homo oblationes facere de omnibus rebus licitè poſſeſſis; quia ſecundùm iura humana turpiter facit meretrix in hoc quod eſt meretrix: non tamen turpiter accipit, & ita licitè poſſidet. Sed non licet de ea facere oblationem ſecundùm illud *Non offeres mercedem proſtibuli in domo Domini Dei* Deuter. 23 v. 18 *tui*; ergo non licet facere oblationem de omnibus licitè poſſeſſis.

2. Prohibetur quòd *Pretium canis non offeratur in domo Dei*: Ibid. Sed manifeſtum eſt quòd pretium canis iuſtè venditi, iuſtè poſſidetur; ergo non licet de omnibus iuſtè poſſeſſis oblationem facere.

3. Dicitur, *Si offeratis claudum, & languidum, nonne malum* Malach 1. v. 8. *eſt?* Sed claudum & languidum animal eſt iuſtè poſſeſſum; ergo.

Dicendum quòd, ſicut dicitur *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*: Eccl. 34. v. 21. Vnde patet quòd de iniuſtè acquiſitis & poſſeſſis non poteſt oblatio fieri.

In veteri autem lege in qua ſi-

guræ ſeruiebatur, quædam propter ſignificationem reputabantur immunda, vt dicitur. Et ideo quantum eſt de ſe, de quolibet licitè poſſeſſo poteſt oblatio fieri. *Tit. 1. v. 15.*

Per accidens tamen contingit quòd de aliquo licitè poſſeſſo, oblatio fieri non poteſt, putà ſi vergat in detrimentum alterius; vt ſi filius aliquis offerat Deo id vnde debet patrem nutrire, quod Dominus improbat. Vel propter ſcandalum; vel propter contemptum, vel aliquid aliud huiuſmodi. *Matt. 15. v. 4.*

Ad 1. R. quòd in veteri lege prohibebatur oblatio de mercede proſtibuli propter immunditiam. In noua autem lege propter ſcandalum; ne videatur Eccleſia fauere peccato, ſi de lucro peccati oblationem recipiat.

Ad 2. R. quòd canis ſecundùm legem reputabatur animal immundum. Alia tamen animalia immunda redimebantur, & eorum pretium poterat offerri, ſecundùm illud *Si immundum animal eſt, redimet qui obtulerit.* Sed canis nec offerebatur, nec redimebatur; tum quia idololatræ canibus vtebantur in ſacrificijs idolorum, tum etiam quia ſignificant rapacitatem, de qua non poteſt fieri oblatio. Sed hæc prohibitio ceſſat in noua lege. *Leu. 27. v. 27.*

Ad 3. R. quòd oblatio animalis cæci vel claudi reddebatur illicita tripliciter; *vno modo* ratione eius ad quod offerebatur. Vnde dicitur *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt?* Sacrificia autem oportebat eſſe immaculata. *Oblationis conditiones. Malach. 1. v. 8.*

Secundò ex contemptu, vnde ibidem ſubditur, *Vos polluiſtis nomen meum in eo quod dicitis: menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuper ponitur, contemptibile eſt.*

Tertio modo ex voto præcedenti, ex quo obligatur homo vt integrum reddat quod vouit. Vnde ibidem ſubditur, *Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.*

Et hæ cauſæ eædem manent in lege noua, quibus tamen ceſſantibus, non eſt illicitum. 2. 2. q. 86. art. 3.

PROVERB. *Cap. 3. v. 13.*

Beatus homo qui inuenit ſapientiam.

Citatur ſupra *Pſalmo. 1. v. 1.*

PROVERB. *Cap. 3. v. 15.*

Sapientia pretioſior eſt cunctis opibus.

Citatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 5. v. 23. & infra Eccleſiaſtici cap. 24. v. 26.*

PROVERB. *Cap. 3. v. 16.*

In dextera eius longitudo dierum, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.

Videtur quòd Christus non aſcenderit ad dexteram patris; & hoc per *textum*, nam omnium bonorum patris Chriſtus habet plenitudinem; ergo non magis debet dici ſedere ad dextram quàm ad ſiniſtram.

2. Ipſe dicitur eſſe *In ſinu patris*; ergo non eſt ad dexteram. *Ioan. 1. v. 18.*

Sed contra, *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* *Hebr. 1. v. 3.*

Dicendum quòd dextra eſt nobilior pars corporis; vnde qui al- *Dextræ nobilitas.*

Digitized by Google

teri ad dexteram ſedet, nobiliſſimo modo ei coniungitur, Nobiliſſimus autem modus, ſecundùm quem aliquis patri coniungitur; vel eſt nobiliſſimus ſimpliciter, & ſic eſt eſſe æqualem ſibi: & hoc conuenit filio ſecundùm diuinam naturam. Vel eſt nobiliſſimus quantùm poſſibile eſt creaturæ: & hoc eſt coniungi ei in vnione perſonæ filij eius. Et ſic ſedere ad dexteram conuenit Chriſto ſecundùm humanam nâturam, ſignat enim ſeſſio firmitatem illius coniunctionis.

Ad 1. R. quòd quamuis ſint Chriſti & majora, & minora bona patris; tamen ipſe in majoribus eſt collocatus; & ideo dicitur ad dextram ſedere.

Ad 2. R. quòd Chriſtus inquantum exit à patre per generationem, dicitur in ſinu patris ſedere; per quod ſignificatur generatiua potentia: ſed inquantum eſt æqualis patri & ei conregnat, dicitur ſedere ad dexteram eius. *Lib.* 3. *ſent. Diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 5 *q* 2.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 18.

Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam.

HIc lignum vitæ accipitur metaphoricè pro Chriſto, vel pro ſapientia. *In quæſt. diſp. q.* 5. *de potentia art.* 9. *ad ſextum.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 2. *v.* 8. *Vid. contra Gentil. Lib.* 4. *cap.* 83 1.ᵃ *p. q.* 102. *art.* 1. *ad quartum. Et lib.* 2. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 17. *art.* 4.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 19.

Dominus ſapientiâ fundauit terram.

EX hoc apparet quòd Deus effectus ſuos producit ſecundùm ſuam ſapientiam: voluntas enim ad agendum ex aliqua apprehenſione mouetur; bonum enim apprehenſum eſt obiectum voluntatis: Deus autem eſt agens per voluntatem. Cùm igitur in Deo non ſit niſi intellectualis apprehenſio, nihilque intelligat niſi intelligendo ſe, quem intelligere eſt ſapientem eſſe; relinquitur quòd omnia Deus ſecundùm ſuam ſapientiam operatur.

Per hoc autem excluditur quorundam error qui dicebant omnia ex ſimplici diuina voluntate dependere abſque aliqua ratione. *Contra Gentil. Lib.* 2. *cap.* 24.

PROVERB. *Cap.* 3. *v.* 28.

Ne dicas amico tuo, vade & reuertere; & cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare.

VIdetur quòd filius Dei non debuerit ſuam incarnationem tantùm differre; tempus enim incarnationis dicitur tempus plenitudinis: ſed plenitudo perfectionem importat; cùm ergo perfectio vniuerſi conſummata ſit die ſeptimâ, videtur quòd tunc debuit filius Dei incarnari.

2. Amor cauſat donum & celeritatem doni: ſed Deus ex maxima charitate incarnatus eſt; ergo videtur quòd non debuerit tantùm incarnationem differre. Primum probatur per id quod dicitur *in textu*. Secundùm per hoc *Gal.* 4. *v.* 4. *Gen.* 2. *v.* 2.

Digitized by Google

quod dicitur, *In charitate perpetua dilexite, ideo attraxi te miſerans.* Hier. 31. v. 3.

3. Quantò plus differtur medicina, tantò periculoſiùs inualeſcit morbus: ſed ſapientis medici eſt, vt morbi periculum euitet; ergo videtur quòd incarnationem ſuam Dei filius accelerare debuerit.

1. Tim. 2 v. 4. 4. Dicitur quòd *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*: Sed ſi Chriſtus ante incarnatus fuiſſet, multis ad ſalutem magis via patuiſſet, vt dicitur: *Si in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te; olim pœnitentiam egiſſent*; Ergo videtur quòd Deus ante incarnari debuerit. Matt. 11 v. 21

5. Natura à perfectioribus initium ſumit: ſed opus Dei non eſt minùs ordinatum quàm opus naturæ; cùm ergo perfectiſſimum in operibus Dei ſit incarnatio, videtur quòd circa principium Deus incarnari debuerit.

Sed contra, perfectio gratiæ magis aſſimilatur perfectioni gloriæ, quàm perfectioni naturæ: ſed perfectio gratiæ incarnationi debetur; cùm ergo perfectio gloriæ fini ſeculorum debeatur, perfectio verò naturæ principio; videtur quòd versùs finem ſeculorum magis, quàm circa principium Deus incarnari debuerit.

Dicendum quòd incarnationis tempus congruiſſimum temporum diſpenſator elegit. Hæc autem congruitas non plenè à nobis poteſt cognoſci, qui non omnium temporum proportiones cognoſcimus. Sed tamen poſſunt plures rationes congruitatis aſſignari, quare hoc tempus ad incarnationem elegerit.

Incarnatio *Prima*, quia homo per ſuperbiam peccauerat, vnde oportebat quòd per humilitatem repararetur; ad quam exigebatur vt defectum ſuum cognoſceret in virtute, & in cognitione. Defectus autem cognitionis innotuit homini tempore legis naturæ, quo tempore multi (lumine naturalis rationis non obſtante) in peſſimos errores idololatriæ prolapſi ſunt, & in nefandiſſima opera. Defectus autem virtutis propriè innotuit homini tempore legis ſcriptæ; quia tunc per legem eruditus, nondum tamen peccati iugum excutere potuit. Et ideo oportuit quòd poſt iſta duo tempora quaſi præparatoria, Deus homo fieret; vt in ſolo Deo ſpes ſalutis haberetur. Chriſti cur non initio mundi. De lege triplici, naturali, veteri & gratiæ.

Secunda ratio eſt, Quia naturalis ordo eſt vt ab imperfecto ad perfectum veniatur: perfectiſſimum autem in operibus Dei eſt ipſa incarnatio per quam creatura Deo vnitur in vnitate perſonæ. Et ideo oportuit vt non in principio humani generis, ſed poſtmodum versùs finem ſeculorum compleretur; vt ſic *Priùs eſſet quod animale eſt, deinde quod ſpirituale eſt.* 1. Cor. 15 v. 46.

Nam ſicut abſurdus eſt qui iuuenilem tantùm vellet ætatem eſſe in homine; euacuaret enim pulchritudines quæ cæteris ætatibus ſuas vices atque ordines gerunt. Sic abſurdus eſt qui ipſi vniuerſo humano generi vnam ætatem deſiderat; nam & ipſum tanquam vnus homo ſuas ætates agit. Nec oportuit venire diuinitus magiſtrum, cuius imitatione in mores optimos formaretur, niſi in tempore iuuentutis. Et ideo Apoſtolus dicit hominem ſub lege quaſi ſub pædagogo paruulos cuſtodi- Gal. 3. v. 24.

tos; donec veniret qui per prophetas promiſſus erat.

Tertia ratio eſt, quia diſtantia à principio facit debilitatem in effectu. Vnde & propter longè diſtare à principio, aliquæ res perpetuum eſſe non poſſunt retinere, vt maneant ſemper eædem ſecundùm numerum. Vnde ſi hoc maximum remedium incarnationis in principio ſeculorum fuiſſet, procedente tempore, effectus eius in homines minus charus fuiſſet, refrigeſcente charitate. Et ideo à principio generis humani indita eſt mentibus hominum lex naturalis, per quam homines Deo ſubiecti eſſent: poſtmodum verò inualeſcente conſuetudine peccatorum, lex naturalis adeò tenebrata eſt in pluribus; vt iam non videretur ad regimen humani generis ſufficere. Et ideo tunc additum eſt aliud remedium, ſcilicet vetus lex, & ea quæ ad ipſam pertinent: quâ etiam proceſſu temporis in hominum cordibus debilitatâ; oportuit aliud perfectius remedium per incarnationem apponi vſque ad tempus illud, cùm multorum charitas refrigeſceret; & tunc ſuccederet per ſecundum aduentum viſio fidei, & ſtatus gloriæ, ſtatui præſentis Eccleſiæ.

Perfectio triplex.

Ad 1 R. quòd eſt triplex perfectio, ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Perfectio autem naturæ eſt quæ fuit in principio ſeculorum: perfectio verò gloriæ erit in fine ſeculorum. Et quia perfectio gratiæ media eſt inter vtramque: ideo Christus per quem gratia facta eſt, circa medium ſeculorum venit. Vnde dicitur, *In medio annorum notum facies*. *Abac. 3. v. 2.*

Ad 2. R. quòd amor diſcretioni coniunctus non facit accelerare donum, antequam expediat ei cui datur. Non autem expediebat humano generi hoc donum accipere, antequam experimento diſceret quantùm eo indigebat; vt ſic acceptum chariùs haberet.

Ad 3. R. quòd aliter eſt in morbo ſpirituali; quàm corporali: ad ſanationem enim corporalis morbi non exigitur, vt infirmus vim medicinæ, & periculum morbi cognoſcat: quod tamen eſt maximè neceſſarium in morbi ſpiritualis ſanatione; qui per humilitatem & contritionem ſpiritus ſanatur. Et ideo quamuis medicina corporalis non differatur; medicina tamen ſpiritualis differri poteſt. Nec tamen ita dilata eſt, vt à principio penitus deeſſet; quia quandiu fuit morbus, fuit medicina morbi, quamuis illa medicina non ſit omnino ſufficiens: ſic enim & medicus corporalis ægroto præparatoria quædam medicamenta præbet, antequam perfectam medicinam det. Et hic etiam fuit proceſſus Dei in ſanatione humani generis.

Ad 4. R. quòd nullus eorum qui præordinati erant ab æterno; etiam ante Chriſti incarnationem periit: nec etiam aliquis non prædeſtinatus, quandocunque incarnatio fuiſſet, ſaluatus eſſet. Si tamen aliquod remedium præberetur non prædeſtinato, quod prædeſtinato datur, ſcilicet finalis gratia; ille etiam ſaluaretur. Sed tamen hoc antecedens eſt incompoſſibile ei, quod eſt, eum non eſſe prædeſtinatum. Vnde ſic eſt vera iſta: Si Chriſtus prædicaſſet alicui

præſcito, ille pœnitentiam egiſſet; ſicut iſta, Si gratia ſibi daretur, pœnitentiam ageret. Sed vtriuſque antecedens eſt incompoſſibile præſcientiæ condemnationis. Et ideo quærere quare Chriſtus illi non prædicauit, eſt idem quod quærere prædeſtinationis cauſam, quæ nulla eſt, niſi voluntas Dei.

Perfectum & imperfectum dupliciter conſiderantur.

Ad 5. R. quòd perfectum ſimpliciter præcedit imperfectum: ſed accipiendo perfectum circa idem, imperfectum præcedit perfectum; quia motus eſt de imperfecto ad perfectum; & hoc fit aliquo perfecto agente, quod oportet priùs eſſe. Et ideo in humano genere priùs fuit adhibita imperfecta medicina, quàm perfecta, ab ipſo perfecto Deo, qui eſt perfectionis princeps. *Lib. 3. ſent. Diſt. 1. q. 1. art. 5. & 6.*

Ne dicas amico tuo vade. Arguitur, Qui poteſt dare aliquid ſimul, minùs liberaliter agit ſi dat ſucceſſiuè, vt patet *in textu*: Sed Deus ſimul dare poterat rebus eſſe perfectum; ergo cùm ſit liberaliſſimus, non fecit materiam informem ante eius formationem.

Liberalitatis modus explicatur.

Ad argum. R. quod ad liberalitatem dantis non ſolùm pertinet quòd citò det, ſed etiam quòd ordinatè, & quòd conuenienti tempore det vnumquodque. Vnde vbi dicitur, *Cùm ſtatim poſſis dare*, non ſolùm conſideranda eſt potentia qua dare aliquid poſſumus abſolutè, ſed etiam qua poſſumus conuenientiùs dare. Vnde ad ordinis conuenientiam conſeruandam, Deus in quadam imperfectione creaturas primò inſtituit; vt ſic gradatim ex nihilo ad perfectum peruenirent. *In quaeſt. diſp. q. 4. de potentia art. 1. ad octauum.*

PROVERB. *Cap. 3 v. 34.*

Ipſe deridet illuſores.

Deridere Dei eſt æternaliter punire pro peccato mortali, vt patet per id quod dicitur, *Qui habitat in cælis irridebit eos*; ergo deriſio eſt peccatum mortale, quando ſcilicet reuerentia debetur perſonę quę illuditur. Vnde grauiſſimum eſt irridere Deum, & ea quę Dei ſunt, ſecundùm illud *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem tuam?* Et poſtea ſubditur. *Ad ſanctum Iſraël.* *Pſal. 2. v. 4.* *Eſa. 37. v. 23.*

Secundum locum tenet irriſio parentum: vnde dicitur, *Oculum qui ſubſannat patrem, & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* *Prou. 30 v. 17.*

Irriſio peccatum eſt.

Deinde iuſtorum deriſio grauis eſt; quia honor eſt virtutis prę-mium. Et contra hoc dicitur, *Deridetur iuſti ſimplicitas.* Quę-quidem deriſio valde nociua eſt; quia per hoc homines à bene agendo impediuntur. 2. 2. *q.* 75. *art.* 2. *Iob. 12. v. 4.*

PROVERB. *Cap. 3. v. 35.*

Gloriam ſapientes poſſidebunt.

Explicatur ſupra *Pſalm.* 4. *v.* 3.

PROVERB. *Cap. 4. v. 2.*

Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.

Videtur quòd Eleemoſinę corporales ſint potiores quàm ſpirituales; laudabilius enim eſt magis

magis indigenti eleemoſynam facere. Ex hoc enim eleemoſyna laudem habet quòd indigenti ſubuenit: ſed corpus cui ſubuenitur per eleemoſynas corporales, eſt indigentioris naturæ, quàm ſpiritus cui ſubuenitur per eleemoſynas ſpirituales; ergo eleemoſynæ corporales ſunt potiores.

2. Recompenſatio beneficij laudem & meritum eleemoſinæ minuit, vnde & Dominus dicit. *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare vicinos diuites; ne fortè & ipſi te reinuitent.* Sed in eleemoſynis ſpiritualibus ſemper eſt recompenſatio; quia qui orat pro alio ſibi proficit, ſecundùm illud *Oratio mea in ſinu meo conuertetur*. Qui etiam alium docet, ipſe in ſcientia proficit, quod non contingit in eleemoſynis corporalibus; ergo eleemoſynæ corporales ſunt potiores quàm ſpirituales.

Lucæ.14 v.12. *Pſal.34. v.13.*

3. Ad laudem eleemoſynæ pertinet quòd pauper ex eleemoſyna data conſoletur, vnde dicitur, *Si non benedixerunt mihi latera eius*, & dicit Apoſtolus, *Viſcera ſanctorum requieuerunt per te. frater.* Sed quandoque magis eſt grata pauperi eleemoſyna corporalis, quàm ſpiritualis; ergo eleemoſyna corporalis potior eſt, quàm ſpiritualis.

Iob. 31. v. 20. *Ad Philemon 1. v. 7.*

Dicendum quòd comparatio iſtarum eleemoſynarum poteſt attendi dupliciter; vno modo ſimpliciter loquendo: & ſecundùm hoc eleemoſynæ ſpirituales præeminent triplici ratione.

Eleemoſyna ſpiritualis & corporalis.

Primò quidem, quia id quod exhibetur, nobilius eſt, ſcilicet donum ſpirituale, quod præeminet corporali, vt patet *in textu*.

Secundò, ratione eius cui ſubuenitur; quia ſpiritus nobilior eſt corpore. Vnde ſicut homo ſibi ipſi magis debet prouidere quantùm ad ſpiritum, quàm quantùm ad corpus; ita & proximo quem debet ſicut ſeipſum diligere.

Tertiò quantùm ad ipſos actus quibus ſubuenitur proximo; quia ſpirituales actus ſunt nobiliores corporalibus, qui ſunt quodammodo ſeruiles.

Alio modo poſſunt comparari ſecundùm aliquem particularem caſum, in quo quædam corporalis eleemoſyna alicui ſpirituali præfertur; puta magis eſt paſcendum fame morientem, quàm docendum, ſicut & indigenti melius eſt ditari quàm Philoſophari; quamuis hoc ſit ſimpliciter melius.

Ad 1. R. quòd dare magis indigenti melius eſt cæteris paribus. Sed ſi minùs indigens ſit melior, & melioribus indigeat; dare ei melius eſt. Et ſic eſt in propoſito.

Ad 2. R. quòd recompenſatio non minuit meritum & laudem eleemoſynæ, ſi non ſit intenta: ſicut etiam humana gloria, ſi non ſit intenta, ſic non minuit rationem virtutis. Et ita contingit in eleemoſynis ſpiritualibus. Et tamen intentio bonorum ſpiritualium non minuit meritum, ſicut intentio bonorum corporalium.

Ad 3. R. quòd meritum dantis eleemoſynam attenditur ſecundùm id in quo debet rationabiliter requieſcere voluntas accipientis; non in eo in quo requieſcit, ſi ſit inordinata. 22. q. 32. art. 3.

PROVERB. *Cap. 4. v. 3.*

Vnigenitus fui coram matre mea.

EXplicatur ſupra *Geneſ. cap. 3. v 16.*

PROVERB. *Cap. 4. v. 18.*

Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem.

VIdetur quòd homo non poſſit mereri augmentum gratiæ vel charitatis; cùm enim aliquis receperit præmium quod meruit, non debetur ei alia merces; ſicut de quibuſdam dicitur, *Receperunt mercedem ſuam.* (Matt. 6. v. 5.)

Si igitur aliquis meretur augmentum charitatis vel gratiæ, ſequeretur quòd gratia augmentata non poſſet vlteriùs expectare aliud præmium, quod eſt inconueniens.

2. Nihil agit vltra ſuam ſpeciem: ſed principium meriti eſt gratia, vel charitas; ergo nullus poteſt maiorem gratiam vel charitatem mereri, quàm habeat.

3. Id quod cadit ſub merito meretur homo per quemlibet actum à gratia vel charitate procedentem: ſicut per quemlibet talem actum meretur homo vitam æternam; ſi igitur augmentum gratiæ vel charitatis cadit ſub merito, videtur quòd per quemlibet actum charitate informatum aliquis mereatur augmentum charitatis: ſed id quod homo meretur, infallibiliter à Deo conſequitur, niſi impediatur per peccatum ſequens; dicitur enim, *Scio cui credidi & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare.* (2. Tim 1. v. 12.)

Sic ergo ſequeretur quòd per quemlibet actum meritorium gratia vel charitas augeretur, quod videtur inconueniens; cùm quandoque actus meritorij non ſint multùm feruentes, ita quòd ſufficiant ad charitatis augmentum. Non ergo augmentum charitatis cadit ſub merito.

Dicendum quod illud cadit ſub merito condigni, ad quod motio gratiæ ſe extendit: motio autem alicuius mouentis, non ſolùm ſe extendit ad vltimum terminum motus, ſed etiam ad totum progreſſum in motu. (Augmentum charitatis & gratiæ cadit ſub merito.)

Terminus autem motus gratiæ eſt vita æterna: progreſſus autem in hoc motu eſt ſecundùm augmentum charitatis vel gratiæ, vt patet *in textu*; nam perfectus dies, eſt dies gloriæ Sic igitur augmentum gratiæ cadit ſub merito condigni.

Ad 1. R. quòd præmium eſt terminus meriti: eſt autem duplex terminus motus, ſcilicet vltimus & medius, qui eſt & principium & terminus: & talis terminus eſt merces augmenti.

Merces autem fauoris humani eſt ſicut vltimus terminus his qui finem in hoc conſtituunt: vnde tales nullam aliam mercedem recipiunt.

Ad 2. R. quòd augmentum gratiæ non eſt ſupra virtutem præexiſtentis gratiæ, licet ſit ſupra quantitatem ipſius. Sicut arbor etſi ſit ſupra quantitatem ſeminis, non eſt tamen ſupra virtutem ipſius.

Ad 3. R. quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & gratiæ conſum-

Digitized by Google

116

mationem quæ eſt vita æterna. Sed ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore; ita nec gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore; cùm ſcilicet aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum. 1. 2. *q.* 114. *art.* 8.

Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens. Videtur quòd homo non poſſit primò peccare in Spiritum ſanctum, non præſuppoſitis alijs peccatis; naturalis enim ordo eſt, vt ab imperfecto ad perfectum quis moueatur: & hoc quidem in bonis apparet, vt patet *in textu*. Sed perfectum dicitur in malis, quòd eſt maximum malum; cùm ergo peccatum in ſpiritum ſanctum ſit grauiſſimum, videtur quod homo ad hoc peccatum perueniat per alia peccata minora.

2. Pœnitentia & impœnitentia ſunt circa idem: ſed pœnitentia non eſt niſi de peccatis præteritis; ergo etiam neque impœnitentia, quæ eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum. Peccatum ergo in Spiritum ſanctum præſupponit alia peccata.

Eccli. 11. v. 23. Sed contra eſt, quod *Facile eſt in conſpectu Dei ſubitò honeſtare pauperem*; ergo è contrario poſſibile eſt ſecundùm malitiam dæmonis ſuggerentis, vt ſtatim aliquis inducatur ad peccatum grauiſſimum, quod eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

Peccare ex malitia dupliciter fit. Dicendum quòd peccare in Spiritum ſanctum vno modo eſt peccare ex certa malitia. Ex certa autem malitia dupliciter peccare contingit; *vno modo* ex inclinatione habitus, quod non eſt propriè peccare in Spiritum ſanctum. Et hoc modo peccare ex certa malitia non contingit à principio; oportet enim actus peccatorum præcedere, ex quibus cauſetur habitus ad peccandum inclinans.

Alio modo poteſt aliquis peccare ex certa malitia, abijciendo per contemptum ea, per quæ homo retrahitur à peccato; quod propriè eſt peccare in Spiritum ſanctum. Peccare in Spiritum certum explicatur.

Et hoc etiam plerumque præſupponit alia peccata; quia ſicut dicitur, *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Prou. 18. v. 3.

Poteſt tamen contingere quòd aliquis in primo actu peccati in Spiritum ſanctum peccet per contemptum; tum propter libertatem arbitrij, tum etiam propter multas diſpoſitiones præcedentes, vel etiam propter aliquod vehemens motiuum ad malum, & debilem affectum hominis ad bonum.

Et ideo in viris perfectis hoc vix, aut numquam accidere poteſt, quòd ſtatim à principio peccent in Spiritum ſanctum.

Ad 1. R. quòd tam in bono quàm in malo, vt in pluribus, proceditur ab imperfecto ad perfectū prout homo proficit vel in bono, vel in malo. Et tamen in vtroque vnus poteſt incipere à majori quàm alius. Et ita illud à quo aliquid incipit, poteſt eſſe perfectum in bono, vel in malo ſecundùm genus ſuum: licet ſit imperfectum ſecundùm ſeriem proceſſus hominis in melius, vel in peius proficientis.

Ad 2. R. quòd ſi accipiatur impœnitentia ſecundùm quod importat permanentiam in peccato vſque ad finem, ſic planum eſt quòd impœnitentia præſupponit peccata, ſicut & pœnitentia. Sed

Digitized by Google

ſi loquamur de impœnitentia habituali, ſecundùm quod ponitur ſpecies peccati in Spiritum ſanctum: ſic manifeſtum eſt quòd impœnitentia poteſt eſſe etiam ante peccata. Poteſt enim ille qui numquam peccauit, habere propoſitum vel pœnitendi; vel non pœnitendi, ſi contingeret eum peccare. 2. 2. *q.* 14. *art.* 4.

Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens. In hac auctoritate deſcribitur vita ſanctorum ex tribus. Ex
Matt. 7. v. 14. eorum arctitudine, ibi *ſemita*, quia *arcta eſt via &c.* Et, *ſemitam igno-*
Iob. 28. v. 7. *ranit auis.* Ex claritate, ibi, *Lux ſplendens. Eratis aliquando tenebræ*
Ephe. 5. v. 8. *&c.* Iuſti enim ſunt lucentes, & ideo eorum via eſt lucida. Ex pro-
1. Petr. 2. v. 2 fectu; quia ſemper creſcit. *In eo creſcatis &c.* Et hoc vſque ad per-
1. Cor 13. v. 10. fectum diem, ſcilicet gloriæ; *Cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur &c.*

E conuerſo malorum via eſt lata, obſcura, tenebroſa, & defi-
Prou. 4. v. 19. ciens. Vnde ſubditur, *Via impiorum tenebroſa &c.* Et *lata porta*,
Matt. 7. v. 14. *& Spatioſa via quæ ducit ad perditionem &c. In prologo Epiſt. ad Philippenſes.*

PROVERB. *Cap.* 4. *v* 19.

Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.

Videtur quòd præcipitatio non ſit peccatum ſub imprudentia contentum; nam præcipitatio videtur ad temeritatem pertinere: temeritas autem præſumptionem importat, quæ pertinet ad ſuperbiam; ergo.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*; nam tenebræ viæ impietatis pertinent ad imprudentiam; ergo corruere ſiue præcipitari; ad imprudentiam pertinet:

Dicendum quòd præcipitatio in actibus animæ metaphoricè dicitur ſecundùm ſimilitudinem à corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari ſecundùm corporalem motum, quod à ſuperiori in ima peruenit ſecundùm impetum quendam proprij motus, vel alicujus impellentis, non ordinatè deſcendendo per gradus. Præcipitatio ad imprudentiam pertinet.

Summum autem animæ eſt ipſa ratio; imum autem eſt operatio per corpus exercita.

Gradus autem medij per quos oportet ordinatè deſcendere, ſunt memoria præteritorum, intelligentia præſentium, ſolertia in conſiderandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens vnum alteri, docilitas per quam aliquis acquieſcit ſententijs majorum: per quos quidem gradus aliquis ordinatè deſcendit rectè conſiliando.

Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis vel paſſionis, pertranſitis huiuſmodi gradibus; erit præcipitatio. Cùm ergo inordinatio conſilij ad imprudentiam pertineat; manifeſtum eſt quòd vitium præcipitationis ſub imprudentia continetur.

Ad argum. R. quòd illa dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur. Quodquidem poteſt contingere dupliciter: *vno modo* ex impetu voluntatis, vel paſſionis; alio modo ex contemptu regulæ dirigentis: & hoc propriè importat temeritas. Vnde videtur ex ea radice ſuperbiæ prouenire, quæ refugit ſubeſſe regulæ alie-

næ : præcipitatio autem ſe habet ad vtrumque. Vnde temeritas ſub præcipitatione continetur; quamuis præcipitatio magis reſpiciat primum. 2. 2. *q.* 53. *art.* 3.

Idem locus explicatur ſupra. *Prouerb. cap.* 4. *v.* 18.

PROVERB. *Cap.* 4. *v.* 23.

Omni cuſtodiâ ſerua cor tuum; quoniam ab ipſo vita procedit.

VIdetur quòd in ratione ſuperiori non poſſit eſſe peccatum; nam peccatum in aliqua potentia non poteſt eſſe niſi per aliquam deordinationem actus in comparatione ad ſuum obiectum; ſicut peccatum in actu viſiuæ potentiæ eſſe non poteſt niſi per comparationem ad colorem.

Sed obiectum ſuperioris rationis eſt finis vltimus, quod eſt bonum æternum; ergo peccatum in ſuperiori ratione eſſe non poteſt, niſi per deordinationem circa finem vltimum; ſed omne tale peccatum eſt peccatum mortale.

Nam veniale peccatum eſt circa ea quæ ſunt ad finem, mortale verò circa finem; ergo in ratione ſuperiori non poteſt eſſe peccatum niſi mortale.

2. Propter contemptum veniale peccatum fit mortale: ſed hoc non videtur eſſe ſine contemptu, quòd aliquis ex deliberatione peccet; videtur ergo quòd peccatum ſuperioris rationis, cùm ſit ex deliberatione numquam ſit veniale, ſed ſemper ſit mortale.

3. Ratio ſuperior eſt principium ſpiritualis vitæ, ſicut cor in animali eſt principium vitæ corporalis; vnde & cordi comparatur, vt patet *in textu*: ſed in corde non poteſt eſſe aliqua ægritudo, quæ non ſit mortalis; ergo nec in ſuperiori ratione eſt aliquod peccatum veniale, ſed mortale tantùm.

Sed contra. Sicut voluntas in bono, ita ratio delectatur in vero: ſed voluntas poteſt peccare venialiter, ſi diligit bonum creatum infra bonum increatum; ergo ratio ſuperior poteſt peccare venialiter, ſi delectetur in vero creato infra verum increatum.

Dicendum quòd cùm ratio ſit directiua appetitus, dupliciter conuenit peccatum eſſe in ratione; *vno modo* quantùm ad actum proprium rationis, vt pote cùm in aliquo errat adhærendo falſo, dimiſſo vero.

Alio modo ex hoc quòd appetitus poſt deliberationem rationis, in aliquid inordinatè fertur. Et ſi quidem deliberatio rationis ſumitur in aliquibus rationibus temporalibus, putà quòd aliquid ſit vtile vel inutile, decens vel indecens, ſecundùm opinionem hominum, dicitur eſſe peccatum in inferiori ratione.

Si verò deliberatio fiat per rationes æternas, putà quia eſt concordans vel diſcordans præcepto diuino; dicetur eſſe peccatum in ratione ſuperiori.

Nam ratio ſuperior dicitur quæ rationibus æternis inhæret. Dupliciter autem eis inhæret, ſcilicet & conſpiciendis eis, & conſulendis eis. Inhæret quidem conſpiciendis eis obiecto proprio, eis autem conſulendis inhæret tanquam medio, quod applicat ad dirigendum appetitum ſeu actionem.

Peccatum veniale poteſt eſſe in ratione ſuperiori.

Vtroque autem modo poteſt in-

ſuperiori ratione eſſe peccatum veniale & mortale. Nam inquantum inhæret rationibus æternis conſpiciendis, quæ ſunt proprium eius obiectum, poteſt habere & actum deliberatum, & actum non deliberatum, qui ſurreptio dicitur.

Deliberationis deſcriptio.

Quamuis enim rationis ſit deliberare; neceſſe eſt tamen quòd in omni deliberatione includatur abſoluta conſideratio. Nam deliberatio nihil eſt aliud, quàm quædam diſcurſio, & quodammodo nobilis conſideratio.

In omni autem motu inuenitur aliquid indiuiſibile, ſicut & in tempore inuenitur inſtans, & in linea punctus.

Si ergo in ſuperiori ratione circa proprium obiectũ fuerit peccatum ex ſurreptione, erit peccatum veniale; putà cùm aliquis ſubitò apprehendit tanquam impoſſibile, Deum trinum & vnum. Non enim eſt ante hoc peccatum mortale, quàm ratio aduertat hoc eſſe contra mandatum Dei: de ratione enim peccati mortalis eſt quòd ſit contra præceptum Dei.

Cùm ergo per deliberationem perceperit ratio, quod diſcredere eſt contra præceptum Dei; efficietur mortale, ſi diſcredat.

In eo verò quod inhæret rationibus æternis tanquam medio, eas conſulendo; non poteſt eſſe peccatum ex ſurreptione; quia ipſum conſilium deliberationem importat.

Poteſt tamen nihilominus etiam hoc modo in ratione ſuperiori eſſe peccatum veniale & mortale: in conſulendo enim quærimus, & per quid aliquid fieri poſſit, & per quid aliquid melius fiat.

Peccati mortalis & venialis differentia.

Dupliciter ergo in conſulendo rationes æternas, poteſt eſſe peccatum: vno modo inquantum ſecundùm huiuſmodi deliberationem acceptatur aliquid, quod eſt omnino contrarium fini, vt eo poſito non poſſit ad finem perueniri; & tunc eſt peccatum mortale: putà cùm aliquis deliberans fornicationem eſſe contra legem Dei, & nihilominus eam eligit, peccat mortaliter.

Cùm verò acceptatur aliquid quod non excludit finem; ſed tamen ſine eo melius ad finem perueniri poſſit; quia in aliquo retardat à fine, vel diſponit ad contrarium finis; tunc eſt peccatum veniale; putà cùm aliquis dicit verbum otioſum etiam deliberans, quod eſt peccatum veniale diſponens ad mortale, & in aliquo deficiens à rectitudine iuſtitiæ, quæ ducit ad Deum.

Ad 1. R. quòd circa finem poteſt eſſe inordinatio dupliciter; aut quia receditur à fine, & hoc eſt peccatum mortale; aut quia acceptatur aliquid à fine retardans, & hoc eſt peccatum veniale.

Ad 2. R. quòd deliberatus conſenſus non cauſat Dei contemptum, niſi illud in quod conſentit acceptetur vt contrarium Deo.

Ad 3. R. quòd infirmitas immutans naturalem complexionem cordis aut aliquid ab eo abijciens, ſemper eſt mortalis. Sed infirmitas inducens inordinationem aliquam in motu eius, non ſemper eſt mortalis. Et ſimiliter peccatum auferens charitatem à ſuperiori ratione eſt mortale; non autem peccatum quod facit inordi-

nationem in aliquo actu. *In quaeſt. diſp. q. 7. de malo. art. 5.*

PROVERB. *Cap. 4. v. 25.*

Oculi tui videant recta, & palpebrae tuae praecedant greſſus tuos.

HOc pertinet ad prudentiam; & contrarium huius agitur per inconſiderationem; ergo inconſideratio eſt ſpeciale peccatum ſub imprudentia contentum. *22. q. 53. art 4. in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap. 3. v. 5.*

PROVERB. *Cap. 5. v. 22.*

Iniquitates ſuae capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum constringitur.

VIdetur quòd haec non ſit forma ſacramenti pœnitentiae, *ego te abſoluo*; formae enim ſacramentorum ex inſtitutione Chriſti & Eccleſię vſu habentur: ſed Chriſtus non legitur hanc formam inſtituiſſe; ergo.

Sed contra eſt quòd ſicut Dominus dicit diſcipulis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*; ita dixit Petro, *Quodcumque ſolueris ſuper terram*: Sed ſacerdos auctoritate illorum verborum Chriſti fretus dicit, *Ego te baptizo*; Ergo eadem auctoritate dicere debet in ſacramento pœnitentiae, *Ego te abſoluo.*

Matt. 28 v. 19.
Matt. 16 v. 19.

Dicendum quòd in qualibet re perfectio attribuitur formae. Hoc autem ſacramentum perficitur per ea quae ſunt ex parte ſacerdotis. Vnde oportet quòd ea quae ſunt ex parte pœnitentis, ſiue ſint verba, ſiue facta; ſint quaedam materia huius ſacramenti: ea verò quae ſunt ex parte ſacerdotis, ſe habeant per modum formae.

Cùm autem ſacramenta nouae legis efficiant quod figurant; oportet quòd forma ſacramenti ſignificet id quod in ſacramento agitur proportionaliter materiae ſacramenti. Vnde forma baptiſmi eſt, *Ego te baptizo*, & forma confirmationis eſt, *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*; eo quòd huiuſmodi ſacramenta perficiuntur in vſu materiae.

De forma ſacramẽti pœnitentiae.

In ſacramento autem Euchariſtiae, quod conſiſtit in ipſa conſecratione materiae, exprimitur veritas conſecrationis, cùm dicitur, *hoc eſt Corpus meum.*

Sacramentum autem pœnitentiae non conſiſtit in conſecratione alicuius materiae, nec in vſu alicujus materiae ſanctificatae; ſed magis in remotione cuiuſdam materiae, ſcilicet peccati, prout peccata dicuntur eſſe materia pœnitentiae.

Talis autem remotio ſignificatur à ſacerdote cùm dicitur, *Ego te abſoluo*: nam peccata ſunt quaedam vincula, vt patet *in textu*. Vnde patet quòd haec eſt conuenientiſſima forma huius ſacramenti, *Ego te abſoluo.*

Ad argum. R. quòd iſta forma aſſumitur ex ipſis verbis Chriſti, quibus Petro dixit, *Quodcumque ſolueris ſuper terram.* Et tali formâ Eccleſia vtitur in ſacramentali abſolutione.

Matt. 16 v. 19.

Nota quòd ſolus Deus per auctoritatem & à peccato abſoluit, & peccatum remittit. Sacerdotes tamen vtrumque faciunt per mi-

Digitized by Google

niſterium, inquantum ſcilicet verba ſacerdotis in hoc ſacramento inſtrumentaliter operantur in virtute diuina, ſicut etiam in alijs ſacramentis,

Nam virtus diuina eſt quæ interiùs operatur in omnibus ſacramentalibus ſignis, ſiue ſint res, ſiue verba. Vnde & Dominus expreſſit vtrumque; nam dixit Petro,
Matt.16 v.19. *Quodcumque ſolueris ſuper terram*
Ioan.10 v. 23. *&c.* Et, dixit diſcipulis, *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* Ideo tamen Sacerdos potiùs dicit. *Ego te abſoluo*, quàm *Ego tibi peccata remitto*; Quia hoc magis congruit verbis quæ Dominus dixit, virtutem clauium oſtendens, per quas ſacerdotes abſoluunt,

Quia tamen ſacerdos ſicut miniſter abſoluit, conuenienter apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, ſcilicet vt dicatur, *Ego te abſoluo in nomine patris. &c.*

Quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti ſicut in baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio ſacerdotis. *3. p. q. 84. art. 3.*

PROVERB. *Cap. 6. v. 1.*

Fili, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam.

Videtur quòd non liceat Epiſcopo propter aliquam perſecutionem temporalem, corporaliter deſerere gregem ſibi cōmiſſum;
Ioan.10 v. 12. dicit enim Dominus quòd *Ille eſt mercenarius & non verè paſtor, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.*

2. Spondere pro amico, eſt animam alienam in periculo ſuæ conuerſationis accipere; vt patet *in textu*, nam poſtea ſubdit, *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum:* ſed hoc non poteſt facere Epiſcopus, ſi corporaliter deſerat gregem.

Sed contra eſt quòd Apoſtolis, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, mandauit Dominus, *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* *Matt. 10 v. 23.*

Dicendum quòd in qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis. Obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum paſtorale officium, propter ſubditorum ſalutem. Et ideo vbi ſubditorum ſalus exigit perſonæ paſtoris præſentiam, non debet paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere; neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens; cùm bonus paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ouibus ſuis. *Quomodo liceat Epiſcopo deſerere gregem.*

Si verò ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia paſtoris per alium prouideri; tunc licet paſtori vel propter aliquod Eccleſiæ commodum, vel propter perſonæ periculum, corporaliter gregem deſerere.

Cùm autem omnium eſt commune periculum, ſi qui alijs indigent, non deſerantur ab his quibus indigent.

Ad 1. R. quòd ille tanquam mercenarius fugit, qui commodum temporale. vel etiam ſalutem corporalem ſpirituali ſaluti proximorum præponit. Ille autem qui ad euitandum periculum recedit abſque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit.

Ad 2.

Ad 2. R. quòd ille qui ſpondet pro aliquo, ſi per ſe implere non poſſit; ſufficit vt per alium impleat. Vnde prælatus ſi habet impedimentum, propter quod non poſſit perſonaliter curæ ſubditorum intendere; ſuæ ſponſioni ſatisfacit, ſi per alium prouideat.

Nota quòd ille qui ad Epiſcopatum aſſumitur, aſſumit ſtatum perfectionis ſecundùm aliquod perfectionis genus, à quo ſi impediatur, ad aliud genus perfectionis non tenetur, vt ſcilicet neceſſe ſit eum ad ſtatum religionis tranſire.

Imminet tamen ſibi neceſſitas, vt animum retineat intendendi proximorum ſaluti, ſi opportunitas adſit, & neceſſitas requirat. 2. 2. q. art. 5.

PROVERB. *Cap. 6. v. 2.*

Illaqueatus es verbis oris tui.

Voti deſcriptio.

VOtum ſuo nomine obligationem quandam exprimit ex voluntate factam. Et quia voluntate non poteſt aliquis obligari, niſi ei qui eſt voluntatis cognitor, quod ſolius Dei eſt: ideo ex conſequenti importat obligationem Deo factam, & ex conſequenti de his quæ ad eum ſpectant, cùm perſonæ obligatio alicui facta, de his quæ ad Deum non ſpectant, nulla ſit: obligatio autem homini exteriùs fit verbo exteriùs expreſſo: Vnde dicitur in textu, *Illaqueatus es verbis oris tui.* Et ideo ei qui cor intuetur, oportet quòd fiat obligatio voluntaria interiori verbo: & ideo oportet quod fiat per actum illius potentiæ, cujus eſt verbum interius enuntiare, quod eſt rationis. Et ideo ipſe actus rationis qui eſt promiſſio, eſt eſſentialiter votum.

Quòd enim promiſſio ſit rationis actus, patet tum ex hoc quod eſt enuntiatio quædam, tum ex hoc quòd promittens rem promiſſam ad alterum ordinat. Omnis autem ordinatio rationis eſt: promiſſio autem exteriùs facta, quandoque dicitur nuda, quando non habet aliquid additum quod obligationem confirmet: & tunc non habet plenam vim obligandi.

Similiter etiam promiſſio interiùs facta Deo ad hoc, quod plenam vim obligandi habeat; oportet quòd non ſit nuda, ſed habeat aliquid quod confirmetur. Et hæc quidem confirmatio per tria gradatim habet fieri. *Primò* per deliberationem ſimplicem. *Secundò* per intentionem obligandi ſe ad certam pœnam. *Tertiò* per hoc quòd teſtimonium hominum adhibetur promiſſioni interiori.

Et ſic de voto dantur plures diffinitiones ſecundùm diuerſa eorum quæ requiruntur ad votum in diffinitionibus illis comprehenſa; & poſſent adhuc multò plures dari. Diffinitio tamen quam Magiſter ponit, videtur eſſe perfectiſſima; quia ponit & promiſſionem quæ eſt eſſentialiter votum; & tangit voluntatem, in hoc quod dicitur, *Spontanea*, quæ eſt cauſa obligationis; & confirmationem vltimam promiſſionis, quæ alias includit in hoc quod dicit, *Teſtificatio*; & voti terminum; quia eſt actus ad alterum, in hoc quod dicit *Quia debet Deo fieri*: Et materiam, in hoc quod dicit, *Quod eſt de his quæ Dei ſunt. Lib. 4 ſent.*

Digitized by Google

ergo apoſtaſia pertinet ad infidelitatem.

Dicendum quòd apoſtaſia importat retroceſſionem quandam à Deo. Quæquidem diuerſimodè fit ſecundùm diuerſos modos quibus homo Deo coniungitur. *Primò* namque coniungitur homo Deo per fidem. *Secundò* per debitam & ſubiectam voluntatem ad obediendum præceptis eius. *Tertiò* per aliqua ſpecialia ad ſupererogationem pertinentia, ſicut per religionem & clericaturam, vel ſacrum ordinem. Remoto autem poſteriori remanet prius; ſed non conuertitur.

Apoſtaſia triplex.] Contingit ergo aliquem apoſtatare à Deo, retrocedendo à religione quàm profeſſus eſt, vel ab ordine quem ſuſcepit: & hæc dicitur apoſtaſia religionis ſeu ordinis.

Contingit etiam aliquem apoſtatare à Deo per mentem repugnantem diuinis mandatis. Quibus duabus apoſtaſijs exiſtentibus, adhuc poteſt remanere homo Deo coniunctus per fidem. Sed ſi à fide diſcedat, tunc omnino à Deo retrocedere videtur.

Et ideo ſimpliciter & abſolutè eſt apoſtaſia, per quam aliquis diſcedit à fide, quæ vocatur apoſtaſia per fidem. Et ſecundùm hunc modum apoſtaſia ſimpliciter dicta ad infidelitatem pertinet.

Ad 1. R. quòd obiectio illa procedit de ſecunda apoſtaſia, quæ importat voluntatem à mandatis Dei reſilientem, quæ inuenitur in omni peccato mortali.

Ad 2. R. quòd ad fidem pertinet non ſolùm credulitas cordis, ſed etiam proteſtatio exterioris fidei per exteriora v[illegible] Nam confeſſio eſt ac[illegible] per hunc etiam modu[illegible] exteriora verba vel ope[illegible] delitatem pertinent, inquantum ſunt infidelitatis ſigna, per modum quo ſignum ſanitatis ſanum dicitur.

Auctoritas autem inducta in argum. etſi poſſit intelligi de omni apoſtaſia; veriſſimè tamen contingit in apoſtaſia à fide. Quia enim fides eſt primum fundamentum rerum ſperandarum, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ſublatâ fide nihil remanet in homine, quod poſſit eſſe vtile ad ſalutem æternam. Et propter hoc dicitur *in textu, Homo apoſtata vir inutilis*; fides enim eſt vita animæ, ſecundùm illud, *Iuſtus ex fide viuit.* Rom. 1. v. 17.

Sicut ergo ſublatâ vitâ corporali, omnia membra & partes hominis à debita diſpoſitione recedunt, ita ſublatâ vitâ iuſtitiæ, quæ eſt per fidem; apparet inordinatio in omnibus membris. Et *primò* quidem in ore, per quod maximè manifeſtatur cor: *ſecundò* in oculis: *tertiò* in inſtrumentis motiuis: *quartò* in voluntate quæ ad malum tendit. Et ex his ſequitur quòd iurgia ſeminet, alios intendens ſeparare à fide ſicut & ipſe receſſit.

Ad 3. R. quòd ſpecies alicuius qualitatis vel formæ, non diuerſificatur per hoc quod eſt terminus motus à quo, vel ad quem: ſed potius è conuerſo ſecundùm terminos motuum ſpecies attenduntur.

Apoſtaſia autem reſpicit infidelitatem vt terminum ad quem eſt motus recedentis à fide: Vnde

peccatum ſpirituale : ſit maioris culpæ quolibet peccato carnali. Sed quia conſideratâ hac ſolâ differentiâ ſpiritualitatis & carnalitatis grauiora ſunt quàm cætera peccata ; cæteris paribus. Cujus ratio triplex poteſt aſſignari.

Prima quidem ex parte ſubjecti : nam peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, cujus eſt conuerti ad Deum, & ab eo auerri : peccata verò carnalia conſummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet ad bonum corporale conuerti. Et ideo peccatum carnale, inquantum huiuſmodi, habet plus de conuerſione ; propter quod etiam eſt majoris adhæſionis.

Sed peccatum ſpirituale habet plus de auerſione, ex qua procedit ratio culpæ. Et ideo peccatum ſpirituale, inquantum huiuſmodi, eſt majoris culpæ.

Secunda ratio poteſt ſumi ex parte eius, in quem peccatur : nam peccatum carnale, inquantum huiuſmodi, eſt in corpus proprium, quod eſt minùs diligendum, ſecundùm ordinem charitatis, quàm Deus & proximus ; in quos peccatur per peccata ſpiritualia : Et ideo peccata ſpiritualia, inquantum huiuſmodi, ſunt majoris culpæ.

Tertia ratio Poteſt ſumi ex parte motiui ; quia quantò eſt grauius impulſiuum ad peccandum, tantò homo minus peccat. Peccata autem carnalia habent vehementius impulſiuum, id eſt, ipſam concupiſcentiam carnis nobis innatam. Et ideo peccata ſpiritualia, inquantum huiuſmodi, ſunt majoris culpæ.

Ad argum. R. quòd adulterium non ſolùm pertinet ad peccatum luxuriæ, ſed etiam pertinet ad peccatum iniuſtitiæ : & quantùm ad hoc poteſt ad auaritiam reduci. Et tunc grauius eſt adulterium, quàm furtum ; quantò homini charior eſt vxor, quàm res poſſeſſa. 12. *q.* 73. *art.* 5.

Non grandis eſt culpa cùm quis furatus fuerit. Videtur quod furtum non ſit peccatum mortale; hoc patet *in textu* : nam omne peccatum mortale eſt grandis culpa.

Sed contra eſt quòd nullus damnatur ſecundùm diuinum iudicium niſi pro peccato mortali : condemnatur autem aliquis pro furto, ſecundùm illud *Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ ; quia omnis fur iudicatur* ; ergò furtum eſt peccatum mortale. *Zach.* 5. *v.* 3.

Dicendum quòd peccatum mortale eſt quod contrariatur charitati, ſecundùm quod eſt ſpiritualis animæ vita. Charitas autem conſiſtit principaliter quidem in dilectione Dei, ſecundariò verò in dilectione proximi ; ad quam pertinet vt proximo bonum velimus, & operemur. Peccatum mortale deſcribitur.

Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in ſuis rebus : & ſi paſſim homines ſibi inuicem furarentur, periret humana ſocietas. Vnde furtum tanquam contrarium charitati, eſt peccatum mortale.

Ad argum. R. quòd furtum dicitur non eſſe grandis culpa ; dupliciratione. *Primò* quidem propter neceſſitatem inducentem ad furandum ; quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam. Vnde ſubditur, *Furatur enim vt eſurientem impleat*

animam.

Alio modo dicitur furtum non eſſe grandis culpa per comparationem ad reatum adulterij, quòd punitur morte. Vnde ſubditur de fure quòd *De prehenſus reddet ſeptuplum; qui autem adulter eſt perdet animam ſuam.* 22. q. 66. art. 6. *Vid.* 22. q. 118, *art.* 5. *in corpore.*

PROVERB. *Cap. 7. v. 10.*

Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, preparata ad decipiendas animas.

VIdetur quòd ornatus mulierum non ſit ſine peccato mortali: omne enim quod eſt contra præceptum diuinæ legis, eſt peccatum mortale: ſed ornatus mulierum eſt contra præceptum diuinæ legis, dicitur enim; *Quarũ,*
1. Pet. 3. v. 3. ſcilicet mulierum, *ſit non extrinſecus capillatura aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus:* Sed hoc non fit niſi per peccatum mortale; ergo ornatus mulierum non poteſt eſſe ſine peccato mortali.

2. Sicut non congruit mulieri quòd veſte virili vtatur; ita etiam ei non competit quòd inordinato ornatu vtatur: ſed primum eſt
Deut. 22 v. 5. peccatum; dicitur enim *Non induatur mulier veſte virili, nec vir veſte muliebri*; ergo etiam videtur quòd ſuperfluus ornatus mulierum ſit peccatum mortale.

Sed contra eſt, quia ſecundùm hoc videretur quòd artifices huiuſmodi ornamenta præparantes mortaliter peccarent.

Dicendum quòd mulier poteſt licitè operam dare ad hoc quòd viro ſuo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur. Vnde dicitur quòd *Mulier quæ* 1. Cor. 7.
nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi; v. 37.
quomodo placeat viro.

Et ideo ſi mulier coniugata ad hoc ſe ornet vt viro ſuo placeat, poteſt hoc facere abſque peccato.

Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, & ſunt in ſtatu non habendi; non poſſunt abſque peccato appetere placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum; quia hoc eſt dare eis incentiuum peccandi.

Et ſi quidem hac intentione ſe ornent, vt alios prouocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quandam; non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale.

Et eadem ratio quantùm ad hoc, eſt de viris. Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad 2. R. quòd cultus exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundùm communem conſuetudinem. Et ideo de ſe vitioſum eſt quòd mulier vtatur veſte virili, aut è conuerſo; & præcipuè quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciuiæ: & ſpecialiter prohibetur in lege; quia Gentiles tali mutatione habitus vtebantur ad idololatriæ ſuperſtitionem.

Poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel causâ ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquid aliud hujuſmodi.

Ad argum. Sed contra R. quòd ſi qua ars eſt ad faciendum aliqua

opera quibus homines vti non poſſunt abſque peccato, per conſequens artifices talia faciendo peccarent; vt pote præbentes directè aliis occaſionem peccandi, putà ſi quis fabricaret idola vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.

Si qua verò ars ſit cujus operibus homines poſſunt bene & malè vti (ſicut gladij, ſagittæ, & alia huiuſmodi) vſus talium artium non eſt peccatum, & hæ ſolæ artes ſunt dicendæ.

Vnde Chryſoſt. dicit, eas ſolas artes oportet vocare, quæ neceſſariorum, & eorum quæ continent vitam noſtram, ſunt tributiuæ & conſtructiuæ.

Si tamen operibus alicuius artis vt pluries aliqui malè vterentur; quamuis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium principis à ciuitate extirpandæ.

Quia ergo mulieres licitè ſe poſſunt ornare, vel vt conſeruent decentiam ſui ſtatus; vel etiam aliquid ſuperaddere, vt placeant viris: conſequens eſt quòd artifices talium ornamentorum non peccant in vſu talis artis; niſi fortè inueniendo aliqua ſuperflua & curioſa.

Vnde Chryſoſt dicit quòd etiam ab arte calceorum & textorum multa abſcindere oportet. Etenim ad luxuriam deduxerunt, neceſſitatem eius corrumpentes, artem arti malè commiſcentes. 22. *q.* 169. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 6.

Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum.

QVia doctrina ſacra maximis rebus intendit, non eſt jocosè tractanda. 22. *q.* 168. *art.* 2. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 7.

Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium.

COnuenienter ex ore ſapientiæ duplex ſapientis officium in verbis propoſitis demonſtratur, ſcilicet veritatem diuinam, quæ anthonomaſticè eſt veritas, veritatem meditatam eloqui; quod tangit cùm dicit, *Veritatem meditabitur guttur meum.* Et errorem contra veritatem impugnare, quod tangit cùm dicit, *Et labia mea deteſtabuntur impium.* Per quod falſitas contra diuinam veritatem deſignatur quæ religioni contraria eſt, quæ pietas nominatur. Vnde etiam falſitas contraria ei, impietatis ſibi nomen aſſumit. *In procemio lib.* 1. *contra Gentiles.*

Idem locus citatur infra *Eccl. cap.* 24. *v.* 26.

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 8.

Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum.

CItatur 22. *q.* 105. *art.* 3. *ſed contra.* Et 22. *q.* 34. *art.* 3. *ad primum.*

Digitized by Google

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 15.

Per me reges regnant.

OMnis lex à lege æterna deriuatur, vt patet in textu. 12. *q.* 93. *art* 3.

Per me reges regnant. Leges humanæ ſi ſint iuſtæ, habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua deriuantur, vt patet *in textu.* Dicuntur autem leges iuſtæ & ex fine quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune: & ex actore quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis: & ex forma, quando ſcilicet ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera ordine ad bonum commune, 12. *q.* 69. *art.* 4. *in corpore.* — Legis iuſtæ conditiones.

Idem locus citatur 12. *q.* 96 *art.* 6. *ad tertium.*

Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Videtur quòd non omnis prælatio ſit à Deo; nihil enim quod à Deo fit, peruersè fit: ſed quidam ad prælationem peruersè perueniunt, vt Simoniaci & violenti; ergo non omnis prælatio eſt à Deo.

2. *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*: Sed in aliquibus prælationibus eſt inordinatio; quia ordinem iuſtitiæ non ſequitur; ergo non omnis prælatio eſt à Deo. — *Rom.* 13. *v.* 1.

3. Probat Apoſtolus quòd poteſtati non eſt reſiſtendum; quia *poteſtas eſt à Deo*: ſed poteſtati alicuius prælationis eſt reſiſtendum, ſcilicet dæmonis; ergo non omnis prælatio eſt à Deo. — *Rom* 13. *v.* 1.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu.* Præterea dicitur, *Non eſt poteſtas niſi à Deo*: Sed omnis prælatio in aliqua poteſtate fundatur; ergo omnis prælatio eſt à Deo. — *Rom.* 13. *v.* 1.

Dicendum quòd in prælatione tria poſſunt conſiderari, *primum* eſt ipſe prælationis ordo, quo quidam alijs præferuntur, quod ad pulchritudinem vniuerſi pertinet, & quoddam bonum eſt; vnde eſt diuinæ ſapientiæ effectus. *Secundum* eſt modus quo ad prælationem peruenitur, qui quandoque malus eſt, & non eſt à Deo; quandoque verò bonus, & à Deo. *Tertium* eſt prælationis vſus, qui quando bonus eſt, à Deo eſt; non autem quando eſt malus. — Omnis poteſtas eſt à Deo.

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit de modo adipiſcendi prælationem.

Ad 2. R. quòd ratio illa procedit de vſu prælationis.

Ad 3. R. quòd Diabolo conceditur à Deo poteſtas, tanquam hoſti ad impugnandum; ad exercitandum, non tanquam regi ad gubernandum; & ideo eſt ei reſiſtendum. *Lib.* 2. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 44. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 17.

Ego diligentes me diligo.

QVæritur quem Chriſtus plus dilexerit, Petrum, vel Ioannem. Dicendum quòd Petrus plus dilexit Chriſtum dilectione quæ ab ipſo in membra diffunditur: ſed Ioannes plus dilexit dilectione quæ in Chriſto ſiſtit. Et ideo Petro Dominus commiſit curam membrorum; Ioanni autem curam matris, quæ ad perſonam eius ſpecialiùs ſpectabat. — De amore Petri & Ioannis.

Vnde & Petrus à Chriſto plus diligeba-

diligebatur quantùm ad affectum interiorem; quia donum majoris charitatis erat ei tunc collatum. Sed Ioannes magis diligebatur, quantùm ad ſigna exterioris familiaritatis. Et hoc propter quatuor cauſas: primò, quia per Ioannem ſignificatur vita contemplatiua, quæ familiariorem habet Deum; quamuis actiua ſit fructuoſior & laborioſior, quæ ſignificatur in Petro.

Ioannes magis diligebatur propter quatuor.

Secundò, propter ætatem; quia iuuenis erat. *Tertiò* propter caſtitatem *Quartò*, propter ingenitam manſuetudinem. *Lib. 3. ſent. Diſt. 31. q. 2. art. 3. q. 3.*

Ego diligentes me diligo. Videtur quòd Deus diligat plus iuſtum præſcitum, quàm peccatorem prædeſtinatum: nam iſte peccator prædeſtinatus non amat Deum, quem amat iuſtus præſcitus; ergo plus diligit iuſtum præſcitum, quàm peccatorem prædeſtinatum.

2. Magis bonum Deus magis diligit: ſed iſte iuſtus eſt magis bonus quàm ille peccator; ergo magis à Deo diligitur.

Peccator prædeſtinatus plus diligitur à Deo, quàm iuſtus præſcitus.

Sed contra, dilectio cauſa eſt dilectionis: ſed peccatorem prædeſtinatum Deus elegit; ergo magis diligit eum, quam iuſtum præſcitum quem non elegit.

Præterea, illum magis diligit, cui majus bonum vult: ſed peccatori prædeſtinato vult majus bonum; quia vitam æternam; ergo magis eum diligit.

Dicendum quòd Deus ſimpliciter loquendo, majus vult bonum peccatori prædeſtinato, quàm iuſto præſcito: ſed vt nunc vult iuſto præſcito. Hæc autem determinatio, *vt nunc*, non cadit ex parte dilectionis, ſed magis ex parte objecti; quia dilectio Dei non variatur per tempora: ab æterno enim iſti prædeſtinato voluit majus bonum. Vnde ſimpliciter concedendum eſt quòd magis diligit prædeſtinatum, quàm præſcitum.

Et per hoc patet reſponſio ad objecta; quia procedunt vt nunc. *Lib. 3. ſent. Diſt. 33. q. 1. art. 5.*

Ego diligentes me diligo. Deus diligit diligentes ſe; non tamen ita quòd dilectio ſe diligentium ſit ratio quare ipſe diligat; ſed potiùs è conuerſo. *In quæſt. Diſp. q. 27. art. 2. ad primum.*

Ego diligentes me diligo. Quicumque eſt ſine peccato mortali, diligitur à Deo; quia charitatem habet qua Deum diligit: Deus autem diligentes ſe diligit, vt patet in textu. *22. q. 45. art. 5. ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 2. Paralip. cap. 1. v. 12. Vid. lib. 3. contra Gentiles cap. 154. lib. 4. contra Gentiles cap. 21. & 12. q. 65. art. 5.*

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 18.

Mecum ſunt opes ſuperbæ.

ARguitur, Nihil quod eſt ex ordinatione diuina, eſt peccatum: ſed ſuperbia eſt ex ordinatione diuina; dicitur enim *Ponam te in ſuperbiam ſeculorum*; & in textu, *Mecum ſunt opes ſuperbæ*: ergo ſuperbia non eſt ſpeciale peccatum. Eſa. 60. v. 15.

Ad argum. R. quòd ſuperbia poteſt *vno modo* dici ex eo quòd ſuperexcedit regulam rationis. Et ſic ſemper ſuperbia eſt peccatum; & ita communiter accipitur.

Superbia duplex. *Alio modo* poteſt dici ſuperbia ex eo quòd ſuperexcedit aliquid aliud. Et ſic poteſt eſſe ſuperbia bona: ſicut cùm aliquis vult operari opera conſiliorum, quæ ſuperexcedunt communia opera præceptorum.

Vel poteſt dici, quòd cùm dicitur, *Ponam te in ſuperbiā ſeculorum*, accipitur ſuperbia materialiter, id eſt, dabo tibi magnam excellentiam, de qua homines ſeculi ſuperbiunt.

Et ſimiliter poteſt intelligi quòd dicitur opes ſuperbæ, id eſt, de quibus ſolent homines ſuperbire. *In quaſt. diſp. q.* 8. *de malo art.* 2. *ad decimum ſeptimum.*

Sap. 5. v. 8. *Mecum ſunt opes ſuperbæ.* Arguitur, Iactantia ex diuitijs cauſari videtur, vnde dicitur *Quid nobis profuit ſuperbia, diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sed ſuperfluitas diuitiarum videtur pertinere ad peccatum auaritiæ, quod opponitur iuſtitiæ vel liberalitati; non ergo jactantia opponitur veritati.

Ad argum. R. quòd opulentia etiam jactantiam cauſat dupliciter: *vno modo* occaſionaliter, inquantum de diuitijs aliquis ſuperbit; vnde ſignanter dicitur in textu, *Opes ſuperbæ*.

Alio modo per modum finis; quia aliqui ſe ipſos iactant, non ſolùm propter gloriam, ſed etiam propter lucrum; qui de ſeipſis fingunt ea, ex quibus lucrari poſſunt; putà quòd ſint medici, vel ſapientes, vel diuini. 22. *q.* 112. *art.* 1. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 22.

Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.

HOc dicitur ex perſona ſapientiæ genitæ: ſed Angeli facti ſunt à Deo, & omne id quod præter Deum eſt; ſolus enim Deus eſt ſuum eſſe: in omnibus autem alijs differt eſſentia rei & eſſe eius; ergo Angeli & aliæ creaturæ aliquando non fuerunt. 1. *p. q.* 61. *art.* 1. & 2.

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 24.

Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram &c.

VIdetur quòd mundus ſemper fuerit; nam Deus non denegauit alicui creaturæ id cuius eſt capax ſecundùm ſuam naturam: ſed aliquæ creaturæ ſunt, quarum natura eſt capax vt ſemper fuerit, ſicut cœlum; ergo videtur quòd hoc fuerit cœlo collatum vt ſemper eſſet.

Sed cœlo exiſtente oportet ponere alias creaturas eſſe; ergo videtur quòd mundus fuerit ſemper.

Sed contra eſt quod dicitur in textu.

Ad argum. R. quòd bonitatis proprium eſt producere res in eſſe, mediante voluntate cuius eſt objectum. Vnde non oportuit quòd quandocumque fuit diuina bonitas, res producerentur in eſſe, ſed ſecundùm diſpoſitionem voluntatis diuinæ. *In quaſt. diſp. q.* 3. *de potentia art.* 17. *ad ſecundum.*

Et ego iam concepta eram. Eſt differentia inter conceptionem

Verbi Dei, & materialem conceptionem quæ apud nos in animalibus inuenitur. Nam proles quandiu concepta eſt, & in vtero clauditur, nondum habet vltimam perfectionem vt per ſe ſubſiſtat à generante ſecundùm locum diuerſa.

Vnde oportet quòd in corporali generatione animalium, aliud ſit genitæ prolis conceptio; atque aliud partus ipſius, ſecundùm quem etiam loco ſeparatur proles genita à generante ab vtero generantis egrediens.

Verbum autem Dei in ipſo Deo dicente exiſtens, eſt perfectum in ſe ſubſiſtens, diſtinctum à Deo dicente: non enim expectatur ibi localis diſtinctio; quia ſolâ relatione diſtinguuntur.

Idem eſt ergo in generatione Verbi Dei conceptio & partus: & ideo poſtquam ex ore ſapientiæ dictum eſt, *Ego iam concepta eram*, poſt pauca ſubditur, *Ante colles ego parturiebar. Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 11. *Vid.* 1. *p. q.* 27. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 8. *v.* 30.

Cum eo eram cuncta componens.

Citatur infra Eccli. *cap.* 24. *v.* 40. *& lib.* 4. *Contra Gentiles cap.* 7 *&* 13.

Delectabar per ſingulos dies. Explicatur ſupra *Geneſis cap.* 6. *v.* 7.

PROVERB. *Cap.* 9. *v.* 1.

Sapientia ædificauit ſibi domum.

Arguitur, Eſt ſapientia Dei ipſe Chriſtus ſecundùm illud, *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*: Domus autem huius ſapientiæ eſt corpus Chriſti, quod etiam dicitur templum eius, ſecundùm illud, *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui*; Ergo videtur quòd efficere conceptionem corporis Chriſti, debet præcipuè attribui filio, non ergo Spiritui ſancto.

1. Cor. 1. v. 24. *Ioan. 2. v. 21.*

Ad argum. R. quòd quæſtio iſta gemina ratione poteſt intelligi. Primùm enim domus Chriſti Eccleſia eſt, quam ædificauit ſibi ſanguine ſuo. *Domus duplex Chriſti.*

Deinde poteſt & corpus eius dici domus ipſius, ſicut dicitur templum eius.

Factum autem Spiritus ſancti opus filij Dei eſt, propter naturæ & voluntatis vnitatem. 3. *p. q.* 32. *art.* 1. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 9. *v.* 2.

Miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.

Auctoritates quæ ciborum vſum poſt reſurrectionem repromittere videntur, ſpiritualiter intelligendæ ſunt: proponit enim nobis diuina ſcriptura intelligibilia ſub ſimilitudine ſenſibilium, vt animus noſter ex his quæ nouit diſcat incognita amare.

Et ſecundùm hunc modum delectatio quæ eſt in contemplatione ſapientiæ, & aſſumptio veritatis intelligibilis in intellectum noſtrum, per vſum ciborum in ſacra ſcriptura conſueuit deſignari, vt patet *in textu*: Et, *venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Et, *Cibabit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Non igitur prædictæ auctoritates cogunt dicere quòd reſurgentes *Prou. 9. v. 5.* *Eccli. 15 v. 3.*

Digitized by Google

cibis vtantur. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 83.*

PROVERB. *Cap. 9. v. 3.*

Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem.

ALiæ ſcientiæ dicuntur ancillæ ſacræ doctrinæ, vt patet *in textu*; ergo ſacra doctrina eſt dignior alijs ſcientijs. 1. *p. q.* 1. *art.* 5. *ſed contra.*

Idem locus citatur *Contra Gentiles lib. 3. cap. 50.*

PROVERB. *Cap. 9. v. 5.*

Venite comedite panem meum.

Luca. 22 v. 19. DOminus dicit, *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*; quod quidem de corporali cibo & potu non poteſt intelligi, ſed de eo qui in menſa ſapientiæ ſumitur, vt patet *in textu.*

Super menſam ergo Dei manducant & bibunt, qui eadem felicitate fruuntur, qua Deus felix eſt, videntes eam illo modo quo ipſe videt ſeipſum. *Contra Gentiles. lib. 3. cap. 51.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap. 9. v. 2.*

Bibite vinum quod miſcui vobis, Videtur quòd aqua non ſit vino permiſcenda in ſacramento Euchariſtiæ; nam diuerſorum ſacramentorum diuerſæ ſunt materiæ: ſed aqua eſt materia baptiſmi; ergo non debet aſſumi ad materiam hujus ſacramenti

2. Panis & vinum ſunt materia huius ſacramenti: ſed pani nihil adiungitur; ergo nec vino debet aliquid adiungi.

Dicendum quòd vino quod offertur in hoc ſacramento, debet aqua miſceri. *Primò* quidem, propter inſtitutionem; probabiliter enim creditur quòd Dominus hoc ſacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, ſecundùm morem illius terræ, vt patet *in textu.*

Secundò, quia hoc conuenit repræſentationi dominicæ paſſionis; Ioan. 19 v. 34. quia vtrumque ex latere Chriſti in paſſione ſua profluxiſſe legitur.

Tertiò quia hoc conuenit ad ſignificandum effectum huius ſacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti; ergo cùm in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. *Aqua vino miſcetur in calice propter quatuor.*

Quartò, quia hoc competit ad vltimum effectum huius ſacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam, propter id quod dicitur, *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. 4. v. 14.

Ad 1. R. quòd aqua aſſumitur in baptiſmo ad vſum ablutionis. In hoc autem ſacramento aſſumitur ad vſum refectionis, ſecundùm illud *Super aquam refectionis educauit me.* Pſal. 22. v. 2.

Ad 2. R. quòd panis ex aqua & farina conficitur. Et ideo cum vino aqua miſcetur, neutrum ſine aqua exiſtit. 3. *p. q.* 74. *art.* 6.

PROVERB. *Cap. 9. v. 8.*

Noli arguere deriſorem, ne oderit te.

INter alias circumſtantias quæ requiruntur ad actum virtutis, iſta videtur eſſe præcipua, vt actus ſit proportionatus fini quem vir-

tus intendit.

Charitas autem intendit in corrigendo delinquentem, emendationem: vnde actus non eſſet virtuoſus ſi homo ſic corrigeretur, & inde efficeretur deterior.

Et ideo ſapiens dicit *Noli arguere deriſorem*; non enim eſt timendum ne tibi deriſor cùm arguitur contumelias inferat: ſed hoc potiùs prouidendum ne tractus ad odium inde fiat peior. *In quæſt. diſp. q. vnica de correctione fraterna art. 1. ad primum.*

PROVERB. *Cap. 9. v. 17.*

Aquæ furtiuæ dulciores ſunt.

EXplicatur ſupra *Numeror. cap. 4. v. 12.*

PROVERB. *Cap. 10. v. 12.*

Odium ſuſcitat rixas.

Iac. 4. v. 1. VIdetur quòd rixa non ſit filia iræ; dicitur enim *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis quæ militant in membris veſtris?* Sed ira non pertinet ad concupiſcibilem; ergo rixa non eſt filia iræ, ſed magis concupiſcentiæ.

Prou. 28 v. 25. 2. Dicitur, *Qui ſe iactat & dilatat, iurgia concitat*: ſed idem videtur eſſe rixa quòd iurgium; ergo videtur quòd rixa ſit filia ſuperbiæ, vel inanis gloriæ, ad quam pertinet ſe iactare & dilatare.

Prou 18. v. 6. 3. Dicitur, *Labia ſtulti immiſcent ſe rixis*: ſed ſtultitia differt ab ira; non enim opponitur manſuetudini, ſed magis ſapientiæ vel prudentiæ; ergo rixa non eſt filia iræ.

4. Dicitur in textu, *Odium ſuſcitat rixas*: ſed odium oritur ex inuidia; ergo rixa eſt filia inuidiæ.

5. Dicitur, *Qui meditatur diſcordias, ſeminat rixas*: ſed diſcordia eſt filia inanis gloriæ; ergo etiam & rixa. *Prou. 17 v. 19.*

Sed contra eſt quòd dicitur, *Vir iracundus prouocat rixas.* *Prou. 15 v. 18.*

Dicendum quòd rixa importat quandam contradictionem vſque ad facta peruenientem, dum vnus alterum lædere molitur. Dupliciter autem vnus alium cædere intendit: vno modo quaſi intendens abſolutè malum ipſius. Et talis læſio pertinet ad odium, cuius intentio eſt ad cædendum inimicum vel in manifeſto, vel in occulto. *De odio & rixa.*

Alio modo aliquis intendit alium cædere eo ſciente & repugnante, quod importatur nomine rixæ. Et hoc propriè pertinet ad iram, quæ eſt appetitus vindictæ; non enim ſufficit irato quòd latenter noceat ei contra quem iraſcitur: ſed vult quòd ipſe ſentiat, & quod contra voluntatem ſuam aliquid patiatur in vindictam eius quod facit. Et ideo rixa propriè oritur ex ira. *Iræ deſcriptio.*

Ad 1. R. quòd omnes paſſiones iraſcibilis ex paſſionibus concupiſcibilis oriuntur. Et ſecundùm hoc illud quod proximè oritur ex ira, oritur etiam ex concupiſcentia, ſicut ex radice.

Ad 2. R. quòd iactatio & dilatatio ſui, quæ fit per ſuperbiam vel inanem gloriam, non directè concitat iurgium aut rixam, ſed occaſionaliter, inquantum ſcilicet ex hoc concitatur ira, dum aliquis ſibi ad iniuriam reputat, quòd alter ei ſeſe præferat. Et ſic ex ira ſe-

Digitized by Google

quuntur iurgia & rixæ.

Ad 3. R. quòd ira impedit iudicium rationis: vnde habet ſimilitudinem cum ſtultitia. Et ex hoc ſequitur quòd habeant communem effectum: ex defectu enim rationis contingit quòd aliquis inordinatè alium lædere molitur.

Ad 4. R. quòd rixa, etſi quandoque ex odio oriatur; non tamen eſt proprius effectus odij; quia præter intentionem odientis eſt quòd rixosè & manifeſtè inimicum lædat. Quandoque enim etiam occultè eum lædere quærit: ſed quando videt ſe præualere cum rixa & iurgio, læſionem intendit. Sed rixosè aliquem cædere, eſt proprius effectus iræ.

Ad 5. R. quòd ex rixis ſequitur odium & diſcordia in cordibus rixantium. Et ideo ille qui meditatur, id eſt, qui intendit inter aliquos ſeminare diſcordias; procurat quòd ad inuicem rixentur.

Sicut quodlibet peccatum poteſt imperare actum alterius peccati, ordinando illum in ſuum finem. Sed ex hoc non ſequitur quòd rixa ſit filia inanis gloriæ propriè & directè. 22. *q.* 41. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 10. *v.* 12.

Vniuerſa delicta operit charitas.

Videtur quòd qui de peccatis omnibus contritus fuerit priùs, & poſtea in peccatum incidit; de alijs peccatis quæ ſibi per contritionem dimiſſa fuerant, ſatisfacere poſſit extra charitatem exiſtens; dixit enim Daniel Na-
Dan. 4. buchodonoſori, *Peccata tua elee-*
v. 24. *moſynis redime*: Sed ipſe adhuc peccator erat, quod ſequens pœna demonſtrat; ergo poteſt exiſtens in peccato ſatisfacere.

2. *Nemo ſcit an ſit dignus odio,* Eccle. 9.
vel amore; Si ergo non poſſet fieri v. 1.
ſatisfactio niſi ab eo qui eſt in charitate; nullus ſciret ſe ſatisfacere, & hoc eſt inconueniens.

3. Ex intentione quam homo habet in principio actus, totus actus informatur: ſed pœnitens quando pœnitentiam inchoauit, in charitate erat; ergo tota ſatisfactio ſequens ex illa charitate, intentionem eius informante, efficaciam habebit.

4. Satisfactio conſiſtit in quadam adæquatione pœnæ ad culpam: ſed talis adæquatio poteſt fieri in eo qui charitatem non habet; ergo.

Sed contra, *Vniuerſa delicta operit charitas*: Sed ſatisfactionis virtus eſt delere delicta; ergo ſine charitate non habet ſuam virtutem.

Præterea, præcipuum opus in ſatisfaciendo eſt eleemoſyna: ſed eleemoſyna extra charitatem facta
non valet, vt patet *Si diſtribuero in* 1. Cor. 13
cibos pauperum &c. ergo nec ſa- v. 3.
tisfactio aliqua eſt.

Dicendum quòd æqualitas quæ requiritur in ſatisfactione ad Deum, non eſt ſecundùm æquiualentiam, ſed magis ſecundùm acceptationem ipſius. Et ideo oportet quòd etſi jam offenſa ſit dimiſſa per præcedentem contritionem, quòd opera ſatisfactoria ſint Deo accepta, quod dat eis charitas; & ideo ſine charitate opera facta, non ſunt ſatisfactoria.

Ad 1. R. quòd conſilium Danielis intelligitur, quòd à peccato ceſſaret & pœniteret; & ſic per

Digitized by Google

186

eleemoſynas ſatisfaceret.

Ad 2. R. quòd ſicut homo neſcit pro certo vtrum charitatem habuerit in ſatisfaciendo, vel habeat; ita etiam neſcit pro certo, vtrum ſatisfecerit. Et ideo dicit,

Eccli. 5. v. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.*

Non tamen exigitur quòd propter hunc metum homo ſatisfactionem expletam iteret, ſi conſcientiam peccati mortalis non habet. Quamuis enim pœnam non expiet per huiuſmodi ſatisfactionem; tamen non incurrit reatum omiſſionis ex ſatisfactione neglecta. Sicut nec ille qui accedit ad Eucharistiam ſine conſcientia peccati mortalis cui ſubiacet, reatum indignæ ſumptionis incurrit.

Ad 3. R. quòd illa intentio interrupta eſt per peccatum ſequens: & ideo dat operibus vim aliquam poſt peccatum factis.

Ad 4. R. quòd non poteſt fieri adæquatio ſufficiens, nec ſecundùm diuinam acceptationem, nec ſecundùm æquiualentiam; & ideo ratio non ſequitur. *Lib. 4. ſent. diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2.

Vniuerſa delicta operit charitas. Videtur quòd gratiæ infuſio non requiratur ad iuſtificationem; non enim minus eſt iuſtificare quàm creare: ſed Deus creat ſine medio; ergo & iuſtificat ſine gratia media.

2. In contrarijs mediatis, vnum poteſt remoueri ſine hoc quòd alterum ponatur: ſed inter ſtatum gratiæ & culpæ, eſt medium innocentiæ ſtatus; ergo poteſt remoueri culpa per iuſtificationem ſine hoc quòd gratia infundatur.

Sed contra: nulli dimittitur peccatum, niſi ratione charitatis, vt patet *in textu*: Sed charitas non poteſt eſſe ſine gratia; quia numquam eſt informis; ergo nec remiſſio peccatorum poteſt fieri ſine gratiæ infuſione.

Dicendum quòd neceſſitas ponendi virtutum habitus in anima infuſos, eſt ex hoc quòd actus illi, qui homini neceſſarij ſunt ad vitam æternam conſequendam, ſunt ſupra humanæ naturæ facultatem; quia propriæ vires non ſufficiunt ad merendum infinitum bonum.

Sicut autem beatitudo futura infinitatem habet ex obiecto, & per conſequens facit actus ſuos meritorios aliquo modo infinitæ virtutis, vt ſint tali fini proportionati: ita offenſa in Deum commiſſa habet quandam infinitatem ex eo, in quem commiſſa eſt. Et ideo ad culpæ remiſſionem non ſufficit humana natura, & propter hoc, quo ad eius remiſſionem, ſicut ad merendum vitam æternam gratia infundatur.

Ad 1. R. quòd gratia in remiſſione culpæ non ſe habet ſicut agens medium, ſed ſicut cauſa formalis, qua peccatum remittitur: ſicut ignis frigus aufert, calorem in ſubjecto cauſando; non ſicut inſtrumentum, ſed ſicut forma contraria. Et in creatione etiam eſt forma naturalis, quâ res creata eſſe formaliter accipit, vel etiam ipſum quo eſt, quicquid ſit illud.

Ad 2. R. quòd quamuis ſecundùm conſecutionem argumenti non ſequatur poſitio gratiæ ad remotionem (id eſt, negationem) culpæ; tamen deſtructio culpæ prius exiſtentis non poteſt fieri niſi per gratiam; quia illa innocentiæ bonitas, quæ inter vtrum-

que media videtur, non ſufficeret ad hoc quòd dignum redderet immunitate ab infinita offenſa commiſſa priùs; quamuis ſuffecerit vt immunem redderet illum, in quo peccatum non præceſſit : in eo enim qui peccauit, requiritur non ſolùm quòd peccatum abſit actu; ſed etiam quòd peccatum priùs commiſſum expietur, & quodammodo tegatur; quod fieri non poteſt, niſi aliquo habente infinitam virtutem. *Lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 3.*

Vniverſa delicta operit charitas. Peccatum conſiſtit in quadam deordinatione animæ, ſicut morbus conſiſtit in quadam deordinatione corporis: Vnde peccatum eſt quaſi quidam morbus animæ : & hoc eſt venia peccato, quòd curatio morbo.

Peccati mortalis & venialis differentia. Sicut ergo ſunt quidam morbi curabiles, quidam incurabiles, qui dicuntur mortales: ita ſunt quædam peccata quaſi curabilia quæ dicuntur venialia : & quædam quantùm eſt de ſe incurabilia; licet à Deo curari poſſint, quæ dicuntur mortalia.

Dicitur autem morbus incurabilis & mortalis, per quem tollitur aliquod principium vitæ. Hoc enim ſi tollatur, non remanet aliquid per quod reparari poſſit : & ideo talis morbus curari non poteſt, ſed inducit mortem.

Eſt autem aliquis morbus qui non tollit aliquod principium vitæ; ſed aliquod eorum conſequutiuum ad principia vitæ; quia per principia vitæ reparari poſſunt, putà febris tertiana quæ conſiſtit in ſuperabundantia cholerae, quam virtus naturæ ſuperare poteſt.

Principium autem in operationibus eſt finis : vnde principium ſpiritualis vitæ, quæ conſiſtit in rectitudine actionis, eſt finis humanarum actionum, qui eſt charitas Dei & proximi; *Finis enim præcepti charitas eſt.* 1. Tim. 1 v. 5.

Per charitatem enim anima conjungitur Deo qui eſt vita animæ, ſicut anima eſt vita corporis. Et ideo ſi charitas excludatur, eſt peccatum mortale; non enim remanet aliquod principium vitæ, per quod iſte defectus reparetur; ſed reparari poteſt per Spiritum ſanctum; quia dicitur *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Rom. 5. v. 5.

Si autem ſit talis defectus rectitudinis qui charitatem non excludat, erit peccatum veniale; quia per charitatem remanentem quaſi per principium vitæ, omnes defectus reparari poſſunt, vt patet *in textu.*

Quòd autem aliquod peccatum excludat charitatem, vel non excludat, poteſt contingere dupliciter; vno modo ex parte peccantis; alio modo ex ipſo genere operis.

Ex parte quidem peccantis dupliciter; vno modo, quia actus peccati eſt potentiæ talis, cujus non eſt ordinare ad finem; & ideo nec eſt eius auerti à fine.

Et ideo motus ſenſualitatis non poteſt eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantùm. Ordinare enim aliquid ad finem, pertinet ad rationem tantùm.

Alio modo ex eo quòd potentia quæ poteſt ordinari in finem, & auerti à fine; actum aliquem qui

etiam

etiam de ſe non contrariatur fini, poteſt ordinare in contrarium finis, putà ſi quis verbum otioſum dicat in contemptum Dei, quod contrariatur charitati, hoc erit peccatum mortale; ſed non ex genere operis, ſed ex peruerſa voluntate facientis.

Alio modo contingit quòd aliquod peccatum contrarietur charitati, vel non contrarietur ex ipſo genere operis, quod eſt ex parte objecti vel materiæ, quæ eſt contraria charitati, vel non contraria.

Sicut enim aliquis cibus eſt ex ſe contrarius vitæ, putà cibus venenoſus: aliquis autem cibus non eſt contrarius vitæ, licet impedimentum aliquod afferat ad rectam habitudinem vitæ, putà cibus groſſus & non bonæ digeſtionis; vel etiamſi ſit bonæ digeſtionis; quia non ſumitur ſecundùm menſuram debitam.

Ita etiam in actibus humanis aliquid inuenitur quod de ſe contrariatur charitati Dei & proximi, illa ſcilicet per quæ tollitur ſubiectio, & reuerentia hominis ad Deum; vt blaſphemia, idololatria, & huiuſmodi.

Et etiam ea quæ tollunt conuictum ſocietatis humanæ; ſicut furtum, homicidium, & huiuſmodi. Non enim poſſunt homines conuiuere ad inuicem, vbi paſſim & indifferenter iſta perpetrarentur. Et iſta ſunt peccata mortalia ex ſuo genere, quacumque intentione vel voluntate fiant.

Quædam autem ſunt, quæ licet inordinationem aliquam contineant; non tamen directè excludunt alterum prædictorum. Sicut quòd homo dicat mendacium non in fide, neque ad nocendum proximo; ſed ad delectandum, vel etiam ad iuuandum: vel ſi quis excedat in cibo vel potu, & alia huiuſmodi. Vnde iſta ſunt venialia peccata ex ſuo genere. *In quæſt. diſp. q. 7. de malo. art. 1. in corpore.*

Vniuerſa delicta operit charitas. Iuſtificatio impij non fit ſine charitate, vt patet *in textu*: nam charitas cùm ſit quædam amicitia, cum readamatione eſt; mutuus autem amor requirit in vtroque vſum liberi arbitrij; ergo iuſtificatio ſine vſu liberi arbitrij eſſe non poteſt. *In quæſt. diſp. q. 28. de verit. art. 3. ſed contra.*

Vniuerſa delicta operit charitas. Per auxilium gratiæ homo etiamſi non perſeuerauerit, ſed in peccatum ceciderit, poteſt reparari ad bonum: eiuſdem enim virtutis eſt continuare ſalutem alicuius, & interruptam reparare. Sicut enim per virtutem naturalem continuatur ſanitas in corpore; ita per eandem virtutem naturalem ſanitas interrupta reparatur. Homo autem perſeuerat in bono, auxilio diuinæ gratiæ; igitur ſi per peccatum lapſus fuerit, eiuſdem gratiæ auxilio poterit reparari.

Adhuc, ea ſola homo recuperare amiſſa non poteſt, quæ per generationem ei aduenniunt; ſicut potentias naturales & membra; eo quòd homo non poteſt iterum generari: auxilium autem gratiæ datur homini non per generationem, ſed poſtquam jam eſt; poteſt igitur poſt amiſſionem gratiæ per peccatum, iterum reparari ad peccata delenda.

Ampliùs, nulla potentia paſſiua inuenitur in rerum natura quæ

non poſſit reduci in actum per aliquam potentiam actiuam naturalem. Multò igitur minùs eſt aliqua potentia in anima humana quæ non ſit reducibilis in actum per potentiam actiuam diuinam. Manet autem in anima humana, etiam poſt peccatum, potentia ad bonum; quia per peccatum non tolluntur potentiæ naturales quibus anima ordinatur ad ſuum bonum; poteſt igitur per diuinam potentiam reparari in bono, & ſic auxilio gratiæ homo poteſt conſequi remiſſionem peccatorum.

Eſa. 1. *v.* 18. Hinc eſt quod dicitur, *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Et in textu, *Vniuerſa delicta operit charitas.* Hoc etiam quotidie à Domino non

Matt. 6. *v.* 12. fruſtra petimus dicentes, *Dimitte nobis debita noſtra.*

Per hoc autem excluditur error Nouatianorum qui dixerunt quòd de peccatis quibus poſt baptiſmum peccat homo, veniam conſequi non poteſt. *Contra Gentiles Lib.* 3 *cap.* 156.

Vniuerſa delicta operit charitas. Arguitur: Vnumquodque debet nominari ab eo quod eſt potiſſimum in ipſo: ſed remiſſio peccatorum præcipuè fit per fidem, ſe-

Act. 15. *v.* 9. cundùm illud, *Fide purificans corda eorum.* Et per charitatem, vt patet *in textu*; magis ergo remiſſio peccatorum debuit denominari à fide, vel à charitate quàm à iuſtitia.

Ad argum. R. quòd fides & charitas dicunt ordinem ſpecialem mentis humanæ ad Deum ſecundùm intellectum vel affectum. Sed iuſtitia importat generaliter totam rectitudinem ordinis: & ideo magis denominatur huiuſmodi tranſmutatio à iuſtitia, quàm à charitate vel fide. 12. *q.* 113. *art.* 1. *ad ſecundum.*

Vniuerſa delicta operit charitas. Videtur quòd ad iuſtificationem impij non requiratur motus liberi arbitrij in peccatum; ſola enim charitas ſufficit ad deletionem peccati, vt patet *in textu.* Sed charitatis obiectum non eſt peccatum; ergo non requiritur ad iuſtificationem impij motus liberi arbitrij in peccatum.

2. In iuſtificatione impij non remittitur vnum peccatum ſine alio; impium enim eſt à Deo dimidiam ſperare veniam; ſi igitur in iuſtificatione impij oportet liberum arbitrium moueri contra peccatum, oporteret quòd de omnibus peccatis ſuis cogitatet; quod videtur inconueniens, tum quia requireretur magnum tempus ad huiuſmodi cogitationem; tum etiam quia peccatorum quorum eſt homo oblitus, veniam habere non poſſet; ergo.

Sed contra eſt quod dicitur, *Dixi confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* *Pſal.* 31. *v.* 5.

Dicendum quòd iuſtificatio impij eſt quidam motus, quo humana mens mouetur à Deo à ſtatu peccati in ſtatum iuſtitiæ. Oportet igitur quòd humana mens ſe habeat ad vtrumque extremorum ſecundùm motum liberi arbitrij; ſicut ſe habet corpus localiter motum ab aliquo mouente ad duos terminos motus. *Iuſtificatio impii deſcribitur.*

Manifeſtum eſt autem in motu locali corporum, quòd corpus motum recedit à termino à quo,

Digitized by Google

& accedit ad terminum ad quem. Vnde oportet quòd mens humana dum iuſtificatur, per motum liberi arbitrii recedat à peccato, & accedat ad iuſtitiam.

Liberum arbitrium deſcribitur. Receſſus autem & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundùm deteſtationem & deſiderium. Oportet igitur quòd in iuſtificatione impii ſit motus liberi arbitrii duplex; vnus, quo per deſiderium tendat in Dei iuſtitiam; & alius, quo deteſtetur peccatum.

Ad 1. R. quòd ad eandem virtutem pertinet proſequi vnum oppoſitorum, & refugere aliud. Et ideo ſicut ad charitatem pertinet diligere Deum; ita etiam deteſtari peccata per quæ anima ſeparatur à Deo.

Ad 2. R. quòd in tempore præcedente iuſtificationem oportet quòd homo ſingula peccata quæ commiſit deteſtetur, quorum memoriam habet: & ex tali conſideratione præcedenti ſubſequitur in anima quidam modus deteſtantis vniuerſaliter omnia peccata commiſſa, inter quæ etiam includuntur peccata obliuioni tradita; quia homo in ſtatu illo eſt ſic diſpoſitus, vt etiam de his quæ non meminit, contereretur, ſi memoriæ adeſſent: & iſte motus concurrit ad iuſtificationem. 12. *q.* 113. *art.* 5.

Vniuerſa delicta operit charitas. Videtur quòd opera virtutum in charitate facta mortificari non poſſint; quod enim non eſt, immutari non poteſt: Sed mortificatio eſt quædam mutatio de vita in mortem; cùm ergo opera virtutum poſtquam facta ſunt iam non ſint, videtur quòd vlterius mortificari non poſſint.

2. Per opera virtutum in charitate facta homo meretur vitam æternam: ſed ſubtrahere mercedem merenti eſt iniuſtitia quæ non cadit in Deum; ergo non poteſt eſſe quòd opera virtutum in charitate facta per peccatum ſequens mortificentur.

3. Fortius non corrumpitur à debiliori: ſed opera charitatis ſunt fortiora quibuſlibet peccatis, vt patet *in textu*; ergo.

Sed contra eſt quod dicitur, *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18. v. 24

Opera bona mortificari poſſunt. Dicendum quòd res viua per mortem perdit operationem vitæ. Vnde per quandam ſimilitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur à ſuo proprio effectu vel operatione.

Effectus autem operum virtuoſorum, quæ in charitate fiunt, eſt perducere ad vitam æternam. Quod quidem impeditur per peccatum mortale ſequens, quod gratiam tollit. Et ſecundùm hoc opera in charitate facta, mortificari dicuntur per ſequens peccatum mortale.

Ad 1. R. quòd ſicut opera peccatorum tranſeunt actu, & manent reatu; ita opera in charitate facta, poſtquam tranſeunt actu, manent merito in Dei acceptatione. Et ſecundùm hoc mortificantur, inquantum impeditur homo ne conſequatur ſuam mercedem.

Ad 2. R. quòd ſine iniuſtitia poteſt merces ſubtrahi merenti, quando ipſe reddidit ſe indignum mercede per culpam ſequentem.

Nam & ea quæ homo iam accepit, quandoque iuſtè propter culpam perdit.

Ad 5. R. quod non eſt propter fortitudinem operum peccati, quod mortificantur opera priùs in charitate facta: ſed eſt propter libertatem voluntatis, quæ poteſt à bono in malum deflecti 3. *p q.* 89. *art* 4.

Idem locus explicatur ſupra. *Lib.* 2 *Paralip cap* 30. *v.* 19. *Vid. in quaſt diſp. q.* 6. *de potentia, art.* 9. *ad quintum. contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 21. 22. *q.* 35. *art.* 8. *ad primum. Et q.* 184. *art.* 4.

PROVERB. *Cap.* 10. *v.* 23.

Sapientia eſt viro prudentia.

IN genere totius humanæ vitæ prudens ſapiens dicitur, inquantum ordinat humanos actus ad debitum finem, vt patet *in textu.* Ille igitur qui conſiderat ſimpliciter altiſſimam cauſam totius vniuerſi, quæ Deus eſt; maximè ſapiens dicitur. Vnde & ſapientia dicitur eſſe diuinorum cognitio. 1. *p. q.* 1. *art.* 6. *in corpore. Vid.* 22. *q.* 47. *art.* 2. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 10. *v.* 24.

Deſiderium ſuum iuſtis dabitur.

VIdetur quòd ſancti videntes Deum per eſſentiam, omnia videant quæ Deus in ſeipſo videt; quia omnis potentia paſſiua quæ non eſt reducta ad actum eſt imperfecta: ſed in poſſibili intellectu animæ humanæ eſt potentia quaſi paſſiua ad cognoſcendum omnia; ſi ergo in illa beatitudine non intelligeret omnia, remaneret imperfectus, quod eſt abſurdum.

2. Quicumque videt ſpeculum, videt ea quæ in ſpeculo reſultant: ſed in Verbo Dei omnia ſicut in ſpeculo reſultant; quia ipſum eſt ratio & ſimilitudo omnium; ergo ſancti qui vident Verbum per eſſentiam, vident omnia creata.

3. Dicitur in textu, *Deſiderium ſuum iuſtis dabitur*: Sed ſancti deſiderant omnia ſcire; ergo dabitur eis à Deo quòd omnia cognoſcant.

4. Ignorantia eſt quædam pœnalitas præſentis vitæ: ſed omnis pœnalitas à ſanctis per gloriam auferetur; ergo & omnis ignorantia, & ita omnia cognoſcent.

5. Beatitudo ſanctorum per prius eſt in anima, quàm in corpore: ſed corpora ſanctorū reformabuntur in gloriam ad ſimilitudinem corporis Chriſti, vt patet; *Philip.* 3. *v.* 21. ergo & animæ perficientur ad ſimilitudinem animæ Chriſti: ſed anima Chriſti in Verbo omnia videt; ergo & omnes animæ ſanctorum videbunt omnia in verbo.

Dicendum quòd Deus videndo ſuam eſſentiam, cognoſcit omnia quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt: & hoc dicitur cognoſcere notitiâ viſionis; quia ad ſimilitudinem viſionis corporalis cognoſcit ea quaſi præſentia. Cognitio duplex in Deo.

Cognoſcit inſuper videndo eſſentiam ſuam omnia quæ poteſt facere, quamuis numquam fecerit, vel facturus ſit; aliàs nō perfectè cognoſceret potentiam ſuam. Non enim poteſt cognoſci potentia, niſi ſciantur potentiæ obiecta: & hoc dicitur cognoſcere notitiâ ſimplicis intelligentiæ.

Impoſſibile eſt autem quòd ali-

quis intellectus creatus cognoſcat omnia, videndo eſſentiam diuinam, quæ Deus poteſt facere, quia quantò aliquod principium perfectius cognoſcitur, tantò plura ſciuntur in ipſo: ſicut in vno demonſtrationis principio, ille qui eſt perſpicacioris ingenij, plures concluſiones videt, quàm alius qui eſt ingenij tardioris.

Beatorum cognitio.

Cùm ergo quantitas potentiæ diuinæ attendatur ſecundùm ea in quæ poteſt, ſi aliquis intellectus videret in diuina eſſentia omnia quæ Deus poteſt facere; eadem eſſet quantitas perfectionis in intelligendo, quæ eſt quantitas diuinæ potentiæ in producendo effectus; & ita comprehenderet diuinam eſſentiam, quod eſt impoſſibile omni creato intellectui. Illa autem omnia quæ Deus ſcit notitiâ viſionis, aliquis intellectus creatus cognoſcit in Verbo, ſcilicet anima Chriſti.

Nota quòd intellectus creatus non videt diuinam eſſentiam ſecundùm modum ipſius eſſentiæ, ſed ſecundùm modum proprium qui finitus eſt. Vnde non oportet quòd eius efficacia in cognoſcendo ex viſione prædicta, amplietur in infinitum ad omnia cognoſcendum.

Nota ſecundò quòd defectus cognitionis non ſolùm procedit ex exceſſu & defectu cognoſcibilis ſuper intellectum; ſed etiam ex hoc quòd intellectui non conjungitur id, quod eſt ratio conjungibilis: ſicut viſus non videt lapidem, quandoque ex hoc quod ſpecies lapidis non eſt ei conjuncta. Quamuis autem intellectui videntis Deum conjungatur ipſa diuina eſſentia, quæ eſt omnium ratio; non tamen conjungitur ei prout eſt omnium ratio, ſed ſecundùm quod eſt ratio aliquorum; & tantò plurium, quantò quiſque pleniùs diuinam eſſentiam intuetur.

Ad 1. R. quòd quando potentia paſſiua eſt perfectibilis pluribus perfectionibus ordinatis, ſi perfecta ſit ſuâ vltimâ perfectione non dicitur imperfecta; etiamſi aliquæ diſpoſitiones præcedentes ei deſint.

Omnis enim cognitio qua intellectus creatus perficitur, ordinatur ſicut ad finem, ad Dei cognitionem: vnde videns Deum per eſſentiam, etiamſi nihil aliud cognoſceret, perfectum intellectum haberet. Nec eſt perfectio ex hoc quòd aliquid aliud cum ipſo cognoſcit, niſi quatenus ipſum pleniùs videt.

Ad 2. R. quòd ſpeculum illud eſt voluntarium; & ſicut oſtendet ſe cui vult, ita in ſe oſtendet quæ vult. Nec eſt ſimile de ſpeculo materiali, in cujus poteſtate non eſt quòd videatur, vel non videatur.

Vel dicendum quòd in ſpeculo materiali, tam res, quàm ſpeculum videntur propriâ formâ: quamuis ſpeculum illud videatur per formam à re acceptam. Lapis verò per propriam formam reſultantem in re alia; & ideo propter quam rationem cognoſcitur vnum, & aliud.

Quomodo eſſentia diuina eſt ſpeculum.

Sed in ſpeculo increato videtur aliquid per formam ipſius ſpeculi; ſicut effectus videtur per ſimilitudinem cauſæ, & è conuerſo. Et ideo non oportet quòd

quicumque videt ſpeculum æternum, videat omnia quæ in ſpeculo reſultant; non enim neceſſe eſt quod videns cauſam, videat omnes effectus eius, niſi comprehendat cauſam,

Ad 3. R. quòd ſanctorum deſiderium, quo omnia ſcire deſiderant, implebitur ex hoc ſolùm quòd Deum videbunt: ſicut deſiderium eorum, quo omnia bona habere cupiunt, complebitur in hoc quòd Deum habebunt.

Sicut enim Deus in hoc quòd habet perfectam bonitatem, ſufficit affectui; & eo habito, omnia bona quodammodo habentur: ita eius viſio ſufficit intellectui, *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.*

Ioan. 14 v. 8.

Ad 4. R. quòd ignorantia propriè accepta, priuationem ſonat, & ſic pœna eſt; ſic enim ignorantia eſt neſcientia aliquorum quæ ſciri debent, vel quæ neceſſe eſt ſcire: nullius autem horum ſcientia ſanctis deerit in patria.

Ignorantia duplex.

Quandoque autem ignorantia communiter accipitur pro omni neſcientia: & ſic Angeli & ſancti in patria quædam ignorabunt. Sic autem ignorantia non eſt pœnalitas, ſed defectus quidam. Nec eſt neceſſe quòd omnis talis defectus per gloriam auferatur: ſic enim etiam poſſet dici quòd defectus eſſet in papa Lino, quòd non peruenit ad gloriam Petri.

Ad 5. R. quòd corpus noſtrum conformabitur corpori Chriſti in gloria ſecundùm ſimilitudinem, non ſecundùm æqualitatem; erit enim clarum ſicut & corpus Chriſti, ſed non æqualiter. Et ſimiliter anima noſtra habebit gloriam ad ſimilitudinem animæ Chriſti, ſed non ad æqualitatem. Et ita habebit ſcientiam ſicut anima Chriſti, ſed non tantam, vt ſcilicet ſciat omnia ſicut anima Chriſti.

Nota quòd quamuis eſſentia diuina ſit ratio omnium cognoſcibilium; non tamen coniungetur cuilibet intellectui creato, ſecundùm quod eſt ratio omnium. 3. p. q. 92. art. 3.

PROVERB. Cap. II. v. 2.

Vbi humilitas, ibi ſapientia.

Decentiſſima eſt coniunctio ſapientiæ & humilitatis, vt patet *in textu*. Sed ſapientia appropriatur filio; ergo ipſum maximè decuit humilitas incarnationis. *Lib. 3. ſent. Diſt. 1. q. 2. art. 2. ſed contra.*

PROVERB. Cap. II v. 5.

Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius.

Arguitur, Sicut operationes quæ ſunt ad alterum indigent rectificari, ita etiam operationes quæ ſunt ad ſeipſum: ſed per iuſtitiam rectificantur operationes, vt patet *in textu*; ergo iuſtitia non eſt ſolùm circa ea quæ ſunt ad alterum, ſed etiam circa ea quæ ſunt ad ſeipſum.

Iuſtitia eſt ad alterũ.

Ad argum. R. quòd actiones quæ ſunt hominis ad ſeipſum, ſufficienter rectificantur, rectificatis paſſionibus, per alias virtutes morales.

Sed actiones quæ ſunt ad alterum, indigent ſpeciali rectificatione, non ſolùm per comparatio-

790

nem ad agentem, ſed etiam per comparationem ad eum, ad quem ſunt. Et ideo circa eas eſt ſpecialis virtus, quæ eſt iuſtitia. 22. *q.* 58. *art.* 2. *ad quartum.*

PROVERB. *Cap.* 11. *v.* 13.

Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana.

EXplicatur ſupra *Leuit. cap.* 5. *v.* 1.

Fidelis eſt qui celat crimen amici. Dicendum quòd hoc intelligitur, quando celatio non eſt in præiudicium correctionis; aliàs celans patrocinium turpitudini præſtat. *Lib.* 4 *ſent. Diſt.* 36. *in expoſit textus.*

PROVERB. *Cap.* 11. *v.* 14.

Vbi non eſt gubernator populus corruet.

Sacramentorum neceſſitas. TRia ſunt ſacramenta neceſſaria abſolutè; duo quidem perſonæ ſingulari: baptiſmus quidem ſimpliciter; pœnitentia autem ſuppoſito peccato mortali poſt baptiſmum. Sacramentum autem ordinis eſt neceſſarium Eccleſiæ, vt patet *in textu.*

Sed ad melius eſſe ſunt neceſſaria alia ſacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptiſmum; extrema vnctio pœnitentiam; matrimonium verò Eccleſiæ multitudinem per propagationem conſeruat. 3. *p. q.* 65. *art.* 4. *in corpore.*

PROVERB. *Cap.* 11. *v.* 17.

Qui crudelis eſt, etiam propinquos abijcit.

VIdetur quòd crudelitas non opponatur clementiæ; nam dicitur *Crudelis eſt, & non miſerebitur*: & ſic videtur quòd crudelitas opponatur miſericordiæ: ſed miſericordia non eſt idem clementiæ; ergo crudelitas non opponitur clementiæ. *Hier.* 6. *v.* 23.

2. Clementia conſideratur circa inflictionem pœnæ: ſed crudelitas conſideratur in ſubtractione beneficiorum, vt patet *in textu*; ergo crudelitas non opponitur clementiæ.

Dicendum quòd nomen crudelitatis à cruditate ſumptum eſſe videtur. Sicut autem ea quæ ſunt cocta & digeſta ſolent habere ſuauem & dulcem ſaporem: ita illa quæ ſunt cruda, habent horribilem & aſperum ſaporem. Crudelitatis deſcriptio.

Clementia autem importat quandam animi lenitatem ſiue dulcedinem, per quam aliquis eſt diminutiuus pœnarum. Vnde directè crudelitas clementiæ opponitur. Clementiæ deſcriptio.

Ad 1. R. quòd miſericordia & clementia conueniunt in hoc, quòd vtraque refugit & abhorret miſeriam alienam: aliter tamen, & aliter. Nam ad miſericordiam pertinet miſeriæ ſubuenire per beneficij collationem. Ad clementiam autem pertinet miſeriam diminuere per ſubtractionem pœnarum.

Et quia crudelitas ſuperabundantiam in exigendis pœnis importat, directiùs opponitur clementiæ quàm miſericordiæ. Ta-

Digitized by Google

copalis actus, habet annexam gradus celſitudinem; præſumptuoſum videtur quòd aliquis præeſſe appetat, ad hoc quòd ſubditis proſit, niſi manifeſtâ neceſſitate imminente.

Poteſt tamen abſque præſumptione quilibet appetere talia opera facere, ſi eum contingeret in tali officio eſſe, vel etiam ſe eſſe dignum ad talia opera exequenda; ita quòd opus bonum cadat ſub deſiderio, non autem primatus dignitatis.

Ad 1. R. quòd illo tempore hoc dixit Apoſtolus, quo ille qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur: & ſic nihil aliud erat quod in epiſcopatu appeti poſſet niſi bonum opus.

Ad 2. R. quòd non eſt eadem ratio de ſtatu religionis, & de ſtatu Epiſcopali, propter duo: *primò* quidem, quia ad ſtatum Epiſcopalem præexigitur vitæ perfectio; vt patet per hoc quòd Dominus à Petro quæſiuit ſi plus eum cæteris diligeret, antequam ei committeret paſtorale officium.

Sed ad ſtatum religionis non præexigitur perfectio; ſed eſt via in perfectionem. Vnde & Dominus non dixit, ſi es perfectus vade, ſed
Matt. 19 v. 21. *Sed ſi vis perfectus eſſe.* Et huius differentiæ ratio eſt quia perfectio pertinet actiuè ad Epiſcopum, ſicut ad perfectiorem: ad monachum autem paſſiuè, ſicut ad perfectum.

Epiſcopi & Religioſi differentiæ. Requiritur autem quòd ſit perfectus aliquis ad hoc quòd poſſit alios ad perfectionem adducere. Quod non præexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem adduci.

Eſt autem præſumptuoſum quòd aliquis perfectum ſe reputet; non eſt quòd aliquis ad perfectionem tendat.

Secundò, quia ille qui ſtatum religionis aſſumit, ſe alijs ſubijcit ad ſpiritualia capienda: & hoc cuilibet licet.

Sed ille qui tranſit ad ſtatum Epiſcopalem, ſublimatur ad hoc quòd alijs prouideat: & hanc ſublimationem nullus debet ſibi aſſumere, ſecundùm illud *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo.* Hebr. 5 v. 4.

Ad 3. R. quòd diſpenſatio ſpiritualium frumentorum non eſt facienda ſecundùm arbitrium cuiuſlibet, ſed principaliter quidem ſecundùm arbitrium & diſpoſitionem Dei. Secundariò autem ſecundùm arbitrium ſuperiorum prælatorum, ex quorum perſona dicitur *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4 v. 1.

Et ideo non intelligitur ille abſcondere frumenta ſpiritalia, cui non competit ex officio, nec ei à ſuperiori injungitur; ſi ab aliorum correctione aut gubernatione deſiſtat. Sed ſolùm tunc intelligitur abſcondere, ſi diſpenſationem negligat, cùm ei ex officio incumbat: vel ſi officium, cùm ei iniungitur, pertinaciter recipere renuat.

Ad 4. R. quòd Eſajas, qui mitti voluit, ante per altaris calculum ſe purgatum vidit: ne non purgatus adire quiſque ſacra myſteria audeat. Quia ergo valde difficile eſt purgatum ſe quemlibet poſſe cognoſcere, prædicationis officium tutiùs declinatur. 12.

q. 185. *art.* 1.

PROVERB. *Cap.* 11 *v.* 29.

Qui ſtultus eſt ſeruiet ſapienti.

EXplicatur ſupra *Geneſ cap.* 1. *v.* 26. *Vid.* 22. *q.* 64. *art.* 2. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 12. *v* 10.

Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum &c.

1. Cor 9. v. 9. ARguitur, Apoſtolus dicit quòd *Non eſt cura Deo de bobus*, & per conſequens neque de alijs animalibus irrationalibus; inconuenienter igitur præcipitur, Deut. 22 v. 6. *Si ambulaueris per viam, & inueneris nidum auis, non tenebris matrem cum filiis*, Et, 1. Cor. 9. v. 9. *Non alligabis os boui trituranti*,

Affectus hominis duplex. Ad argum R. quòd affectus hominis eſt duplex; vnus quidem ſecundùm rationem, alius verò ſecundùm paſſionem. Secundùm igitur affectum rationis non refert quid homo circa bruta animalia agat; quia omnia ſunt ſubiecta eius poteſtati à Deo, ſecundùm illud Pſal. 8. v. 8. *Omnina ſubiecisti ſub pedibus eius.* Et ſecundùm hoc Apoſtolus dicit quòd *Non eſt cura Deo de bobus*; quia Deus non requirit ab homine quid circa boues agat, vel circa alia animalia

Quamuis verò ad affectum paſſionis mouetur affectus hominis etiam circa alia animalia; quia enim paſſio miſericordiæ conſurgit ex afflictionibus aliorum, contingit autem etiam bruta animalia pœnas ſentire; & poteſt in homine conſurgere miſericordiæ affectus etiam circa afflictiones animalium. Proximum autem eſt, vt qui exercetur in affectu miſericordiæ circa animalia, magis ex hoc diſponatur ad affectum miſericordiæ circa homines, vt patet *in textu.*

Et ideo vt Dominus populum Iudaicum ad crudelitatem pronum, ad miſericordiam reuocaret; voluit eos exercere ad miſericordiam etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur.

Et ideo prohibuit ne coqueretur hœdus in lacte matris; & quòd non alligaretur os boui trituranti; & quòd non occideretur mater cum filijs.

Quamuis etiam dici poſſit quòd hæc prohibita ſunt eis in deteſtationem idololatriæ: nam Ægyptij nefarium reputabant vt boues triturantes de frugibus comederent: Aliqui etiam malefici vtebantur matre ouis incubante, & pullis eius ſimul captis ad fœcunditatem & fortunam circa nutritionem filiorum. Et quia etiam in augurijs reputabatur hoc eſſe fortunarum, quòd inueniretur mater incubans filijs. 12. *q.* 102. *art.* 6. *ad octauum.*

PROVERB. *Cap.* 12. *v.* 20.

Dolus in corde cogitantium mala.

ARguitur, Dicitur *in textu*, *Dolus in corde cogitantiũ mala* Sed non omnis cogitatio pertinet ad aſtutiam; ergo dolus non videtur ad aſtútiam pertinere.

Ad argum. R. quòd quicumque cogitant aliquod malum facere, neceſſe eſt quòd excogitent aliquas vias ad hoc quòd ſuum propoſitum impleant; & vt pluri-

Digitized by Google

mùm excogitant vias doloſas, quibus faciliùs propoſitum conſequantur. Quamuis contingat quandoque quòd abſque aſtutia & dolo, aliqui apertè & per violentiam malum operentur. Sed hoc quia difficiliùs fit, in paucioribus accidit, 21. q. 55. art. 4. ad tertium.

PROVERB. *Cap. 12. v. 21.*

Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit.

VIdetur quòd in Chriſto non fuerit triſtitia, dicitur enim
Eſ. 42. v. 4. de Chriſto, *Non erit triſtis nec turbulentus.*

2. Per textum: ſed Chriſtus fuit maximè iuſtus ſecundùm illud
Hier. 23. v. 6. *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*, Ergo in eo non fuit triſtitia.

3. Triſtitia eſt de his quæ nobis nolentibus accidunt: ſed nihil paſſus eſt Chriſtus contra ſuam vo-
Eſa. 53. v. 7. luntatem, dicitur enim, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*; non ergo in Chriſto fuit triſtitia.

Sed contra eſt quòd dicit Do-
Matt. 26 v. 38 minus, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Dicendum quòd delectatio diuinæ contemplationis, ita per diſpenſationem diuinæ virtutis retinebatur in mente Chriſti, quòd non deriuabatur ad vires ſenſitiuas, vt per hoc dolor ſenſibilis excluderetur.

Sicut autem dolor ſenſibilis eſt in appetitu ſenſitiuo, ita & triſtitia. Sed eſt differentia ſecundùm motiuum ſiue obiectum: nam obiectum & motiuum doloris, eſt læſio ſenſus tactus percepta; ſicut cùm aiquis vi vulneratur.

Obiectum autem & motiuum triſtitiæ eſt nociuum ſeu malum interius, apprehenſum ſiue per rationem, ſiue per imaginationem. Sicut cùm aliquis triſtatur de amiſſione gratiæ vel pecuniæ. *Doloris & triſtitiæ differentiæ.*

Potuit autem anima Chriſti interiùs apprehendere aliquid vt nociuum; & quantùm ad ſe, ſicut paſſio & mors eius fuit; & quantùm ad alios, ſicut peccatum diſcipulorum, vel etiam Iudæorum occidentium ipſum.

Et ideo ſicut in Chriſto potuit eſſe verus dolor, ita potuit in eo eſſe vera triſtitia. Alio tamen modo quàm in nobis.

Ad 1. R. quòd triſtitia remouetur à Chriſto ſecundùm paſſionem perfectam: fuit tamen in eo initiata ſecundùm propaſſionem. Vnde dicitur *Cœpit contriſtari & Matt.
mæſtus eſſe*: aliud enim eſt contri- v. 23.
ſtari, aliud incipere contriſtari.

Ad 2. R. quòd in homine ſunt ſecundaria bona, quæ pertinent ad ipſum corpus, vel ad exteriores res corpori deſeruientes. Et ſecundùm hoc poteſt in animo ſapientis eſſe triſtitia quantùm ad appetitum ſenſitiuum, ſecundùm apprehenſionem huiuſmodi malorum: non tamen ita quod iſta triſtitia perturbet rationem.

Et ſecundùm hoc intelligitur *textus*; quia ſcilicet ex nullo accidente eius ratio perturbatur. Et ſecundùm hoc triſtitia fuit in Chriſto ſecundùm propaſſionem; non autem ſecundùm paſſionem.

Nota quòd omnis triſtitia eſt malum pœnæ: non autem eſt ſemper malum culpæ; ſed ſolùm quando ex inordinato affectu procedit.

Ad 3. R. quòd nihil prohibet aliquid eſſe contrarium voluntari ſecundùm ſe, quod tamen eſt volitum ratione finis, ad quem ordinatur. Sicut medicina amara non eſt ſecundùm ſe volita, ſed ſolùm ſecundùm quod ordinatur ad ſanitatem.

Et hoc modo mors Chriſti & eius paſſio fuit ſecundùm ſe conſiderata inuoluntaria, & triſtitiam cauſans; licet fuerit voluntaria in ordine ad finem qui eſt redemptio humani generis. 3. *p. q.* 15. *art.* 6.

PROVERB. *Cap.* 12. *v.* 26.

Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt.

VIdetur quòd Chriſtus majus dilectionis ſignum nobis oſtendit, tradendo corpus ſuum in cibum, quàm patiendo pro nobis; charitas enim patriæ perfectior eſt, quàm charitas viæ: ſed beneficium illud quo nobis Chriſtus contulit corpus ſuum dans nobis in cibum, magis aſſimilatur charitati patriæ; in qua plenè fruemur Deo.

Paſſio autem quam pro nobis ſubiit, magis aſſimilatur charitati viæ, in qua nobis pro Chriſto imminet patiendum; ergo maius eſt dilectionis ſignum quòd Chriſtus corpus ſuum tradidit nobis in cibum, quàm quòd Chriſtus paſſus eſt pro nobis.

Ioan. 15. v. 13. Sed contra eſt quod dicitur, *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Dicendum quòd illud quod eſt potiſſimum in vnoquoque genere, eſt menſura omnium eorum quæ ſunt illius generis. Potiſſimum autem in genere amoris hominum; eſt amor, quo quis amat ſeipſum & ideo ex hoc amore neceſſe eſt menſuram accipere omnis amoris, quo quis alium amat.

Amor ſui explicatur. Pertinet autem ad amorem quo quis amat ſeipſum, vt velit ſibi bonum: vnde tantò aliquis alium magis amare probatur, quantò magis bonum quod ſibi vult, propter amicum prætermittit, vt patet *in textu*.

Vult autem homo ſibi triplex bonum particulare, quæ ſunt anima, corpus, & res exteriores. Eſt ergo aliquod ſignum amoris, quòd aliquis in rebus exterioribus propter alium detrimentum patiatur: maius autem amoris ſignum, ſi etiam corporis proprii detrimentum patiatur, vel labores, vel verbera pro amico ſumendo: maximum autem dilectionis ſignum, ſi etiam animam ſuam deponere velit pro amico moriendo.

Euchariſtiæ & paſſionis Chriſti comparatio. Quòd ergo Chriſtus pro nobis patiendo animam ſuam poſuit, maximum fuit dilectionis ſignum. Quòd autem corpus ſuum dedit in cibum ſub ſacramento, ad nullum detrimentum ipſius pertinet: Vnde patet quòd primum eſt maius dilectionis ſignum. Vnde & hoc ſacramentum eſt memoriale quoddam & figura paſſionis Chriſti: veritas autem præeminet figuræ, & res memoriali

Ad argum R. quòd exhibitio corporis Chriſti in ſacramento habet quidem figuram quandam charitatis, qua diligit nos Deus in patria: ſed paſſio eius pertinet ad ipſam Dei dilectionem; nos à perditione ad patriam reuocantem:

dilectio autem Dei non eſt major in patria, quàm ſit in præſenti. *Quodlib.* 5. *art.* 6.

Idem locus explicatur ſupra *Leuit. cap* 19. *v.* 18.

PROVERB. *Cap.* 13. *v.* 10.

Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.

ARguitur, Vbi non eſt obedientia & ſubjectio, non eſt prælatio: hæc autem ſine concordia eſſe non poſſunt, quæ in dæmonibus nulla eſt, vt patet *in textu*; ergo in dæmonibus non eſt prælatio.

In dæmonibus eſt prælatio. Dicendum quòd cùm actio ſequatur naturam rei, quorumcumque naturæ ſunt ordinatæ, oportet quòd etiam actiones ſubinuicem ordinentur. Sic igitur ipſa naturalis diſpoſitio dæmonum requirit, quòd ſit in eis prælatio.

Ad argum. R. quòd concordia dæmonum, qua quidam alijs obediunt, non eſt ex amicitia quam inter ſe habeant; ſed ex communi nequitia qua homines odiunt, & Dei iuſtitiæ repugnant. Eſt enim proprium hominum impiorum, vt eis ſe adjungant & ſubijciant ad propriam nequitiam exequendam, quos potentiores viribus vident. 1. *p. q.* 109. *art.* 2.

Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt. Videtur quòd ſimilitudo non ſit cauſa amoris; idem enim non eſt cauſa contrariorum: ſed ſimilitudo eſt cauſa odij, vt patet *in textu*.

Sed contra eſt quod dicitur, *Eccl.* 13. *v.* 19. *Omne animal diligit ſimile ſibi.*

Dicendum quòd ſimilitudo propriè loquendo eſt cauſa amoris. Sed conſiderandum eſt quòd ſimilitudo inter aliqua poteſt attendi dupliciter: *vno modo* ex hoc quòd vtrumque habet idem in actu; ſicut duo habentes albedinem dicuntur ſimiles.

Alio modo ex hoc quòd vnum habet in potentia & in quadam inclinatione illud, quod aliud habet in actu. Sicut ſi dicamus quòd corpus graue exiſtens extra ſuum locum, habet ſimilitudinem cum corpore graui in ſuo loco exiſtenti: vel etiam ſecundùm quod potentia habet ſimilitudinem ad actum ipſum; nam in ipſa potentia quodammodo eſt actus.

Quomodo ſimilitudo cauſat amorē. Primus ergo ſimilitudinis modus cauſat amorem amicitiæ, ſeu beneuolentiæ. Ex hoc enim, quòd aliqui duo ſunt ſimiles, quaſi habentes vnam formam; ſunt quodammodo vnum in forma illa: ſicut duo homines ſunt vnum in ſpecie humanitatis, & duo albi in albedine: & ideo affectus vnius tendit in alterum ſicut in vnum ſibi, & vult ei bonum ſicut & ſibi.

Sed ſecundus modus ſimilitudinis cauſat amorem concupiſcentiæ, vel amicitiam vtilis ſeu delectabilis; quia vnicuique exiſtenti in potentia, inquantum hujuſmodi ineſt appetitus ſui actus, & in eius conſecutione delectatur, ſi ſit ſentiens & cognoſcens.

In amore autem concupiſcentiæ amans propriè amat ſeipſum, cùm vult illud bonum quod concupiſcit. Magis autem vnuſquiſque ſeipſum amat, quàm alium; quia ſibi vnus eſt in ſubſtantia; alteri verò in ſimilitudine alicujus formæ.

Et ideo ſi ex eo quòd eſt ſibi ſi-

milis in participatione formæ, impediatur ipſemet à conſecutione boni quod amat, efficitur ei odioſus; non inquantum eſt ſimilis, ſed inquantum eſt proprij boni impeditiuus.

Et propter hoc figuli corrixantur ad inuicem; quia ſe inuicem impediunt in proprio lucro: *Et inter ſuperbos ſunt iurgia*, vt patet *in textu*; quia ſe inuicem impediunt in propria excellentia quam concupiſcunt. Et per hoc patet. R. ad argum. 12. *q.* 27. *art.* 3.

Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt. Studium quod ad ſcientiam ordinatur ſine charitate inflat, & per conſequens diſſenſiones facit; vt patet *in textu*. Sed cum charitate ædificat, & concordiam parit. 22. *q.* 188. *art.* 5. *ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Iob. cap.* 10. *v.* 21.

PROVERB. *Cap.* 13. *v.* 11.

Subſtantia feſtinata minuetur.

ARguitur, Videtur eſſe nimia feſtinantia quòd aliquis ad conſilia conuolet nondum in præceptis exercitatus; ergo videtur quòd bonorum ſpiritualium ſubſtantia de facili minuatur; ergo non ſunt pueri ad religionem inducendi.

Ad argum. R. quòd ſicut magnum & paruum, multum & paucum dicuntur relatiuè, ita & feſtinatum, ſiue velox & tardum. Nam feſtinatum ſiue velox, eſt quod in paruo tempore multum mouetur. Illa ergo ſubſtantia minuitur, quæ eſt feſtinata in reſpectu ad debitum modum, putà ſi aliquis aliquem ſtatum aggreſſus, ſtatim à principio contemptis rudimentis illius ſtatus ea quæ ſunt perfectorum in ſtatu illo attentare vellet.

Non eſt autem ſubſtãtia feſtinatũ, ſi exercitium perfectionis, & quaſi quandam ſcholam, quæ eſt religio, à pueritia aliquis aggrediatur. Tantum eſt enim culmen perfectionis, vt etiam ſi à pueritia quis huiuſmodi perfectionem aggrediatur, ſemper habet vt proficiat. *Quodlib.* 4. *art.* 23. *ad nonum.*

PROVERB. *Cap.* 13. *v.* 12.

Spes qua differtur affligit animam.

VIdetur quòd patres qui erant in limbo ſpem non habuerint; quia *Spes qua differtur affligit animam*: Sed in ſanctis patribus qui erant in limbo, non erat aliqua afflictio, ergo nec habebant ſpem.

2. Spes procedit ex meritis; ſed ipſi non erant in ſtatu merendi; ſimiliter nec illi qui ſunt in purgatorio; ergo non habent ſpem.

Sed contra, Quicumque cupit aliquid quod nondum habet, expectat illud: ſed patres qui erant in limbo cupiebant beatitudinem, quam nondum habebant; ergo expectabant illam; ergo habebant ſpem. Spem habent qui ſunt in purgatorio.

Dicendum quòd illi qui ſunt in purgatorio, & patres qui erant in limbo habebant ſpem; quia ſpes non euacuatur niſi ſecundùm hoc quod aliquis habet actu id quod ſperauit: ſicut fides euacuatur per id quòd videt illud quod credidit.

Illi autem qui in limbo patrum erant, & qui ſunt modò in purgatorio, nondum habeant beatitudinem, de qua eſt ſpes. Et ideo ſpes

Digitized by Google

eorum quam in hac vita habebant, non eſt euacuata.

Ad 1. R. quòd dilatio ſpei antiquis patribus non faciebat afflictionem; quia afflictionis capaces non erant. Vel dicendum quòd quamuis ſpes ratione abſentiæ ſperanti afflictionem faciat; tamen ratione certitudinis delectationem facit. Et quia certitudo ſpei in eis deficere non poterat; ideo delectatio quæ ex certitudine cauſabatur, abſorbebat omnem afflictionem quæ ex abſentia contingere poſſet.

Ad 2. R. quòd quamuis non ſint in ſtatu merendi, tamen priùs meruerunt; & ex illis meritis ſpes eorum prouenit. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 26 *q.* 1. *art.* 5. *q.* 3.

Spes qua differtur affligit animam. Arguitur, virtus cauſat delectationem in actu: ſed ſpes è contrario cauſat afflictionem; vt patet *in textu*; ergo non eſt virtus.

Sed contra, præcepta legis dantur de actibus virtutum: ſed multa præcepta dantur de actu Pſa. 39 v. 3. ſpei, dicitur enim, *Spera in Domino & fac bonitatem*. ergo ſpes eſt virtus.

Dicendum quòd quia habitus cognoſcuntur per actus, & actus per objecta; ad cognoſcendum an ſpes ſit virtus, oportet conſiderare de ratione actus eius: manifeſtum autem eſt quòd ſperare importat motum quendam appetiuæ virtutis tendentem in bonum, non quidem vt iam habitum ſicut gaudium & delectatio, ſed tanquam aſſequendum, ſicut etiam deſiderium & cupiditas.

Quomodo differūt deſide- rium & ſpes. Differt tamen ſpes à deſiderio in duobus: *primò* quidem, quia deſiderium eſt communiter cuiuſcumque boni; & ideo attribuitur concupiſcibili. Spes autem eſt boni ardui, quod difficile eſt aſſequi; & ideo attribuitur iraſcibili.

Secundò, quia deſiderium eſt alicuius boni abſolutè, abſque conſideratione poſſibilitatis, & impoſſibilitatis illius. Sed ſpes tendit in aliquod bonum, ſicut in id quod eſt poſſibile adipiſci: importat enim in ſui ratione quandam ſecuritatem adipiſcendi.

Quatuor ſūt in obiecto ſpei. Ergo ſic in objecto ſpei quatuor conſiderantur: *primò* quidem quòd ſit boni, per quòd differt à timore: *ſecundò*, quòd ſit boni futuri, per quod differt à gaudio, vel delectatione: *tertiò*, quòd ſit boni ardui, per quod differt à deſiderio: *quartò*, quod ſit boni poſſibilis, per quod differt à deſperatione.

Eſt autem poſſibile aliquid haberi ab aliquo dupliciter: *Vno modo* per propriam poteſtatem: *Alio modo* per auxilium alterius; nam quæ per amicos ſunt poſſibilia, aliqualiter poſſibilia dicimus.

Sic igitur quandoque ſperat homo aliquid adipiſci per propriam poteſtatem: quandoque verò per auxilium alienum. Et talis ſpes expectationem habet inquantum homo reſpicit in auxilium alterius, Et tunc neceſſe eſt quòd motus ſpei feratur in duo objecta, ſcilicet in bonum adipiſcendum, & in eum cuius auxilio innititur.

Summum autem bonum, quod eſt beatitudo æterna, homo adipiſci non poteſt, niſi per auxilium diuinum ſecundùm illud, *Gratia Dei vita æterna*. & ideo ſpes adi- Rom. 6. v. 23. piſcendi vitam æternam habet duo objecta, ſcilicet ipſam vitam æter-

nam, quam quis ſperat, & auxilium diuinum à quo ſperat.

Sicut etiam fides habet duo obiecta, ſcilicet rem quam credit, & veritatem primam cui correſpondet. Fides autem non habet rationem virtutis, niſi inquantum inhæret teſtimonio veritatis primæ, vt ei credat quòd ab ea manifeſtatur.

Vnde & ſpes habet rationem virtutis ex hoc ipſo quòd homo inhæret auxilio diuinæ poteſtatis ad conſequendum vitam æternam.

Si enim aliquis inniteretur humano auxilio, vel ſuo, vel alterius ad conſequendum perfectum bonum abſque auxilio diuino; eſſet hoc vitioſum ſecundùm illud *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Hier 17 v. 5.

Sic igitur ſicut formale obiectum fidei eſt veritas prima, per quam ſicut per quoddam medium aſſentit his quæ creduntur, quæ ſunt materiale obiectum fidei: ita etiam formale obiectum ſpei eſt auxilium diuinæ poteſtatis & pietatis, propter quod tendit motus ſpei in bona ſperata, quæ ſunt materiale obiectum ſpei.

Sicut ergo ea quæ creduntur materialiter, omnia referuntur ad Deum, quamuis aliqua eorum ſint creata; ſicut quòd credimus omnes creaturas eſſe à Deo, & corpus Chriſti eſſe à filio Dei aſſumptum in vnitate perſonæ: ita etiam omnia quæ materialiter ſperantur, ordinantur in vnum finale ſperatum, quod eſt fruitio Dei. In ordine enim ad hanc fruitionem ſperamus adiuuari à Deo, non ſolùm ſpiritualibus, ſed etiam corporalibus beneficiis.

Nota quòd ſpes ſecundùm quod inhæret diuino auxilio, non poteſt ſe ad malum habere; nullus enim poteſt nimis de Deo ſperare. Sed quòd aliquis malè ſperet, hoc contingit quia non inhæret Deo, ſed ſuæ virtuti, vel falſæ opinioni, putà cùm præſumit ſe ſaluandum, etiam in peccatis perſeuerans.

Ad argum. R. quòd ſpes non affligit animam, ſed magis eſt cauſa delectationis, inquantum facit rem ſperatam quodammodo eſſe præſentem ſecundùm fiduciam adipiſcendi. Vnde & Apoſtolus dicit *Spe gaudentes*: ſed dilatio rei ſperatæ eſt, quæ quandoque affligit. *In quæſt. diſp. q. vnica de ſpe art. 2.* Rom. 12. v. 12.

Spes quæ differtur affligit animam. Videtur quòd memoria & ſpes non ſint cauſæ delectationis; delectatio enim eſt de bono præſenti: ſed memoria & ſpes ſunt de abſenti; eſt enim memoria præteritorum, ſpes verò futurorum; ergo.

2. Idem non eſt cauſa contrariorum: ſed ſpes eſt cauſa afflictionis, vt patet *in textu*; ergo non eſt cauſa delectationis.

3. Sicut ſpes conuenit cum delectatione in eo quod eſt de bono, ita etiam & concupiſcentia & amor; non ergo magis debet aſſignari ſpes cauſa delectationis, quàm concupiſcentia vel amor.

Sed contra eſt quod dicitur, *Memor fui Dei & delectatus ſum.* Pſal. 76 v. 4.
Et, *ſpe gaudentes.* Rom. 12 v. 12.

Dicendum quòd delectatio cauſatur ex præſentia boni conuenientis, ſecundùm quod ſentitur, vel qualitercumque percipitur. Eſt autem aliquid præſens nobis dupliciter

pliciter

195

Vnomodo ſecundùm cognitionem, prout ſcilicet cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm ſuam ſimilitudinem.

Alio modo ſecundùm rem, prout ſcilicet vnum alteri realiter conjungitur, vel actu, vel potentia ſecundùm quemcumque conjunctionis modum.

Et quia major eſt conjunctio ſecundùm rem, quàm ſecundùm ſimilitudinem, quæ eſt conjunctio cognitionis, item major eſt conjunctio rei in actu, quàm in potentia; ideo maxima eſt delectatio quæ fit per ſenſum, qui requirit præſentiam rei ſenſibilis.

Delectatio triplex. Secundum autem gradum tenet delectatio ſpei, in qua non ſolùm eſt delectabilis conjunctio ſecundùm apprehenſionem, ſed etiam ſecundùm facultatem, vel poſſibilitatem adipiſcendi bonum quod delectat.

Tertium autem gradum tenet delectatio memoriæ, quæ habet ſolam conjunctionem apprehenſionis.

Ad 1. R. quòd ſpes & memoria ſunt quidem eorum quæ ſunt ſimpliciter abſentia, quæ tamen ſecundùm quid ſunt præſentia, ſcilicet vel ſecundùm apprehenſionem ſolùm, vel ſecundum apprehenſionem & facultatem ad minus æſtimatam.

Ad 2. R. quòd nihil prohibet idem ſecundùm diuerſa eſſe cauſam contrariorum. Sic igitur ſpes inquantum habet præſentem æſtimationem boni futuri, delectationem cauſat: inquantum autem caret præſentiâ eius, cauſat afflictionem

Ad 3. R. quòd amor & concupiſcentia delectationem cauſant; omne enim amatum fit delectabile amanti, eo quòd amor eſt quædam vnio vel connaturalitas amantis ad amatum.

Similiter etiam omne concupitum eſt delectabile concupiſcenti; cùm concupiſcentia ſit præcipuè appetitus delectationis. Sed tamen ſpes inquantum importat quandam certitudinem realis præſentiæ boni delectantis, quam non importat amor, nec concupiſcentia, magis ponitur cauſa delectationis quàm illa. Et Similiter magis quàm memoria, quæ eſt de eo quod jam tranſiit. 12. *q.* 32. *art.* 3.

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 1. *v.* 4. *& lib.* 2. *Regum. cap.* 2. *v.* 26. *Vid.* 12 *q.* 40. *art.* 8. *ad ſecundum.* 22. *q.* 136. *art.* 5. *in corpore.* 3. *p. q.* 52. *art.* 2. *ad ſecundum. Et lib.* 2. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 4. *q.* 1. *art.* 4. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 13. *v.* 16.

Aſtutus omnia agit cum conſilio.

Explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 1. *v.* 4.

PROVERB. *Cap.* 13. *v.* 24.

Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.

Videtur quòd non liceat patribus verberare filios, aut dominis ſeruos; dicit enim Apoſtolus, *Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros* Et infra ſubdit, *Et vos Domini eadem facite ſeruis, remittentes minas.* Sed propter verbera aliqui ad iracundiam prouocantur, & ſunt etiam minis grauiora; ergo neque patres filios, neque Domini ſeruos

Ephes. 6. v. 4. Ephes. 6. v. 9.

debent verberare.

2. Vnicuique licet alteri diſciplinam impendere; hoc enim pertinet ad eleemoſynas ſpirituales; ſi ergo parentibus licet propter diſciplinam filios verberare, pari ratione cuilibet licebit quemlibet verberare; quod patet eſſe falſum, ergo & primum.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Et, *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percaſſuris eum virgâ, non morietur.* Et, *Sermo malenolo tortura & compedes.*

Prou. 23. *v.* 13. *Eccl.* 33. *v.* 28.

Dicendum quòd per verberationem nocumentum quoddam infertur corpori eius qui verberatur; aliter tamen quàm in mutilatione. Nam mutilatio tollit corporis integritatem, verberatio verò tantummodo afficit ſenſum dolore. Vnde multò minus nocumentum eſt, quàm mutilatio menbri.

Quomodo licitum eſt caſtigare filios & ſeruos.

Nocumentum autem inferre alicui non licet, niſi per modum pœnæ propter iuſtitiam: nullus autem iuſtè punit aliquem, niſi ſit eius iuriſdictioni ſubiectus.

Et ideo verberare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem aliquam ſuper illum qui verberatur. Et quia filius ſubditur poteſtati patris, & ſeruus poteſtati Domini; licitè poteſt verberare pater filium, & Dominus ſeruum cauſâ correctionis & diſciplinæ.

Ad 1. R. quòd cum ira ſit appetitus vindictæ, præcipuè concitatur ira cùm aliquis ſe reputat læſum iniuſtè. Et ideo per hoc quòd patribus interdicitur ne filios ad iracundiam prouocent, non prohibetur quin filios verberent cauſâ diſciplinæ; ſed quod non immoderatè eos affligant verberibus.

Quòd verò interdicitur dominis quòd remittant ſeruis minas; poteſt dupliciter intelligi: vno modo vt remiſsè minis vtantur, quod pertinet ad moderationem diſciplinæ. Alio modo vt aliquis non ſemper impleat quod comminatus eſt; quod pertinet ad hoc quòd iudicium quo quis comminatus eſt pœnam, quandoque per remiſſionis miſericordiam temperetur.

Nota quòd major poteſtas majorem debet habere coactionem. Et ideo poteſt infligere pœnas irreparabiles, ſcilicet occiſionis vel mutilationis; non verò pater, nec Dominus.

Ad 2. R. quòd exhibere diſciplinam volenti, cuilibet licet. Sed diſciplinam volenti adhibere, eſt ſolùm eius, cui alterius cura committitur. Et ad hoc pertinet aliquem verberibus caſtigare. 22. *q.* 65. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 13.

Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

LVctus extremus occupat extrema gaudij, non cujuſlibet; ſed eius gaudij quo quis fruitur creaturâ. *In quæſt. diſp. q.* 7. *de malo art.* 3. *ad octauum.*

PROVERB. *Cap* 14. *v.* 16.

Sapiens timet & declinat à malo, ſtultus autem tranſilit & confidit.

SApiens non abſcondit ſe calumnioſè in iudicio, ſed prudenter. 22 *q.* 69. *art.* 2. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 22.

Errant qui operantur malum.

PEccatum in voluntate non accidit ſine aliquali ignorantia intellectus; nihil enim volumus niſi bonum verum, vel apparens, vt patet in textu. *Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 92. *ſimile* 12. *q.* 6. *art.* 8. *ad ſecundum. q.* 77. *art.* 2. *in corpore. & q.* 78. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Iob. cap.* 21. *v* 14. *& Prouerb. cap.* 2. *v.* 14. *Vid. q.* 6. *de potentia art.* 6. *ad tertium. & q.* 7. *de malo art.* 1. *ad decimum ſeptimum.*

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 34.

Miſeros facit populos peccatum.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 31. *v.* 6. *lib.* 2. *Paralipom. cap.* 37. *Vid. q.* 28. *de verit. art.* 1. *ad nonum.*

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 1.

Reſponſio mollis frangit iram.

ARguitur, Nullus æſtimat aliquem paruum ex hoc quòd eſt ſibi amicus: ſed ad amicos ſi nos offenderint, vel ſi non iuuerint, magis offendimur; vnde dicitur *Si inimicus maledixiſſet &c.* ergo defectus alicujus non eſt cauſa vt contra ipſum faciliùs iraſcamur. *Pſal.* 54. *v.* 13.

Dicendum quòd indigna deſpectio eſt maximè prouocatiua iræ. Defectus igitur, vel paruitas eius contra quem iraſcimur, facit ad augmentum iræ, inquantum auget indignam deſpectionem. Sicut enim quantò aliquis eſt major, tantò indignius deſpicitur: ita quantò aliquis eſt minor, tantò indigniùs deſpicit. Et ideo nobiles iraſcuntur, ſi deſpiciantur à ruſticis, vel ſapientes ab inſipientibus, vel Domini à ſeruis.

Si verò paruitas vel defectus diminuat deſpectionem indignam, talis paruitas non auget, ſed diminuit iram. Et hoc modo illi qui pœnitent de injurijs factis, & confitentur ſe malè feciſſe, & humiliantur, & veniam petunt, mitigant iram, vt patet *in textu*; inquantum ſcilicet tales videntur non deſpicere, ſed magis magnipendere eos quibus ſe humiliant. *Iraquomodo mitigatur.*

Ad argum. R. quòd deſpectio quæ eſt ab amicis, videtur eſſe magis indigna. Et ideo ex ſimili cauſa magis iraſcimur contra eos ſi deſpiciant vel nocendo, vel non juuando; ſicut è contra minores. 12. *q.* 47. *art.* 4.

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 5.

In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt.

QVomodo vna virtus eſt major alia. 12. *q.* 66. *art.* 1. *ſed contra.*

Abundans iuſtitia etiam minora peccata cohibet. 12. *q.* 73. *art.* 4. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 11.

Infernus & perditio coram Deo, quantò magis corda filiorum hominum?

DEus non minùs cognoſcit ſubſtantias intellectuales quàm ipſe vel nos ſubſtantias ſenſibiles; cùm ſubſtantiæ intellectuales ſint magis cognoſcibiles,

debent verberare.

2. Vnicuique licet alteri diſciplinam impendere; hoc enim pertinet ad eleemoſynas ſpirituales; ſi ergo parentibus licet propter diſciplinam filios verberare, pari ratione cuilibet licebit quemlibet verberare; quod patet eſſe falſum, ergo & primum.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Et, *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percaſſuris eum virgâ, non morietur*. Et, *Serno malenolo tortura & compedes.*

Prou. 23. *v.* 13. *Eccl.* 33. *v.* 28.

Dicendum quòd per verberationem nocumentum quoddam infertur corpori eius qui verberatur; aliter tamen quàm in mutilatione. Nam mutilatio tollit corporis integritatem, verberatio verò tantummodo afficit ſenſum dolore. Vnde multò minus nocumentum eſt, quàm mutilatio membri.

Quomodo licitum eſt caſtigare filios & ſeruos.

Nocumentum autem inferre alicui non licet, niſi per modum pœnæ propter iuſtitiam: nullus autem iuſtè punit aliquem, niſi ſit eius iuriſdictioni ſubiectus.

Et ideo verberare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem aliquam ſuper illum qui verberatur. Et qnia filius ſubditur poteſtati patris, & ſeruus poteſtati Domini; licitè poteſt verberare pater filium, & Dominus ſeruum causâ correctionis & diſciplinæ.

Ad 1. R. quòd cum ira ſit appetitus vindictæ, præcipuè concitatur ira cùm aliquis ſe reputat læſum iniuſtè. Et ideo per hoc quòd patribus interdicitur ne filios ad iracundiam prouocent, non prohibetur quin filios verberent causâ diſciplinæ; ſed quod non immoderatè eos affligant verberibus.

Quòd verò interdicitur dominis quòd remittant ſeruis minas; poteſt dupliciter intelligi: vno modo vt remiſsè minis vtantur, quod pertinet ad moderationem diſciplinæ. Alio modo vt aliquis non ſemper impleat quod comminatus eſt; quod pertinet ad hoc quòd iudicium quo quis comminatus eſt pœnam, quandoque per remiſſionis miſericordiam temperetur.

Nota quòd major poteſtas majorem debet habere coactionem. Et ideo poteſt infligere pœnas irreparabiles, ſcilicet occiſionis vel mutilationis; non verò pater, nec Dominus.

Ad 2. R. quòd exhibere diſciplinam volenti, cuilibet licet. Sed diſciplinam volenti adhibere, eſt ſolùm eius, cui alterius cura committitur. Et ad hoc pertinet aliquem verberibus caſtigare. 22. *q.* 65. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 13.

Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

LVctus extremus occupat extrema gaudij, non cujuſlibet; ſed eius gaudij quo quis fruitur creaturâ *In quaſt. diſp. q.* 7. *de malo art.* 3. *ad octauum.*

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 16.

Sapiens timet & declinat à malo, ſtultus autem tranſilit & confidit.

SApiens non abſcondit ſe calumnioſè in iudicio, ſed prudenter. 22. *q.* 69. *art.* 2. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 22.

Errant qui operantur malum.

PEccatum in voluntate non accidit ſine aliqualis ignorantia intellectus; nihil enim volumus niſi bonum verum, vel apparens, vt patet in textu. *Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 92. *ſimile* 12. *q.* 6. *art.* 8. *ad ſecundum. q.* 77. *art.* 2. *in corpore. & q.* 78. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Iob. cap.* 21. *v* 14. *& Prouerb. cap.* 2. *v.* 14. *Vid. q.* 6. *de potentia art.* 6. *ad tertium. & q.* 7. *de malo art.* 1. *ad decimum ſeptionum.*

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 34.

Miſeros facit populos peccatum.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 31. *v.* 6. *lib.* 2. *Paralipom. cap.* 37. *Vid. q.* 28. *de verit. art.* 1. *ad nonum.*

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 1.

Reſponſio mollis frangit iram.

ARguitur, Nullus æſtimat aliquem paruum ex hoc quòd eſt ſibi amicus: ſed ad amicos ſi nos offenderint, vel ſi non iuuerint, magis offendimur; vnde dicitur *Si inimicus maledixiſſet &c.* ergo defectus alicujus non eſt cauſa vt contra ipſum faciliùs iraſcamur. *Pſal.* 54. *v.* 13.

Dicendum quòd indigna deſpectio eſt maximè prouocatiua iræ. Defectus igitur, vel paruitas eius contra quem iraſcimur, facit ad augmentum iræ, inquantum auget indignam deſpectionem. Sicut enim quantò aliquis eſt major, tantò indignius deſpicitur: ita quantò aliquis eſt minor, tantò indigniùs deſpicit. Et ideo nobiles iraſcuntur, ſi deſpiciantur à ruſticis, vel ſapientes ab inſipientibus, vel Domini à ſeruis.

Si verò paruitas vel defectus diminuat deſpectionem indignam, talis paruitas non auget, ſed diminuit iram. Et hoc modo illi qui pœnitent de injurijs factis, & confitentur ſe malè feciſſe, & humiliantur, & veniam petunt, mitigant iram, vt patet *in textu*; inquantum ſcilicet tales videntur non deſpicere, ſed magis magnipendere eos quibus ſe humiliant. *Ira quomodo mitigatur.*

Ad argum. R. quòd deſpectio quæ eſt ab amicis, videtur eſſe magis indigna. Et ideo ex ſimili cauſa magis iraſcimur contra eos ſi deſpiciant vel nocendo, vel non juuando; ſicut è contra minores. 12. *q.* 47. *art.* 4.

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 5.

In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt.

QVomodo vna virtus eſt major alia. 12. *q.* 66. *art* 1. *ſed contra.*

Abundans iuſtitia etiam minora peccata cohibet. 12. *q.* 73. *art.* 4. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 11.

Infernus & perditio coram Deo, quantò magis corda filiorum hominum?

DEus non minùs cognoſcit ſubſtantias intellectuales quàm ipſe vel nos ſubſtantias ſenſibiles; cùm ſubſtantiæ intellectuales ſint magis cognoſcibiles,

Deus cogitationes cordium cognoſc.

putà magis in actu exiſtentes. Informationes autem & inclinationes ſubſtantiarum ſenſibilium cognoſcuntur & à Deo, & à nobis; cùm igitur cogitatio animæ ſit per informationem quandam ipſius, affectio autem quædam ſit inclinatio ipſius ad aliquod (nam ipſam inclinationem rei naturalis appetitum naturalem dicimus) relinquitur quòd Deus cogitationes & affectiones cordium cognoſcat. *Contra Gentil. lib. 1. cap. 68.*

Infernus & perditio coram Domino. Deus cognoſcit mala; quia cognoſcit bona; bono enim cognito, malum oppoſitum cognoſcitur: ſed Deus cognoſcit omnia particularia bona, quibus mala opponuntur, cognoſcit igitur Deus mala.

Præterea, Contrariorum rationes in anima non ſunt contrariæ, aliàs non ſimul eſſent in anima, nec ſimul cognoſcerentur: ratio ergo qua cognoſcitur malum non repugnat bono, ſed magis ad rationem boni pertinet. Si igitur in Deo propter ſuam abſolutam perfectionem inueniuntur omnes rationes bonitatis, relinquitur quòd in ipſo ſit ratio qua malum cognoſcitur, & ſic eſt etiam malorum cognoſcitiuus.

Deus cognoſcit mala.

Item, Verum eſt bonum intellectus, ex hoc enim aliquis intellectus dicitur bonus, quòd verum cognoſcit: verum autem non ſolùm eſt bonum eſſe bonum, ſed etiam malum eſſe malum. Sicut enim verum eſt eſſe quod eſt, ita verum eſt non eſſe, quod non eſt; bonum igitur intellectus etiam in cognitione mali conſiſtit. Sed cùm diuinus intellectus ſit perfectus bonitate, non poteſt illi deeſſe aliqua intellectualium perfectionum; adeſt igitur illi malorum cognitio.

Ampliùs, Deus cognoſcit aliquid aliud à ſe; ergo maximè cognoſcit quòd eſt optimum: hoc autem eſt ordo vniuerſi, ad quem ſicut ad finem omnia particularia bona ordinantur. In ordine autem vniuerſi ſunt quædam quæ ſunt ad remouendum nocumenta quæ poſſent ex quibuſdam alijs prouenire, vt patet in his quæ dantur animalibus ad defenſionem; ergo huiuſmodi nocumenta Deus cognoſcit, cognoſcit igitur mala.

Hoc autem patet *in textu. & Delicta mea à te non ſunt abſcondita. Contra Gentiles lib. 1. cap. 71. ſimile 1. p. q. 14. art. 10.* *Pſal. 68 v. 6.*

PROVERB. *Cap. 15. v. 15.*

Secura mens quaſi iuge conuiuium.

Securitas conſcientiæ, & quies illius magnum bonum eſt, vt patet *in textu*; Et ideo qui conſcientiam alicujus inquietat, confundendo ipſum, aliquod ſpeciale nocumentum ei infert. Vnde deriſio eſt peccatum ſpeciale. *22. q. 75. art. 1. ad tertium.*

PROVERB. *Cap. 15. v. 18.*

Vir iracundus prouocat rixas.

Arguitur, Ira eſt aliud vitium ab inani gloria: ſed diſcordia videtur eſſe filia iræ, vt patet *in textu*; ergo non eſt filia inanis gloriæ.

Diſcordiæ deſcriptio.

Dicendum quòd diſcordia importat quandam diſgregationem voluntatum, inquantum ſcilicet voluntas vnius ſtat in vno, & voluntas alterius ſtat in altero.

Quòd autem volunras alicujus in proprio ſiſtat, prouenit ex hoc quòd aliquis ea quæ ſunt ſua, præfert his quæ ſunt aliorum. Quod cùm inordinatè fit, pertinet ad ſuperbiam, & inanem gloriam.

Et ideo diſcordia per quam vnuſquiſque ſequitur quod ſuum eſt, & recedit ab eo quod eſt alterius, ponitur filia inanis gloriæ.

Ad argum. R. quòd rixa non eſt idem quòd diſcordia: nam rixa conſiſtit in exteriori opere; vnde conuenienter cauſatur ab ira, quæ mouet animum ad nocendum proximo. Sed diſcordia conſiſtit in diſpunctione motuum voluntatis, quam facit ſuperbia, vel inanis gloria. 22. *q.* 37. *art.* 2.

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 10. *v.* 12.

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 27.

Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.

Ab illa damnatione quam humanum genus incurrit propter peccatum primi parentis, nullus poteſt liberari niſi per Chriſtum, qui ſolus ab illa damnatione immunis inuenitur, ita ſcilicet vt ei incorporetur ſicut capiti membrum.

Hoc autem tripliciter fieri poteſt, *primò* quidem per ſuſceptionem baptiſmi, ſecundùm illud *Omnes qui in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Gal. 3. v. 27.

Secundò per ſanguinis effuſionem propter Chriſtum; quia per hoc etiam aliquis paſſioni Chriſti conformatur, à qua efficaciam ſortitur baptiſmus. Vnde dicitur de marryribus quòd *Lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Apo. 7. v. 14.

Tertiò modo per fidem & dilectionem, vt patet *in textu* Et dicitur, *Fide purificans corda eorum.* Act. 15. v. 9. Et, *Per fidem Chriſtus habitat in cordibus noſtris.* Eph. 3. v. 17. Vnde & ipſe baptiſmus dicitur fidei ſacramentum.

Et ſecundùm hoc dicitur eſſe triplex baptiſmus, ſcilicet aquæ, ſpiritus, & ſanguinis; quia alia duo ſupplent vicem baptiſmi aquæ; ſi tamen adſit propoſitum ſuſcipiendi talem baptiſmum: ita ſcilicet quòd articulus neceſſitatis, non autem contemptus religionis ſacramentum excludat. Baptiſmus triplex.

Manifeſtum eſt autem quòd in pueris nondum habentibus vſum rationis, non poteſt eſſe motus fidei, & dilectionis, aut propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum: & ideo non poſſunt ſaluari niſi per baptiſmum aquæ, vel per baptiſmum ſanguinis, ſi propter Chriſtum occidantur; ex quo non ſolùm Chriſtiani, ſed etiam martyres fiunt.

Et ſic patet quòd puer in deſerto moriens ſine baptiſmo, ſalutem non conſequitur. *Quodlib.* 6. *art.* 4. *in corpore.*

Per miſericordiam & fidem purgantur peccata. Arguitur, ſicut per fidem iuſtificatur homo, ita etiam & per quædam alia, ſcilicet per timorem, de quo dicitur, *Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari:* Eccli. 1. v. 27. Et iterum per charitatem, ſecundùm illud *Dimiſſa ſunt ei peccata multa; quoniam dilexit multùm:* Luca. 7. v. 47. Et iterum per humilitatem ſecundùm illud *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam:* Iac. 4. v. 6. Et iterum per miſericordiam, vt patet.

Digitized by Google

in textu; non ergo magis motus fidei requiritur ad iuſtificationem impij, quàm motus prædictarum virtutum.

Ad argum. R. quòd motus fidei non eſt perfectus niſi ſit charitate informatus: vnde ſimul in iuſtificatione impij cum motu fidei, eſt etiam motus charitatis. Mouetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc quòd ei ſe ſubijciat: vnde etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis. Contingit enim vnum & eundem actum liberi arbitrij diuerſarum virtutum eſſe, ſecundùm quod vna imperat, & alia impetatur, prout ſcilicet actus eſt ordinabilis ad diuerſos fines.

Actus autem miſericordiæ operatur circa peccatum per modum ſatisfactionis; & ſic ſequitur iuſtificationem. Vel per modum præparationis inquantum miſericordes miſericordiam conſequuntur; & ſic etiam poteſt præcedere iuſtificationem. Vel etiam ad iuſtificationem concurrere ſimul cum prædictis virtutibus, ſecundùm quod miſericordia includitur in dilectione proximi. 12. *q.* 113. *art.* 4. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 2. *Paralip. cap.* 37.

PROVERB. *Cap.* 15. *v.* 27.

Per timorem Domini declat omnis à malo.

TImor Dei operatur ad vitationem cujuſlibet peccati, vt patet *in textu*: & ideo timor facit negligentiam vitare. Non tamen ita quod directè negligentia timori opponatur, ſed inquantum timor excitat hominem ad actus rationis. 22. *q.* 54. *art.* 2. *ad quartum.*

PROVERB. *Cap.* 16. *v.* 1.

Hominis eſt præpare animam, & Dei eſt dirigere greſſus ſuos.

ARguitur. Eius videtur eſſe correptio, cujus eſt corrigere: ſed hoc eſt ſolius Dei, cùm corrigere dicatur ſimul regere quod ſolius Dei eſt, vt patet *in textu*; ergo non eſt fratris.

R. ad argum. quòd alicujus poteſt eſſe corripere, cujus non eſt corrigere: ſed omnis cujus eſt corrigere, etiam eſt dirigere; ſiquidem dirigere importat ſolùm ordinationem alicujus in finem. Si autem importet perductionem ad finem, ſic ſolius Dei eſt, quia eius ſolius eſt impedimenta auferre, vt aliquis ad finem non impeditus perueniat. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 1. *ad tertium.*

Hominis eſt præparare animam. Arguitur, Illud dicitur eſſe hominis quod per ſeipſum poteſt; ergo per *textum* homo per ſeipſum ſe poteſt ad gratiam præparare.

Ad argum. R. quòd hominis eſt præparare animum; quia hoc facit per liberum arbitrium: ſed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei mouentis, & ad ſe attrahentis. 12. *q.* 109. *art.* 6. *ad quartum. Vid.* 12. *q.* 112. *art.* 2. *in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 7. *v.* 3.

Digitized by Google

PROVERB. *Cap.* 16. *v.* 2.

Omnes viæ hominum patent oculis eius.

DEus cognoſcit ſingularia; omnes enim perfectiones in creaturis inuentæ, in Deo præexiſtunt ſecundùm altiorem modum. Cognoſcere autem ſingularia pertinet ad perfectionem noſtram; vnde neceſſe eſt quòd Deus ſingularia cognoſcat. Nam & philoſophus pro inconuenienti habet quòd aliquid cognoſcatur à nobis quod non cognoſcatur à Deo. 1. *p. q.* 14. *art.* 11.

PROVERB. *Cap.* 16. *v.* 4.

Vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus.

VIdetur quòd Deus omnia æqualiter diligat; quia prouidentia eſt effectus amoris: *ſed æqualiter eſt illi cura de omnibus*; ergo omnia æqualiter diligit. *Sap.* 6. *v.* 8.

2. Sicut cognoſcit omnia, ita diligit omnia: ſed æqualiter cognoſcit omnia; ergo æqualiter omnia diligit.

3. Idem actus non poteſt eſſe intenſior & remiſſior, niſi ſecundùm diuerſas ſui partes: ſed eodem actu ſimplici diligit omnia; ergo non diligit vnum plus altero.

Sed contra, Charitas eſt boni inquantum bonum; ergo magis bonum magis amat.

Dicendum quòd amor dupliciter menſuratur; vno modo ex ſuo principio, & ſic dicitur magis amari illud ad quod amandum efficaciùs voluntas inclinatur: & ſic Deus æqualiter omnia diligit; quia in dilectione ſua reſpectu cujuſlibet rei habet infinitam efficaciam in diligendo.

Alio modo ex parte objecti, ſecundùm quod dicitur aliquis magis diligere illud cui vult majus bonum: & ſic Deus dicitur magis diligere vnum quàm aliud, inquantum vult ei majus bonum: & ex hoc etiam habet majorem effectum in illo; quia voluntas eius eſt cauſa rerum. Amor Dei duplex.

Ad 1. R. quòd æqualiter eſt ei cura de omnibus ex parte ſolicitudinis ipſius, ſed non ex parte eorum quæ eis prouidentur.

Nota quòd dilectio non tantùm importat id quod eſt ex parte Dei, ſed etiam id quod eſt ex parte creaturæ, cujuſmodi bonum prout eſt à Deo volitum, in dilectione Dei includitur. Et ideo quia creaturæ non ſe habent æqualiter ad Deum, nec poſſunt æqualiter bonitatem eius participare; ideo non æqualiter omnia diligit.

Ad 2. R. quòd cognitio eſt ſecundùm motum rei ad animam; amor autem ſecundùm motum animæ ad res. Et ideo cognitio menſuratur tantùm ex parte cognoſcentis: ſed amor eſt ex parte vtriuſque. Non enim dicitur magis cognoſcere, quia majorem rem ineſſe alicui cognoſcit: ſed dicitur magis diligere, cui maius bonum ineſſe vult; vnde non eſt ſimile de dilectione & cognitione.

Ad 3. R. quòd non dicitur magis diligere, quia intenſiùs diligit: ſed quia majus bonum vult.

Nota quòd quantum ad affectum dilectionis, ſemper eundem Deus æqualiter diligit; quia ſemper vult ei idem bonum finaliter:

quamuis non velit quòd ſemper habeat æquale bonum; vel idem: & ideo ſecundùm effectum non eſt æqualis. *Lib. 3. ſent. Diſt. 32. q. 1. art. art, 4. ſimile lib. 1. ſent. diſt. 1. q. 2. art. 1. Vid. q. 5. de potentia art. 4. in corpore.*

Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Videtur quòd non omnia appetant ipſum Deum; nullus enim appetit bonum quod refugit: ſed quidam refugiunt

Pſal. 73. v. 23. Deum cùm odiant ipſum, *Superbia eorum qui te oderunt &c.* Et,

Iob. 21. v. 14. *Recede à nobis &c.*

2. Nullus appetit id quod habet: ſed quidam, ſicut beati, qui eo fruuntur, habent ipſum Deum; ergo non omnia Deum appetunt.

Dicendum quòd omnia naturaliter appetunt Deum implicitè, non autem explicitè. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd ſecunda cauſa non poteſt influere in ſuum effectum niſi inquantum recipit virtutem primæ cauſæ. Sicut autem influere cauſæ efficientis eſt agere; ita influere cauſæ finalis eſt appeti & deſiderari.

Deum omnia appetũt. Et ideo ſicut ſecundarium agens non agit, niſi per virtutem primi agentis exiſtentem in eo: ita ſecundarius finis non appetitur niſi per virtutem finis principalis in eo exiſtentem, prout ſcilicet eſt ordinatum in illud, vel habet ſimilitudinem eius.

Et ideo ſicut Deus propter hoc, quod eſt primum efficiens, agit in omni agente; ita propter hoc quòd eſt vltimus finis, appetitur in omni ne.

Sed hoc eſt appetere ipſum Deum implicitè: ſic enim virtus primæ cauſæ eſt in ſecunda, vt principia in concluſionibus. Reſoluere autem concluſiones in principia, vel ſecundas cauſas in primas, eſt tantùm virtutis rationalis.

Vnde ſola rationalis natura poteſt ſecundarios fines in ipſum Deum per quandam viam reſolutionis inducere, & ſic ipſum Deum explicitè appetere.

Et ſicut in demonſtratiuis ſcientiis non rectè ſumitur concluſio, niſi per reſolutionem in prima principia; ita appetitus creaturæ rationalis non eſt rectus, niſi per appetitum explicitum ipſius Dei, actu, vel habitu.

Sicut ergo nihil habet rationem appetibilis, niſi per ſimilitudinem primæ bonitatis: ita nihil eſt cognoſcibile, niſi per ſimilitudinem primæ veritatis.

Nota quod ipſum eſſe creatum eſt ſimilitudo diuinæ bonitatis: vnde inquantum aliqua deſiderant eſſe, deſiderant Dei ſimilitudinem, & Deum implicitè.

Ad 1. R. quòd Deus dupliciter poteſt conſiderari, vel in ſe, vel in effectibus ſuis. In ſe quidem cùm ſit ipſa eſſentia bonitatis, non poteſt non diligi: vnde ab omnibus videntibus eum per eſſentiam diligitur; & ibi quantùm quiſque cognoſcit, tantùm diligit.

Sed in aliquibus effectibus ſuis inquantum ſunt contrarii voluntati, ſicut ſunt pœnæ illatæ, vel præcepta quæ grauia videntur; ipſe Deus refugitur, & quodammodo odio habetur.

Et tamen oportet quòd illi, qui eum quantùm ad aliquos effectus odiunt, in aliis effectibus diligant eum; ſicut ipſi dæmones appetunt

eſſe

eſſe & viuete naturalitet; & in hoc ipſum Deum appetunt & diligunt.

Ad 2. R. quòd beati qui jam fruuntur Deo, appetunt fruitionis continuitatem. Et iterum ipſa fruitio eſt ſicut jam quidam habitus perfectus ſuo appetibili; quamuis nomen appetitus imperfectionem importet.

Nota quòd ſola creatura rationalis eſt capax Dei; quia ipſa ſola poteſt ipſum cognoſcere & amare explicitè. Sed aliæ creaturæ participant diuinam ſimilitudinem, & ſic ipſum Deum appetunt. *In quæſt diſp. q. 22. de verit. art. 2.*

Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Videtur quòd creatura corporalis non ſit facta propter Dei bonitatem; dicitur
Sap. 1. v. 14. enim *Creauit Deus vt eſſent omnia*; ergo omnia ſunt creata propter proprium eſſe, & non propter Dei bonitatem.

2. Bonum habet rationem finis; ergo id quod eſt magis bonum in rebus, eſt finis minùs boni. Creatura autem ſpiritualis comparatur ad corporalem ſicut majus bonum ad minus bonum; ergo creatura corporalis eſt propter ſpiritualem, & non propter Dei bonitatem.

Dicendum quòd ex omnibus creaturis conſtituitur totum vniuerſum, ſicut totum ex partibus. Si autem alicujus totius & partium eius velimus finem aſſignare, inueniemus *Primò* quidem quòd ſingulæ partes ſunt propter ſuos actus, ſicut oculus ad videndum. *Secundò* verò quòd pars ignobilior eſt propter nobiliorem, ſicut ſenſus propter intellectum, & pulmo propter cor. *Tertiò* verò omnes partes ſunt propter perfectionem totius, ſicut & materia propter formam; partes enim ſunt quaſi materia totius.

Vlteriùs autem totus homo eſt propter aliquem finem extrinſecum, putà vt fruatur Deo. Sic igitur & in partibus vniuerſi vnaquæque creatura eſt propter ſuum proprium actum & perfectionem.

Secundò autem creaturæ ignobiliores ſunt propter nobiliores, ſicut creaturæ quæ ſunt infra hominem, ſunt propter hominem.

Vlteriùs autem ſingulæ creaturæ ſunt propter perfectionem totius vniuerſi. Vlteriùs autem totum vniuerſum cum ſingulis ſuis partibus ordinatur in Deum ſicut in finem; inquantum eis per quandam imitationem diuina bonitas repræſentatur ad gloriam Dei.

Quamuis creaturæ rationales ſpeciali quodam modo ſupra hoc habeant finem Deum, quem attingere poſſunt ſuâ operatione, cognoſcendo & amando. Et ſic patet quòd diuina bonitas eſt finis omnium corporalium.

Ad 1. R. quòd in hoc ipſo quòd creatura aliqua habet eſſe, repræſentat diuinum eſſe, & bonitatem eius. Et ideo per hoc quòd Deus creauit omnia vt eſſent, non excluditur quin creauerit omnia propter ſuam bonitatem.

Ad 2. R. quòd finis proximus non excludit finem vltimum. Vnde per hoc quòd creatura corporalis facta eſt quodammodo propter ſpiritualem, non remouetur quin ſit facta propter Dei bonitatem. *1. p. q. 65. art. 2. Vid. 1. p. q. 44. art. 4. & 1. p. q. 103. art. 2.*

Idem locus explicatur ſupra *Iob cap. 34. v. 13.*

PROVERB. *Cap. 16. v. 6.*

In timore Domini declinat omnis à malo.

CItatur. 12. *q.* 68. *art.* 4. *in corpore.*

PROVERB. *Cap. 16 v. 7.*

Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 3. *v.* 1.

PROVERB. *Cap. 16. v. 33.*

Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 14. *v.* 42. *& lib.* 2. *Paralipom. cap.* 1. *v.* 12.

PROVERB. *Cap. 17. v. 3.*

Sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ſic probatur homo ore laudantium.

VIdetur quòd Deus non ſit ore laudandus, nam dicitur quòd
Eccl 43. v. 33. *Deus maior eſt omni laude.*

2. Laus Dei ad cultum ipſius pertinet; eſt enim religionis actus: ſed Deus mente colitur magis quàm ore. Vnde Dominus contra quoſdam inducit illud, *Populus*
Matt. 15 v. 8. Eſa. 29. v. 13. *hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*; ergo laus Dei magis conſiſtit in corde quàm in ore.

3. Homines ad hoc ore laudantur, vt ad meliora prouocentur. Sicut enim mali ex ſuis laudibus ſuperbiuut, ita boni ex ſuis laudibus ad meliora prouocantur, vt patet *in textu*: ſed Deus per verba hominum non prouocatur ad meliora, tum quia immutabilis eſt, tum quia ſummè bonus eſt, & non habet quo creſcat; ergo Deus non eſt laudandus ore.

Sed contra eſt quod dicitur, *Labiis exultationis laudabit os meum.* Pſal. 62. v. 6.

Dicendum quòd verbis aliâ ratione vtimur ad Deum, & aliâ ratione ad hominem. Ad hominem enim vtimur verbis, vt conceptum noſtri cordis, quem non poteſt cognoſcere, niſi verbis noſtris, ei exprimamus. Et ideo laude oris ad hominem vtimur, vt vel ei, vel alijs innoteſcat, quòd bonam opinionem de laudato habemus; vt per hoc & ipſum qui laudatur ad meliora prouocemus, & alios apud quos laudatur, in bonam opinionem & reuerentiam & imitationem ipſius inducamus. Deus ore laudandus.

Sed ad Deum verbis vtimur, non quidem vt ei qui eſt inſpector cordium, noſtros conceptus manifeſtemus; ſed vt nos ipſos, & alios laudantes, ad eius reuerentiam inducamus.

Et ideo neceſſaria eſt laus oris; non quidem propter Deum, ſed propter ipſum laudantem, cujus affectus excitatur in Deum ex laude ipſius, ſecundùm illud *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Pſa. 49 v. 23.

Et inquantum homo per diuinam laudem affectu aſcendit in Deum, intantum per hoc retrahitur ab his quæ ſunt contra Deum, ſecundùm illud *Laude meâ infrenabo te, ne intereas.* Eſa. 48. v. 9.

Digitized by Google

Prodeſt etiam laus oris ad hoc quòd aliorum affectus prouocetur in Deum. Vnde dicitur; *Semper laus eius in ore meo.* Et poſtea ſubditur, *Audiant manſueti & lætentur; magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.*

Pſal. 33. *v.* 2.

Ad 1. R. quòd de Deo dupliciter poſſumus loqui: vno modo quantùm ad eius eſſentiam; & ſic cùm ſit incomprehenſibilis & ineffabilis, major eſt omni laude. Debetur autem ei ſecundùm hanc comparationem reuerentia & latriæ honor.

Alio modo ſecundùm effectus ipſius qui in noſtram vtilitatem ordinantur: & ſecundùm hoc debetur laus Deo. Vnde dicitur *Miſerationum Domini recordabor, laudum Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus.*

Eſa. 63. *v.* 7.

Ad 2. R. quòd laus oris inutilis eſt laudanti, ſi ſit ſine laude cordis. Sed tunc loquitur Deo laudem, dum magnalia operum eius recogitat cum affectu.

Valet tamen exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis, ad prouocandum alios ad Dei laudem.

Ad 3. R. quòd Deum non laudamus propter vtilitatem ſuam, ſed propter vtilitatem noſtram. 22. *q.* 91. *art.* 1.

PROVERB. *Cap.* 17. *v.* 16.

Quid prodeſt ſtulto diuitias habere cum ſapientiam emere non poſſit?

PEcuniâ poſſunt haberi omnia venalia; non autem ſpiritualia, quæ vendi non poſſunt, vt patet in textu. 12. *q.* 2. *art.* 1. *ad ſecundum.*

PROVERB. *Cap.* 17. *v.* 19.

Qui meditatur diſcordias, ſeminat rixas.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap.* 10. *v.* 12.

PROVERB. *Cap.* 17. *v.* 22.

Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.

TRiſtitia inter omnes animæ paſſiones magis corpori nocet, cujus ratio eſt quia triſtitia repugnat humanæ vitæ quantùm ad ſpeciem motus ſui, & non ſolùm quantum ad menſuram ſeu quantitatem, ſicut aliæ animæ paſſiones.

Conſiſtit enim humana vita in quadam motione quæ à corde in cætera membra diffunditur: quæquidem motio conuenit naturæ humanæ ſecundùm aliquam determinatam menſuram.

Si ergo iſta motio procedat vltra menſuram debitam, repugnabit humanæ vitæ ſecundùm quantitatis menſuram, non autem ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei.

Si autem impediatur proceſſus hujus motionis, repugnabit vitæ ſecundùm ſuam ſpeciem.

Eſt autem attendendum in omnibus animæ paſſionibus quòd transmutatio corporis, quæ eſt in eis materialis, eſt conformis & proportionata motui appetitus, qui eſt formalis; ſicut in omnibus materia proportionatur formæ.

Illæ ergo animæ paſſiones quæ important motum appetitus ad perſequendum aliquid, non repugnant vitali motioni ſecundùm

Triſtitia plus nocet aliis

paſſionibus. ſpeciem ; ſed poſſunt repugnare ſecundùm quantitatem ; vt amor, gaudium, deſideriū, & huiuſmodi. Et ideo iſta ſecundùm ſpeciem ſuam iuuant naturam corporis : ſed propter exceſſum poſſunt nocere.

Paſſiones autem quæ important motum appetitus, cum fuga vel retractione quadam, repugnant vitali motioni, non ſolùm ſecundùm quantitatem, ſed etiam ſecundùm ſpeciem motus.

Et ideo ſimpliciter nocent ; ſicut timor, & deſperatio, & præ omnibus triſtitia, quæ aggrauat animam ex malo præſenti, cuius eſt fortior impreſſio, quàm futuri.

Prou. 25 v. 20. Hoc patet *in textu*. Et, *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno ; ita triſtitia viri nocet cordi.* Et, *A triſti-*
Eccl. 38. v. 19. *tia feſtinat mors.* 1. 2. *q.* 37. *art.* 4.

PROVERB. *Cap.* 18. *v.* 3.

Impius cùm in profundum venerit, contemnit.

DIcendum quòd ille qui habet habitum alicuius vitii, eſt quidem corruptus circa principia operabilium ; non quidem in vniuerſali, ſed in particulari operabili, inquantum ſcilicet per habitum vitii deprimitur ratio, ne vniuerſale iudicium ad eius particulare operabile applicet in eligendo. Et per hunc modum impius in profundum peccatorum veniens, contemnere dicitur. *In quaeſt. diſp. q.* 16. *de veritate art.* 3. *ad quartum.*

Impius cùm in profundum venerit, contemnit. Frequentia peccati diſpoſitiuè inducit ad contemptum, vt patet in textu. 2. 1. *q.* 186. *art.* 9. *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 4. *v.* 18.

PROVERB. *Cap.* 18. *v.* 5.

Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 23. *v.* 3.

PROVERB. *Cap.* 18 *v.* 6.

Labia ſtulti miſcent ſe rixis.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap.* 10. *v.* 11.

PROVERB *Cap.* 18. *v.* 24.

Vir amicabilis ad ſocietatem, magis erit amicus quàm frater.

ARguitur, Videtur *per textum* quòd illi qui ſunt coniuncti ſanguine, non ſunt magis diligendi quàm alii. Amicitiæ cōparatio inter parentes & amicos.

Ad argum. R. quòd quia amicitia ſociorum propriâ electione contrahitur in his quæ ſub noſtra electione cadunt, putà in agendis; præponderat hæc dilectio dilectioni conſanguineorum ; vt ſcilicet magis cum illis conſentiamus in agendis.
Amicitia tamen conſanguineorum eſt ſtabilior, vt pote naturalior exiſtens ; & præualet in his quæ ad naturam ſpectant. Vnde magis eis tenemur in prouiſione neceſſariorum. 2. 2. *q.* 26. *art.* 8. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 19. *v.* 16.

Qui negligit viam ſuam, mortificabitur.

ARguitur in lege fuerunt ſtatuta ſacrificia pro peccatis mortalibus : ſed nullum fuit ſtatu-

Digitized by Google

tum ſacrificium pro negligentia; ergo non eſt peccatum mortale.

Dicendum quòd negligentia prouenit ex quadam remiſſione voluntatis, per quam contingit quòd ratio non ſolicitatur, vt præcipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet.

Poteſt ergo dupliciter contingere quòd negligentia ſit peccatum mortale; vno modo ex parte eius quod prætermittitur per negligentiam: quod quidem ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſiue ſit actus, ſiue circumſtantia, erit peccatum mortale.

Quãdo negligentia eſt peccatum mortale.

Alio modo ex parte cauſæ: ſi enim voluntas intantum ſit remiſſa circa ea quæ ſunt Dei vt totaliter à Dei charitate deficiat, talis negligentia eſt peccatum mortale.

Et hoc præcipuè contingit, quando negligentia ſequitur ex contemptu: alioquin ſi negligentia conſiſtat in prætermiſſione alicujus actus vel circumſtantiæ, quæ non ſit de neceſſitate ſalutis, nec hoc fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu feruoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum; tunc negligentia non eſt peccatum mortale, ſed veniale.

Ad argum. R. quòd quando negligentia conſiſtit in prætermiſſione eorum quæ ſunt de neceſſitate ſalutis; tunc trahitur ad aliud genus peccati magis manifeſtum. Peccata enim quæ conſiſtunt in interioribus actibus ſunt magis occulta. Et ideo pro eis certa ſacrificia non injungebantur in lege; quia ſacrificiorum oblatio erat quædam publica proteſtatio peccati, quæ non eſt facienda de peccato occulto. 22. *q.* 54. *art.* 3.

PROVERB. *Cap* 19. *v.* 25.

Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit.

SEcundùm leges humanas aliqui morte puniuntur, non quidem ad emendationem ſui, ſed aliorum, vt patet in textu. Quidam etiam ſecundùm humanas leges à ciuitate perpetuo exilio excluduntur; vt eis ſubtractis ciuitas purior reddatur. Vnde dicitur *Ejice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabunt cauſæ & contumeliæ. Contra Gentiles Lib.* 3. *cap* 144. *Prou* 22 *v.* 10.

Peſtilente flagellato &c. Videtur quòd nullum peccatum inducat reatum æternæ pœnæ; pœna enim iuſta adæquatur culpæ; iuſtitia enim æqualitas eſt. Vnde dicitur *In menſura contra menſuram cùm abiecta fuerit, iudicabit eam:* Sed peccatum eſt temporale, ergo non inducit reatum pœnæ æternæ. *Eſa.* 27. *v.* 8.

2. Nullus ſapiens facit aliquid niſi propter ſe in ipſo delectetur: *Sed Deus non delectatur in perditione hominum* vt dicitur; ergo non puniet homines pœnâ ſempiternâ. *Sap.* 1. *v.* 13.

3. Nihil quod eſt per accidens, eſt infinitum: ſed pœna eſt per accidens; non eſt enim ſecundum naturam eius qui punitur; ergo non poteſt in infinitum durare.

Sed contra eſt quod dicitur, *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Et dicitur, *Qui blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed erit reus æterni delicti.* *Matt.* 25 *v.* 46. *Marci* 3 *v.* 29.

Dicendum quòd peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ quòd peruertit aliquem ordinem: manente autem cauſâ manet effectus.

Digitized by Google

Vnde quandiu peruerſitas ordinis remanet, neceſſe eſt quòd remaneat reatus pœnæ.

Peruertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter; quandoque autem irreparabiliter: ſemper enim defectus, quo ſubtrahitur principium, irreparabilis eſt. Si autem ſaluetur principium, eius virtute alij defectus reparari poſſunt. Sicut ſi corrumpatur principium viſiuum, non poteſt fieri viſionis reparatio, niſi ſolâ virtute diuinâ. Si verò ſaluo principio viſiuo, aliqua impedimenta adueniant viſioni; reparari poſſunt per naturam vel per artem.

Peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ.

Cujuſlibet autem ordinis eſt aliquod principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis. Et ideo ſi per peccatum corrumpatur principium ordinis quo voluntas hominis ſubditur Deo, erit inordinatio quantùm eſt de ſe irreparabilis; etſi reparari poſſit virtute diuinâ.

Principium autem hujus ordinis eſt vltimus finis, cuj homo inhæret per charitatem. Et ideo quæcumque peccata auertunt à Deo charitatem auferentia, quantùm eſt de ſe, inducunt reatum æternæ pœnæ.

Ad 1. R. quòd pœna peccato proportionatur ſecundùm acerbitatem, tam in iudicio diuino, quàm in humano. Sed in nullo iudicio requiritur vt pœna adæquetur culpæ ſecundùm durationem.

Nota quòd pœna, quæ etiam ſecundùm leges humanas infligitur, non ſemper eſt medicinalis ei qui punitur, ſed ſolùm alijs; ſicut cùm latro ſuſpenditur, non vt ipſe emendetur, ſed propter alios, vt ſaltem metu pœnæ peccare deſiſtant, vt patet *in textu*.

Sic igitur & æternæ pœnæ reproborum à Deo inflictæ, ſunt medicinales his, qui conſideratione pœnarum abſtinent à peccatis, ſecundùm illud *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Pſal. 59. v. 6.

Ad 2. R. quòd Deus non delectatur in pœnis propter ipſas; ſed delectatur in ordine ſuæ iuſtitiæ, quæ hæc requirit.

Ad 3. R. quòd pœna etſi per accidens ordinetur ad naturam, per ſe tamen ordinatur ad priuationem ordinis & ad Dei juſtitiam; & ideo durante inordinatione ſemper durat pœna. 12. q. 87. art. 3.

PROVERB. Cap. 20. v. 1.

Luxurioſa res vinum.

Arguitur, Ieiunium eſt inſtitutum ad concupiſcentias carnis refrænandas: ſed magis concupiſcentiam prouocat potus vini, quàm eſus carnium, vt patet *in textu*. Et, *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria*; cùm ergo non interdicatur jeiunantibus potus vini, videtur quòd non debeat interdici eſus carnium. Eph. 5. v. 18.

Ad argum. R. quòd ad actum generationis tria concurrunt, ſcilicet calor, ſpiritus, & humor. Ad calorem quidem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus. Ad ſpiritus autem videntur cooperari inflatiua. Sed ad humorem maximè cooperatur vſus carnium, ex quibus multùm d

alimento generatur. Alteratio autem caloris & multiplicatio ſpirituum citò tranſit: ſed ſubſtantia humoris diu manet. Et ideo magis interdicitur ieiunantibus vſus carnium, quàm vini, vel leguminum, quæ ſunt inflatiua. 22. *q.* 147. *art.* 8. *ad primum. Vid.* 22. *q.* 153. *art.* 1.

PROVERB. *Cap.* 20. *v.* 8.

Rex qui ſedet in ſolio iudicii, diſſipat omne malum.

ARguitur, Iudiciaria poteſtas aſſequitur regiam dignitatem, vt patet *in textu*: ſed regiam dignitatem Chriſtus obtinuit abſque meritis; competit enim ex hoc ipſo quòd eſt vnigenitus Dei;
Luc. 1. v. 32. dicitur enim *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*; Ergo Chriſtus iudiciariam poteſtatem non obtinuit ex meritis.

Sed contra eſt quod dicitur,
Iob. 37. v. 17. *Cauſa tua quaſi impii iudicata eſt, cauſam iudiciúmque recipies.*

Dicendum quòd nihil prohibet vnum & idem deberi alicui ex cauſis diuerſis, ſicut gloria corporis reſurgentis debita fuit Chriſto, non ſolùm propter congruentiam diuinitatis, & propter gloriam animæ; ſed etiam ex merito humilitatis paſſionis.

Chriſtus meruit iudiciariã poteſtatem. Et ſimiliter dicendum eſt quòd iudiciaria poteſtas homini Chriſto competit, & propter diuinam perſonam, & propter capitis diuinitatem, & propter plenitudinem gratiæ habitualis. Et tamen etiam ex merito eam obtinuit, vt ſcilicet ſecundùm Dei iuſtitiam iudex eſſet, qui pro Dei iuſtitia pugnauit & vicit, & iniuſtè iudicatus eſt. Vnde ipſe dicit, *Ego vici, & ſedi in throno Patris mei.* Apo. 3. v. 21. In throno autem intelligitur iudiciaria poteſtas, ſecundùm illud, *Sediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam.* Pſal. 9. v. 5.

Ad argum R. quòd ratio illa procedit de iudiciaria poteſtate, ſecundùm quod debetur Chriſto ex ipſa vnione ad Verbum Dei. 3. *p. q* 59 *art.* 3.

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 8. *v.* 11.

PROVERB. *Cap.* 20. *v.* 14.

Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor; & cùm receſſerit gloriatur.

DIcendum quòd fraudem adhibere ad hoc quòd aliquid plus iuſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt, inquantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius. 22. *q.* 77. *art.* 1. *in corpore.*

PROVERB. *Cap.* 20. *v.* 18.

Cogitationes conſiliis roborabuntur.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 1. *v.* 27.

PROVERB. *Cap.* 21. *v.* 1.

Cor regis in manu Dei eſt, quocumque voluerit vertit illud.

DEus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate, non tamen poteſt eam cogere: quantumcumque enim voluntas immutetur in aliquid, non dicitur cogi in illud. Cujus ratio eſt quia ipſum velle aliquid eſt inclinari in illud: coactio autem vel violentia eſt

contraria inclinationi illius rei quæ cogitur.

Cùm igitur Deus voluntatem immutar facit vt præcedenti inclinationi ſuccedat alia inclinatio; & ita quòd prima aufertur, & ſecunda manet. Vnde illud, ad quod inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi jam exiſtenti; ſed inclinationi, quæ prius inerat. Vnde non eſt violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione ſuæ grauitatis ineſt inclinatio ad locum deorſum: hac autem inclinatione manente, ſi ſurſum proijciatur, erit violentia. Si autem Deus auferat à lapide inclinationem grauitatis, & det ej inclinationem leuitatis; tunc fieri ſurſum non erit ei violentum. Et ita immutatio motus poteſt eſſe ſine violentia.

Quomodo Deus non cogit voluntaté. Et per hunc modum intelligendum eſt quòd Deus voluntatem immutat ſine eo quòd voluntatem cogat. Poteſt autem Deus voluntatem immutare ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur, ſicut in natura. Vnde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis actio voluntatis, inquantum eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate, vt immediatè agente: ſed à Deo, vt à primo agente qui vehementiùs imprimit. Vnde ſicut voluntas poreſt immutare actum ſuum in aliud, ita & multò ampliùs Deus.

Immutat autem voluntatem dupliciter *vno modo* mouendo tantum, quando ſcilicet voluntatem mouet ad aliquid volendum ſine hoc quòd aliquam formam imprimat voluntati: ſicut ſine appoſitione alicujus habitus quandoque facit vt homo velit hoc quod priùs non volebat.

Alio verò *modo* imprimendo aliquam formam in ipſam voluntatem. Sicut enim ex ipſa natura quam Deus voluntati dedit inclinatur voluntas in aliquid volendum; ita ex aliquo ſuperaddito, ſicut eſt gratia, vel virtus, inclinatur vlteriùs ad volendum aliquid aliud, ad quod priùs non erat determinata naturali inclinatione.

Sed hæc quidem inclinatio ſuperaddita quandoque eſt perfecta, quandoque imperfecta Quando quidem eſt perfecta, facit neceſſariam inclinationem in id ad quod determinat; ſicut per naturam de neceſſitate inclinatur voluntas in appetendum finem, ſicut contingit in beatis, in quibus charitas perfecta inclinat ſufficienter in bonum, non ſolùm quantùm ad finem vltimum; ſed quantùm ad ea quæ ſunt ad finem.

Aliquando verò forma ſuperaddita, non eſt vſquequaque perfecta; ſicut eſt in viatoribus: & tunc ex forma ſuperaddita, voluntas inclinatur quidem; ſed non ex neceſſitate. *In quæſt. diſput. q.* 22. *de veritate art.* 8.

Cor regis in manu Dei. Videtur quòd homo non ſit liberi arbitrij; quicumque enim eſt liberi arbitrij, facit quod vult: ſed homo non facit quod vult: dicitur enim *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*; ergo homo non eſt liberi arbitrij. Rom. 8. v. 15.

2. Quicumque eſt liberi arbitrij, eius eſt velle & non velle, operari & non operari: ſed hoc non eſt hominis; dicitur enim *Non eſt volentis*, Scilicet velle; *Neque currentis*, ſcilicet currere; ergo. Rom 9. v. 16.

3. Liberum

813

3. Liberum eſt quod ſui causâ eſt; quod ergo mouetur ab alio non eſt liberum: ſed Deus mouet voluntatem, vt patet *in textu*. Et. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*; Ergo homo non eſt liberi arbitrij.

Philip. 2. v. 13.

4. Quicumque eſt liberi arbitrij, eſt dominus ſuorum actuum: ſed homo non eſt dominus ſuorum actuum; quia vt dicitur, *Non eſt in homine via eius, nec viri eſt vt dirigat greſſus ſuos*; ergo homo non eſt liberi arbitrij.

Hier. 10. v. 23.

Sed contra eſt quod dicitur, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui*, Id eſt, in libertate arbitrij.

Eccl. 15. v. 14.

Dicendum quòd homo eſt liberi arbitrij, alioquin fruſtra eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia & pœnæ.

Ad cujus euidentiam conſiderandum eſt quòd quædam agunt abſque iudicio; ſicut lapis mouetur deorſum: & ſimiliter omnia cognitione carentia. Quædam agunt iudicio, ſed non libero; ſicut animalia bruta: iudicat enim ouis videns lupum, eſſe fugiendum, naturali iudicio, & non libero; quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc iudicat. Et ſimile eſt de quolibet iudicio brutorum animalium.

Homo eſt liberi arbitrij.

Sed homo agit iudicio; quia per vim cognoſcitiuam iudicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum, ſed quia iudicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis; ideo agit libero iudicio potens in diuerſa ferri.

Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppoſita, vt patet in dialecticis ſyllogiſmis, & rhetoricis perſuaſionibus. Particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia. Et ideo circa ea iudicium rationis ad diuerſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum. Et pro tanto neceſſe eſt quòd homo ſit liberi arbitrij, ex hoc ipſo quòd rationalis eſt.

Ad 1. R. quòd appetitus ſenſitiuus etſi obediat rationi, tamen poteſt in aliquo repugnare, concupiſcendo contra illud quod ratio dictat. Hoc ergo eſt bonum quòd homo non facit cùm vult, ſcilicet non concupiſcere contra rationem.

Ad 2. R. quòd verbum illud Apoſtoli non ſic eſt intelligendum, quaſi homo non velit, & non currat libero arbitrio; ſed quia liberum arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens niſi moueatur & juuetur à Deo.

Ad 3. R. quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus; quia homo per liberum arbitrium ſeipſum mouet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt, ſicut nec ad hoc quòd aliquid ſit cauſa alterius, requiritur quòd ſit prima cauſa eius.

Deus igitur eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis mouendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales: ita mouendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ; ſed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque ſecundùm eius proprietatem.

Ad 4. R. quòd dicitur non eſſe

Digitized by Google

in homine via eius quantùm ad executiones electionum, in quibus homo impediri poteſt, velit nolit. Electiones autem ipſæ ſunt in nobis, ſuppoſito tamen diuino auxilio. 1. *p. q.* 83. *art.* 1.

Cor regis in manu Domini. Immutare voluntatem eſt proprium Dei, vt patet *in textu*.

Dicendum quòd voluntas poteſt immutari dupliciter: vno modo ab interiori: & ſic cùm motus voluntatis non ſit aliud quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, ſolius Dei eſt ſic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis. Sicut enim inclinatio naturalis non eſt, niſi à Deo, qui dat naturam; ita inclinatio voluntaria non eſt niſi à Deo, qui cauſat voluntatem.

Voluntas poteſt dupliciter immutari.

Alio modo mouetur voluntas ab exteriori. Et hoc in Angelo eſt vno modo tantùm, ſcilicet à bono apprehenſo per illum. Vnde ſecundùm quod aliquis eſt cauſa quòd aliquid apprehendatur vt bonum ad appetendum, ſecundùm hoc mouet voluntatem. Et ſic ſolus Deus efficaciter poteſt mouere voluntatem: Angelus autem & homo per modum ſuadentis. Sed præter hunc modum etiam aliter mouetur in hominibus voluntas ab exteriori, ſcilicet ex paſſione exiſtente, circa appetitum ſenſitiuum. Sicut ex concupiſcentia, vel ira inclinatur voluntas ad aliquid volendum. Et ſic etiam Angeli inquantum poſſunt concitare hujuſmodi paſſiones, poſſunt voluntatem mouere, non tamen ex neceſſitate; quia voluntas ſemper remanet libera ad conſentiendum, vel reſiſtendum paſſioni. 1. *p. q.* 111. *art.* 2.

Cor regis in manu Domini. Videtur quòd voluntati poſſit violentia inferri; vnumquodque enim poteſt cogi à potentiori: ſed aliquid eſt humanâ voluntate potentius, ſcilicet Deus; ergo ſaltem ab eo cogi poteſt.

2. Motus violentus eſt qui eſt contra naturam: ſed motus voluntatis aliquando eſt contra naturam, vt patet de motu voluntatis ad peccandum, qui eſt contra naturam; ergo motus voluntatis poteſt eſſe coactus.

Dicendum quòd duplex eſt actus voluntatis: vnus quidem qui eſt eius immediatè, velut ab ipſa elicitus, ſcilicet velle. Alius qui eſt actus voluntatis, à voluntate imperatus, & mediante aliâ potentiâ exercitus; vt ambulare, & loqui; qui à voluntate imperatur mediante potentiâ motiuâ.

Voluntatis actus duplex.

Quantùm igitur ad actus à voluntate imperatos, voluntas violentiam pati poteſt, inquantum per violentiam exteriora membra impediri poſſunt, ne imperium voluntatis exequatur.

Sed quantùm ad ipſum proprium actum voluntatis, non poteſt ei violentia inferri. Et hujus ratio eſt, quia actus voluntatis nihil eſt aliud quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoſcente; ſicut appetitus naturalis eſt quædam inclinatio ab interiori principio, & ſine cognitione.

Appetitus naturalis deſcriptio.

Quod autem eſt coactum vel violentum, eſt ab exteriori principio: vnde contra rationem ipſius actus voluntatis eſt, quòd ſit coa-

Digitized by Google

ctus vel violentus. Sicut etiam eſt contra rationem naturalis inclinationis vel motus lapidis, quòd feratur ſurſum: poteſt enim lapis per violentiam ferri ſurſum. Sed quòd iſte motus violentus ſit ex eius naturali inclinatione eſſe non poteſt.

Similiter etiam poteſt homo per violentiam trahi, ſed quòd hoc ſit ex eius voluntate, repugnat rationi violentiæ.

Ad 1. R. quòd Deus qui eſt potentior quàm voluntas humana, poteſt voluntatem mouere, vt patet *in textu*. Sed ſi hoc eſſet per violentiam, jam non eſſet cum actu voluntatis, nec ipſa voluntas moueretur; ſed aliquid contra voluntatem.

Ad 2. R. quod id in quod voluntas tendit peccando, etſi ſit malum, & contra rationalem naturam ſecundùm rei veritatem; apprehenditur tamen vt bonum & conueniens homini ſecundùm aliquam delectationem ſenſus, vel ſecundùm aliquem habitum corruptum. 1. *p. q.* 6. *art.* 4.

Cor regis in manu Dei. Videtur quòd per pœnitentiam non omnia peccata remoueantur; dicit enim Apoſtolus quòd *Eſau non inuenit*
Hebr. 12 *pœnitentiæ locum, quanquam cum*
v. 17. *lachrymis inquiſiſſet eam.* Et dicitur
2. *Mach* de Antiocho, *Orabat ſceleſtus*
9. *v.* 13. *Deum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.*

2. Dominus dicit, *Qui dixerit*
Matt. 12 *contra ſpiritum ſanctum verbum,*
v. 31. *non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*; Non ergo omne peccatum remitti poteſt per pœnitentiam.

Sed contra eſt quod dicitur, *Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor ampliùs.* *Ezech.* 18. *v.* 22.

Dicendum quòd hoc, quòd aliquod peccatum per pœnitentiam tolli non poſſit, poteſt contingere dupliciter: vno modo quia aliquis de peccato pœnitere non poſſet: alio modo quia pœnitentia non poſſet delere peccatum.

Primò quidem modo non poſſunt per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum; quia affectus eorum ſunt confirmati in malo; ita quod non poteſt eis diſplicere peccatum inquantum eſt culpa; ſed ſolùm diſplicet eis pœna quam patiuntur. Ratione cujus aliquam pœnitentiam, ſed infructuoſam habent; ſecundùm illud *Pœnitentiam agentes, & præ angustia ſpiritus gementes.* Vnde talis *Sap.* 5. *v.* 3. pœnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione.

Tale autem non poteſt eſſe aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile eſt ad bonum & ad malum. Vnde dicere quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. *Primò* quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. *Secundò*, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moueri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum, vt patet *in textu.*

Per pœnitentiã remitti poſſunt omnia peccata.

Quòd autem ſecundo modo non poſſit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum. *Primò* quidem quia repugnat diuinæ miſericordiæ, de qua dicitur quòd *Benignus*
& miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Vinceretur enim quodam- *Ioel.* 2. *v.* 13.

modo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet.

Secundò, quia hoc derogaret virtuti paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur, ſicut & cætera ſacramenta; cùm ſcriptum ſit,
1.*Ioan.*2 *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis, non*
v. 2. *ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi.*

Vnde ſimpliciter dicendum eſt, quòd omne peccatum in hac vita per pœnitentiam veram deleri poteſt.

Ad 1. R. quòd Eſau non verè
*Gen.*27. pœnituit. Quod patet ex hoc quòd
v. 14. dixit, *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Similiter etiam nec Antiochus verè pœnituit; dolebat enim de culpa præterita, non propter offenſam Dei; ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

Ad 2. R. quòd illud verbum, vel blaſphemia contra Spiritum ſanctum, eſt finalis impœnitentia, quæ penitus irremiſſibilis eſt; quia poſt finem hujus vitæ non eſt remiſſio peccatorum. Vel ſi intelligatur per blaſphemiam Spiritus ſancti, peccatum quod fit ex certa malitia, vel etiam ipſa blaſphemia Spiritus ſancti; dicitur non remitti, ſcilicet de facili: vel quia tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis; vel quia pro tali peccato punitur aliquis & in hoc ſeculo, & in futuro. *3. p. q.* 86. *art.* 1.

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 7. *v.* 3. *Vid Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 88. *q.* 16. *de malo art.* 5. *in corpore. Et* 12. *q.* 6. *art.* 4. *ad tertium.*

Cor regis in manu Domini &c. Videtur quòd homo non ſit liberi arbitrij; quicumque enim eſt liberi arbitrij, eſt dominus ſuorum actuum: homo autem non eſt hujuſmodi, vt videtur per id quod dicitur, *Non eſt in homine via eius, nec* *Hier.*10.
viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus *v.* 23.
ſuos; ergo homo non eſt liberi arbitrij.

2. Id quod poteſt ab altero immutari non eſt liberum; quia liberum eſt quod cauſa ſui eſt: ſed arbitrium hominis poteſt immutari à Deo, vt patet *in textu*; ergo.

Sed contra eſt quod dicitur,
Deus ab initio conſtituit hominem, *Eccl.*15.
& reliquit eum in manu conſilii ſui, *v.* 14.
Id eſt, in poteſtate liberi arbitrij. Præterea, nullus debet puniri vel præmiari niſi pro eo quod eſt in eius poteſtate: ſed homo punitur & præmiatur pro ſuis actibus; ergo ipſe eſt dominus ſuorum actuum, & ita eſt liberi arbitrii.

Dicendum quòd in quolibet cognoſcente eſt actio, & iudicium de actione. Actio autem illa quæ ſubditur agentis iudicio, eſt quodammodo in poteſtate agentis, vt ſcilicet poſſit eam agere, vel non agere: ſed iudicium non eſt in poteſtate iudicantis, niſi in habentibus intellectum, & rationem, qua ſuper ſuum iudicium reflectatur, ipſum diſcutiendo.

Actio ergo brutorum aliqualiter eſt in eorum poteſtate, inquantum poſſunt quieſcere, vel monere. Sed iudicium de agendo, nullatenus in eorum poteſtate exiſtit, ſed ex æſtimatione naturali procedit. Vnde brutum non eſt liberi arbitrii; & multò minùs creaturæ cognitione carentes. Omnis autem rationalis creatura habet iudi-

Digitized by Google

ctium de actione, & per conſequens arbitrij libertatem.

Ad 1. R. quòd verbum illud Prophetæ, eſt referendùm ad executionem electionis, quæ non eſt in poteſtate noſtra: non autem ad electionem ipſam, quæ in noſtra poteſtate exiſtit; licet meritoria eſſe non poſſit, niſi per gratiæ donum.

Ad 2. R. quòd operatio, quam Deus in liberum arbitrium operatur ipſum vertendo; & mutando; non præiudicat eius libertati; quia Deus operatur in libero arbitrio, ſecundùm modum eius, ſicut & inqualibet alia re. *Lib.* 2 *ſent ad Annibald, Diſt* 25. *art.* 2.

PROVERB. *Cap.* 21. *v.* 20.

Theſaurus deſiderabilis, & oleum in babitaculo iuſti, & imprudens homo diſſipabit illud.

SPiritualis theſaurus gratiæ non tollitur niſi per peccatum: tollitur autem per imprudentiam, vt patet *in textu*; ergo imprudentia eſt peccatum. 22. *q.* 53. *art.* 1. *Sed contra.*

Theſaurus deſiderabilis. & oleum in habitaculo iuſti; & imprudens homo diſſipabit illud. Arguitur, Prudentia præcipua eſt inter morales virtutes: ſed prodigalitas magis opponitur prudentiæ quàm auaritia, vt patet *in textu*; ergo prodigalitas eſt grauius peccatum quàm auaritia.

Prudẽtiæ munus. Ad argum. R. quòd omnia vitia prudentiæ opponuntur; ſicut & omnes virtutes à prudentia diriguntur. Et ideo vitium ex hoc ipſo quòd opponitur ſoli prudentiæ, leuius reputatur. 22. *q.* 119. *a.* 3. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 22. *v.* 1.

Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ.

DVplex periculum imminet homini ex peccato, ſcilicet periculum conſcientiæ, & famæ. Hæc autem duo, ſcilicet conſcientia & fama hoc modo ſe habent ad inuicem, quòd conſcientia eſt præferenda famæ; quia teſtimonium conſcientiæ eſt in conſpectu Dei; ſed teſtimonium famæ pertinet ad officium humanum.

Differunt etiam quantum ad hoc quòd conſcientia eſt neceſſaria homini propter ſeipſum: fama autem propter ſe, & propter proximum.

Correctio fraterna quomodo facienda. Hoc igitur ordine Dominus voluit correctionem fraternam fieri, vt *primò* quidem, ſi poſſibile ſit, ita prouideatur conſcientiæ, quòd in nullo fama lædatur: & hoc per ſecretam admonitionem.

Deinde quia conſcientia eſt famæ præferenda, ſi aliter frater emendari non poteſt, quàm cum diſpendio famæ; *finaliter* ordinauit Dominus vt publicè denuntietur: vt objurgatio quæ fit à pluribus, ei ſit remedium ſalutare.

Si autem ſtatim ad publicam pronuntiationem procederetur, pateretur frater diſpendium famæ ſuæ; quod quidem vitandum eſt, & propter ipſum, & propter alios, propter quos eſt ſibi neceſſaria fama.

Propter ipſum quidem duplici ratione; *primò* quidem quia bona fama eſt præcipuum inter exteriora bona, vt patet *in textu.* Et hoc

Digitized by Google

ideo, quia bonitas famæ reddit hominem idoneum ad humana officia exequenda in conuerſatione humana, Et ideo dicitur *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni & pretioſi.* Eccl. 41. v. 15.

Sicut igitur peccaret, qui abſque neceſſitate ingereret alicui diuitiarum diſpendium: ita & multò ampliùs peccat, ſi aliquis abſque neceſſitate proximo ingereret diſpendium famæ abſque neceſſitate, eius peccatum publicando.

Secundò quia propter conſeruationem famæ homo multoties abſtinet à peccatis. Et ideo quando aliquis videt ſe jam famam amiſiſſe, pro nihilo ducit peccare.

Similiter etiam ex parte aliorum eſt periculoſum dupliciter: primò quidem, quia homines peccatum alicujus audientes ſcandalizantur, & contemnunt quandoque non ſolùm peccantem, ſed & multos alios innocentes.

Secundò, quia ex peccato nimis publico multi prouocantur ad peccandum, ſecundùm illud, *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Et ideo ſub præcepto cadit, vt non priùs aliquis ad denuntiationem publicam procedat, quàm ſecretò correxerit. 1 Cor. 5. v. 6.

Sed quia de extremo ad extremum peruenitur per medium, interpoſuit Dominus quendam medium gradum, vt poſt ſecretam admonitionem, numquam publicè omnibus denuntietur, niſi vnus vel duo teſtes adhibeantur; vt poſſit ſecretiùs correctus non innoteſcere cæteris.

Matt. 18. v. 16. Sic igitur ordo fraternæ correctionis ſub præcepto cadit, ſicut & ipſa fraterna correctio. Hæc tamen diſcretione ſeruatâ in vtroque, vt debito loco, tempore, & alijs debitis circunſtantijs, omnia fiant ſecundùm quod quis vtile eſſe proſpexerit ad emendationem fratris; quæ eſt finis & regula correctionis fraternæ.

Nota quòd omnis veritas humanæ iuſtitiæ regulatur à veritate diuina. Sed hominum facta non eodem modo comparantur ad iudicium diuinum & ad iudicium humanum; quia ſecundùm iudicium humanum quædam peccata ſunt occulta, in quibus non eſt ſtatim procedendum ad publicum. Et hoc modo non comparantur omnia peccata ad iudicium diuinum; quia *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius* vt dicitur. Hebr. 4. v. 13.

Et ideo quantùm ad iudicium diuinum non requiritur quòd ſecreta admonitio præcedat: & tamen plerumque peccatores quaſi ſecretâ admonitione à Deo arguuntur per interiorem remorſum conſcientiæ, & interiorem inſpirationem, vel in vigilando, vel in dormiendo. Dicitur enim *Per ſomnum in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinâ, vt auertat hominem ab his quæ fecit. In quæſt. Diſput. q. de correct. fraterna. art. 2.* Iob. 33. v. 16.

Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Et ideo detractio ſecundùm ſuum genus eſt majus peccatum, quàm furtum; minùs tamen quàm homicidium vel adulterium. 22. q. 73. *art. 3. in corpore.*

PROVERB *Cap. 22. v. 6.*

Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea

NEceſſarium fuit pueris baptizari; vt ſicut per Adam damnationem incurrerunt naſcendo, ita per Chriſtum ſalutem conſequantur renaſcendo.

Fuit etiam conueniens pueros baptizari; vt à pueritia nutriti in his quæ ſunt Chriſtianæ vitæ, firmiùs in ea perſeuerent, vt patet in textu. *3. p. q. 68. art. 9. in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 1. Paralip. cap. 29. v. 1.*

PROVERB. *Cap. 22. v. 7.*

Qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis.

CItatur 22. *q.* 187. *art.* 4. *ad quartum.*

PROVERB. *Cap. 22. v. 10.*

Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap. 19. v. 25.*

PROVERB. *Cap. 23. v. 4.*

Prudentiæ tuæ pone modum.

ARguitur, Nulla virtus poteſt eſſe immoderata: ſed prudentia eſt immoderata, vt patet *in textu*; ergo non eſt virtus.

Dicendum quòd virtus eſt quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Bonum autem poteſt dici dupliciter: vno modo materialiter, pro eo quod eſt bonum: alio modo formaliter ſecundùm rationem boni. Bonum autem inquantum huiuſmodi eſt objectum appetitiuæ virtutis *(Virtutis deſcriptio.)*

Et ideo ſi qui habitus ſunt qui faciant rectam conſiderationem rationis, non habito reſpectu ad rectitudinem appetitus, minùs habent de ratione virtutis, tanquam ordinantes ad bonum materialiter, id eſt, ad id quod eſt bonum, non ſub ratione boni.

Plus autem habent de ratione virtutis habitus illi, qui reſpiciunt rectitudinem appetitus; quia reſpiciunt bonum, non ſolùm materialiter; ſed etiam formaliter, id eſt, id quod eſt bonum ſub ratione boni.

Ad prudentiam autem pertinet applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit ſine appetitu recto. *(Prudentiæ munus.)* Et ideo prudentia non ſolùm habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales: ſed etiam habet rationem virtutis, quam habent virtutes morales; quibus etiam connumeratur.

Ad argum. R. quòd illud dictum ſapientis non eſt ſic intelligendum, quòd ipſa prudentia ſit moderanda: ſed quia ſecundùm prudentiam eſt alijs modus imponendus. 22. *q.* 47. *art.* 4.

PROVERB. *Cap. 23. v. 13.*

Noli ſubtrahere à puero diſciplinam.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap. 13. v. 24. Vid. 22. q. 142. art. 2. in corpore.*

PROVERB. *Cap. 14. v. 6.*

Cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus vbi ſunt multa conſilia.

CVm conſiliari pertineat ad prudentiam, in rebus bellicis maximè neceſſaria eſt aliqua ſpecies prudentiæ quæ militaris dicitur. 22. *q.* 50. *art.* 4. *ſed contra.*

PROVERB. *Cap.* 14. *v.* 11.

Erue eos qui ducuntur ad mortem.

VIdetur quòd liceat condemnato ad mortem ſe defendere, ſi poſſit; illud enim ad quod natura inclinat ſemper eſt licitum, quaſi de iure naturali exiſtens: ſed naturæ inclinatio eſt ad reſiſtendum corrumpentibus, non ſolùm in hominibus, & animalibus, ſed etiam in inſenſibilibus rebus; ergo licet reo condemnato reſiſtere, ſi poteſt, ne tradatur in mortem.

2. Sicut aliquis ſententiam mortis contra ſe latam ſubterfugit reſiſtendo; ita etiam fugiendo: ſed licitum eſſe videtur quòd aliquis ſe à morte per fugam liberet, ſecundùm illud, *Longè eſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non viuificandi*; ergo etiam licitum eſt reo, reſiſtere. *Eccli. 9. v. 18.*

3. Patet *per textum*; quia plus tenetur aliquis ſibi quàm alteri.

Sed contra eſt quod dicit Apoſtolus, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; & ipſe ſibi damnationem acquirit.* Sed condemnatus ſe defendendo, poteſtati reſiſtit, quantùm ad hoc, in quo eſt diuinitus inſtituta ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; ergo peccat ſe defendendo. *Rom. 13. v. 2.*

Dicendum quòd aliquis damnatur ad mortem dupliciter: vno modo iuſtè; & ſic non licet condemnato ſe defendere; licitum enim eſt iudici eum reſiſtentem impugnare. Vnde relinquitur quòd ex parte eius ſit bellum iniuſtum; vnde indubitanter peccat. *Non licet reo cōdemnato ſe defendere.*

Alio modo condemnatur aliquis iniuſtè, & tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundùm illud, *Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem.* *Ezech. 22. v. 27*

Et ideo ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis principibus. Niſi fortè propter ſcandalum vitandum; cùm ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.

Ad 1. R. quòd ideo homini data eſt ratio, vt ea, ad quæ natura inclinat, non paſſim, ſed ſecundùm rationis ordinem exequatur. Et ideo non quælibet defenſio ſui eſt licita, ſed ſolùm quæ fit cum debito moderamine.

Ad 2. R. quòd nullus ita condemnatur, quòd ipſe ſibi inferat mortem, ſed quòd ipſe mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id vnde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, vnde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur quod iuſtum eſt eum pati.

Sicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat; quia non ſumere, eſſet ſeipſum occidere.

Ad 3. R. quòd per illud dictum ſapientis, non inducitur aliquis ad liberandum alium à morte contra ordinem iuſtitiæ. Vnde nec

Digitized by Google

807

neç ſeipſum contra iuſtitiam reſiſtendo, aliquis debet liberare à morte. 22. *q.* 69. *art.* 4.

Idem locus explicatur infra *Eccle. cap.* 1. *v.* 15. *Vid. Quodlib.* 5. *art.* 17. *ad ſecundum.*

PROVERB. *Cap* 24. *v.* 15.

Ne quæras impietatem in domo iuſti.

Citatur *In quæſt. diſp. q. de correctione fraterna, art.* 1. *ad nonum.* 22 *q.* 33. *art.* 2. *ad quartum.* & 22. *q.* 167. *art.* 2. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 24. *v.* 16.

Septies cadit iuſtus.

PEr peccatum veniale cadit homo, non quidem à charitate ipſa vel à perfecto gradu charitatis; ſed ab aliquo charitatis actu. *In quæſt. diſp. q.* 7. *de malo art.* 2. *ad decimum tertium.*

PROVERB. *Cap.* 24. *v.* 17.

Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.

VIdetur quòd non omnes teneantur ad diligendum inimicos; natura enim non inclinat in aliquid contrarium charitati: ſed omnis natura inclinat in deteſtationem contrarij; cùm ergo inimicus inquantum hujuſmodi, ſit contrarius nobis; videtur quòd non teneamur ex charitate inimicos diligere.

2. Illos quibus mala optamus, & de quorum malis gaudemus, non diligimus: ſed licet optare mala inimicis, & de eorum malis gaudere. Vnde in ſcriptura ſacra frequenter ponuntur imprecationes contra inimicos; & in conſolationem fidelium inducitur hoſtium deſtructio; ergo non tenemur inimicos diligere.

3. Charitas facit voluntatem hominis voluntati diuinæ conformari: ſed Deus odit aliquos, ſicut dicitur, *Eſau odio habui*; ergo licet inimicos odio habere. *Mala.* 1. *v.* 3.

4. Dicitur, *Perfecto odio oderam illos*. Sed omnis perfectio ex charitate eſt; ergo charitas facit inimicos odire. *Pſal.* 138 *v.* 22.

Sed contra, Charitas attendit in homine imaginem Dei, ſecundùm quam poſſibiles ſunt ad communicandum nobiſcum in vita gratiæ: ſed hoc inuenitur in inimicis; ergo tenemur diligere inimicos ex charitate.

Dicendum quòd ſecundùm hoc tenemur aliquem diligere, ſecundùm quod nobiſcum aliquam communicationem habet. Inimicus autem noſter habet quandam nobiſcum communicationem in natura, ſecundùm quam eſt poſſibilis ad communicandum nobiſcum in diuina vita. Et ideo in his quæ pertinent ad naturam ſuam, & ad gratiam habendam, debemus eum diligere: ſed inimicitiam ſuam quam aduersùs nos habet, non debemus diligere; quia ſecundùm eam nobiſcum non communicat: nec etiam ſibi ipſi, ſed magis contrariatur. Inimici dilectio.

Nota quòd diligere inimicos quantùm ad oſtenſionem ſignorum beneuolentiæ, hoc perfectionis eſt: & ad hoc non omnes tenentur. Sed quòd homo inimico ſuo optet gratiam Dei & vitam æternam, quod ſpecialiter charitas reſpicit, hoc neceſſitatis eſt.

Nota ſecundò quòd in veteri

lege etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum. Vnde quod dicitur, *Odio habebis inimicum tuum*, non eſt ex lege ſumptum; quia nuſquam hoc in litera inuenitur: ſed eſt additum ex praua interpretatione Iudæorum, qui ex quo præcipiebatur dilectio proximi, concludebant quòd inimici eſſent odiendi. Additum autem eſt conſilium in noua lege de oſtenſione ſignorum beneuolentiæ ad inimicum.

Matt. 5. v. 43.

Ad 1. R. quòd natura inclinat ad odiendum inimicum non inquantum eſt ſimilis ſecundùm conuenientiam in natura, aut in perceptibilitate gratiæ; ſed inquantum eſt diſſimilis. Hoc autem contingit inquantum eſt inimicitias exercens; quod ſummopere nobis diſplicere debet.

Ad 2. R. quòd charitas attendit ad quædam bona per ſe, ſcilicet ad bona gratiæ: ad quædam autem per accidens, inquantum ad iſta ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens charitas attendit, & ex conſequenti poſſunt ſe inuicem in diuerſis impedire; quia proſperitas vnius inducit aduerſitatem alterius.

Charitatis ordo.

Vnde quia charitas ordinem habet, & plus debet diligere quiſque ſe quàm alium, & propinquos quàm extraneos, & amicos quàm inimicos, & bonum commune multorum, quàm bonum priuatum vnius; poteſt aliquis ſaluâ charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere ſi contingit; non inquantum eſt malum illius, ſed inquantum eſt impedimentum malorum alterius; quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Eccleſiæ.

Similiter de malo etiam eius qui in malum temporale incidit, ſecundùm quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ eius. Sed bona gratiæ mutuò ſe non impediunt; quia ſpiritualia bona à pluribus integrè poſſideri poſſunt.

Bonorum ſpiritualiũ & temporaliũ differentia.

Et ideo quantùm ad hoc, nullus saluâ charitate poteſt malum alteri optare, vel de malo gaudere; niſi inquantum in malo culpæ, vel damnationis alicujus, relucet bonum diuinæ juſtitiæ, quod plus tenetur diligere, quàm aliquem hominem. Sed hoc non eſt per ſe de malo gaudere, ſed de bono quod adjunctum eſt malo.

Ad 3. R. quòd Deus non vult malum alicujus, loquendo de malo culpæ; ſed permittit: & hæc permiſſio bona eſt. Malum autem pœnæ, cujus ipſe eſt auctor, vult non inquantum malum; quia non delectatur in pœnis, ſed inquantum iuſtum.

Ad 4. R. quòd non oderat eos perfecto odio, niſi inquantum Deo inimici erant. Hoc autem eſt inquantum peccabant: vnde non odiebat in eis quos perfecto odio oderat, niſi peccatum. *Lib. 3. ſent. Diſt. 30. q. 1. art. 1.*

PROVERB. *Cap. 25. v. 9.*

Cauſam tuam tracta cum amico tuo.

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Regum cap. 17. v. 39.*

Digitized by Google

que ad præſtandum inimicis beneficia.

PROVERB. C.

Sicut tinea veſtimento, ita triſtitia viri nocet cordi.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap.* 17. *v.* 22.

PROVERB. *Cap.* 25. *v.* 21.

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.

VIdetur quòd omnes teneantur ad oſtendendum ſigna amicitiæ inimicis; ſigna enim amicitiæ ſunt præcipuè beneficia ad amicos: ſed homo tenetur benefacere inimicis, vt patet *in textu*; ergo tenetur oſtendere ſigna amicitiæ ad inimicos.

2. Nullus debet habere ſimulatam dilectionem: ſed dilectio quæ non oſtendit ſe in opere, non eſt vera dilectio; quia probatio dilectionis eſt exhibitio operis; vnde
1. Ioan. 3 v. 18. dicitur, *Non diligamus linguâ & verbo, ſed opere & veritate*; ergo cùm quilibet debeat inimicum diligere, quilibet tenetur opera dilectionis ad illum extendere.

Matt. 5. v. 44. 3. Simul præcipitur *Diligere inimicos, & benefacere eis*; ergo eadem ratione homines obligantur ad vtrumque: ſed ad primum omnes tenentur; ergo & ad ſecundum.

4. Abnegare homini ſigna familiaritatis, & ſua beneficia, quædam vindicta eſt: ſed homo tenetur non ſe vindicare, ſicut patet,
Rom. 12. v. 19. *Non voſmetipſos vindicantes*; ergo tenetur non ſubtrahere ſua beneficia inimicis.

Sed contra; Benefacere inimicis, & orare pro eis, eſt cumulus perfectionis: ſed ad illa quæ ſunt perfectionis, non omnes tenentur;

Præterea, In veteri lege frequenter filijs Iſraël præceptum fuit vt perſequerentur hoſtes ſuos, & non inirent cum eis fœdus; ergo non tenebantur benefacere eis; ergo nec modo.

Præterea, Videmus quòd etiam modò Eccleſia indicit bella contra tyrannos & infideles; ergo licet inimicis mala facere: multò igitur minùs non oportet eis benefacere.

Dicendum quòd effectus charitatis debet affectui reſpondere. Vnde ſecundùm quod tenetur quis affectum charitatis ad inimicum habere, ita & effectum ad eum extendere. Charitas autem reſpicit bona gratiæ, quæ ſunt communia omnibus viuentibus vel actu, vel potentiâ: & ideo eſt communior vel latior, quàm aliqua alia amicitia, quæ ad pauciores ſe extendit, inquantum fundatur ſuper communicatione aliqua, quæ non ad omnes eſt.

In omnibus autem illud quod eſt commune, vehementius eſt: ſed illud quod eſt proprium, plura complectitur actu; & perfectio communis eſt in hoc, quòd ſe extendit ad illa quæ complectitur proprium; vt genus perficitur per additionem differentiæ, ſicut eſſe vehementiùs inhæret quàm viuere: & tamen viuere aliquid complectitur actu, quod eſſe non habet niſi in potentia. Vnde perfectio eſſe eſt ſecundùm quod ſe extendit ad vitam.

Sic ergo charitas vehementiùs optat alicui bona gratiæ, circa quæ eſt principaliter, quàm aliqua alia

Digitized by Google

bona correſpondentia illi a... tiæ: tamen non eſt de neceſſitate charitatis, ſed de perfectione, quòd ad illa bona ſe extendat. Et ideo quilibet ex neceſſitate tenetur odienti ſe optare bona æterna; non autem bona temporalia: ſed hoc eſt de perfectione charitatis, vt etiam ad iſta ſe extendat.

Inimici dilectio. Sed quia remotio mali præcedit ordine generationis adeptionem boni, ideo affectus nulli optat aliquod bonum, cui aliquod malum, inquantum eſt malum, optat. Vnde quamuis ſit de perfectione charitatis vt bona temporalia optemus inimicis: tamen eſt de neceſſitate ſalutis vt mala eius optemus, non inquantum mala; ſed per accidens.

Et ſimiliter eſt de effectu; quia cooperari in his quæ ſunt ad vitam æternam pro loco, tempore, & modo ſuo; tenetur homo etiam inimico, ſaltem vt orando in communi, vt eum à ſuis orationibus non excludat: quamuis fortè ſpecialem mentionem de eo non faciat. Sicut nec oportet quòd de omnibus ad quos charitatem habet, ſpecialem orationem faciat, ſed communem.

In alijs autem bonis non tenetur ei cooperari, niſi neceſſitas incumbat; ſed eſt de perfectione charitatis. Sed tenetur non facere ei malum, niſi inquantum eſt impedimentum majoris mali, vel promotiuum majoris boni, vt iuſtitiæ, vel alicujus hujuſmodi.

Ad 1. R. quòd beneficia amicabilia procedunt ex liberalitate, non ex debito. Neceſſitas autem facit omnia communia: & ideo in neceſſitate ſubueniendum eſt etiam ... e eſt magis effe... am amicitiæ.

Ad 2. R. quòd non eſt ſimulata dilectio, quando tantùm exhibetur in opere, quantùm habetur in affectu.

Ad 3. Reſponſum eſt in corpore articuli.

Ad 4 R. quòd negare homini ſigna familiaritatis, quando neceſſitas expeteret, eſſet vindicta: vel etiam quando veniam peteret: vel quando ſe ille, qui hoſtis habetur, ad familiaritatem ingereret; ſi habeatur præſumptio quòd non ſimulatè vel irriſoriè facit; quia tunc diligit, & inter amicos deputandus eſt. Sed quòd aliquis vltro ſe ad familiaritatem inimici ingerat, hoc perfectionis eſt.

Ad 1. ſed contra R. quòd loquitur de illo beneficio quod ſequitur charitatem perfectam.

Ad 2. R. quòd præceptum fuit antiquis vt perſequerentur hoſtes, & cum eis fœdus non inirent; inquantum per eorum amicitiam in idololatriam pertrahebantur; & inquantum erant executores diuinæ iuſtitiæ ex præcepto eius qui auctoritatem habebat; non autem ita quòd ex vindicta facerent.

Et ſimiliter dicendum ad 3. quòd Eccleſia hoc modo mouet bella aduersùs iniquos, vel vt iuſtitiam faciat, vel vt majus malum euitet, aut majus bonum inducat. *Lib. 3. ſent. Diſt. 30. q. 1. art. 2.*

Idem locus explicatur ſupra *Leuit. cap. 19. v. 17.*

PROVERB. *Cap. 25. v. 28.*

Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu; ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.

ARguitur, Ex hoc quòd cuſtodia rationis deficit, contingit quòd homo corrumpat ad verba inordinata, vt patet *in textu*: ſed ira maximè impedit iudicium rationis; ergo facit maximè profluere in verba inordinata; non ergo cauſat taciturnitatem.

Ad argum. R. quòd augmentum iræ quandoque eſt vſque ad impediendam rationem à cohibitione linguæ: quandoque autem vltra procedit vſque ad impediendum motum linguæ, & aliorum membrorum exteriorum. 22. *q.* 48. *art.* 4 *ad ſecundùm.*

PROVERB. *Cap. 26. v. 4. & 5.*

Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.

VIdetur quòd aliquis non debeat contumelias ſibi illatas ſuſtinere; qui enim ſuſtinet contumeliam ſibi illatam, audaciam nutrit conuitiantis: ſed hoc non eſt faciendum; ergo homo non debet ſuſtinere contumeliam ſibi illatam, ſed magis conuitianti reſpondere.

2. Homo debet plus ſe diligere, quàm alium: ſed aliquis non debet ſuſtinere quòd alteri conui-
Prou. 26 v. 10. tium inferatur, vnde dicitur; *Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat*; ergo etiam aliquis non debet ſuſtinere contumelias ſibi illatas.

Sed contra eſt quod dicitur, *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates.* Et poſtea ſubdit, *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* *Pſal. 37. v. 13. & 14.*

Dicendum quòd ſicut patientia neceſſaria eſt in his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, ſunt in præparatione animi habenda, ſicut legitur, *Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & aliam*; Vt ſcilicet homo ſit paratus hoc facere, ſi opus fuerit. *Luca. 6. v. 29.*

Non tamen hoc ſemper tenetur facere actu; quia nec ipſe Dominus hoc fecit; ſed cùm ſuſcepit alapam, dixit, *Quid me cædis?* *Ioan. 18 v. 23.*

Et ideo etiam circa verba contumelioſa, quæ contra nos dicuntur, eſt idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit.

Quandoque tamen oportet vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. *Primò* quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet; ſecundùm illud *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* *Prou. 26 v. 5.*

Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.

Ad 1. R. quòd audaciam conuitiantis contumelioſi debet aliquis moderatè reprimere, ſcilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris, vt patet *in textu*.

Ad 2. R. quod in hoc quòd

aliquis alienas contumelias reprimit, non ita timetur cupiditas priuati honoris; ſicut cùm aliquis repellit contumelias proprias. Magis autem videtur hoc prouenire ex charitatis affectu.

Nota quòd ſi aliquis hoc animo taceret, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret; pertineret hoc ad vindictam, quæ

Deut. 32 v. 35. interdicitur, *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Sed ſi aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc eſt laudabile. Vnde

Eccli. 8: v. 4. dicitur. *Non litiges cum homine linguato, & non ſtruas in ignem illius ligna. 22. q. 72. art. 3.*

PROVERB. *Cap. 26. v. 8.*

Sicut qui mittit lapidem in aceruum mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.

IN prælato duo poſſumus conſiderare, ſcilicet perſonam propriam, & dignitatem, ſecundùm quam eſt quædam perſona publica. Si ergo prælatus ſit malus ratione perſonæ ſuæ, non eſt honorandus; quia cùm honor ſit reuerentia alicui exhibita in teſtimonium virtutis, falſum teſtimonium de eo proferret, ſi quis eum obtentu propriæ perſonæ honoraret.

Honoris deſcriptio. Sed inquantum eſt perſona publica, ſic gerit typum & locum non ſui ipſius, ſed alterius, ſcilicet Chriſti in Eccleſia, vel Reipublicæ, vt dominus in ſecularibus dignitatibus; & ſic valor eius non computatur ſecundùm perſonam, ſed ſecundùm eum cujus loco præſidet.

Sicut eſt de lapillo qui in computationibus ponitur loco centum marcarum, cùm in ſe nihil valeat; vt dicitur *in textu.* Mercurius enim dicebatur Deus ratiocinij & mercationis: & ita eſt ei honor exhibendus, non propter ſe, ſed propter eum cujus locum obtinet; ſicut adoratio imaginis refertur ad prototypum. Vnde & malus prælatus idolo comparatur. *O paſtor & idolum derelinquens gregem.* *Prælati cur honorandi.* *Zach. 11 v. 17.*

Malus ergo prælatus, & indignus eſt prælatione, & honoribus qui prælato debentur. Sed ille cujus vicem gerit, dignus eſt vt eius vicario talis honor exhibeatur. Sicut Beata Virgo digna eſt vt eius imaginem depictam in pariete reuereamur; quamuis tali reuerentiâ ipſa imago digna non ſit. *Quodlib. 8. art. 7. Simile 22. q. 63. art. 3 in corpore.*

PROVERB. *Cap. 26. v. 10.*

Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap. 26. v. 4.*

PROVERB. *Cap. 26. v. 21.*

Homo iracundus incendit litem.

CItatur *22. q. 116. art. 1. ad ſecundum.*

PROVERB. *Cap. 26. v. 25.*

Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne crediderìs ei; quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.

ARguitur, Submittere vocem pertinet ad ironiam; ergo in ea eſt multiplex nequitia, vt patet

Digitized by Google

in textu.

Ad argum. R. quòd ſicut dicitur, *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.* Et ſecundùm hoc Salomon loquitur de eo qui ex doloſa humilitate, nequiter vocem ſuam ſubmittit. 22. *q.* 113 *art.* 2. *ad tertium.*

Eccl. 19. v. 23.

PROVERB. *Cap.* 27 *v.* 2.

Laudet te alienus, & non os tuum.

ARguitur, Ad veritatem pertinet quòd aliquis confiteatur exiſtentia circa ſeipſum, & neque majora, neque minora: ſed hoc non ſemper eſt laudabile, neque in bonis, vt patet *in textu*: nec etiam in malis; quia contra quoſdam dicitur *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt;* Ergo veritas non eſt virtus.

Eſa. 3. v. 9.

Ad argum. R. quòd confiteri id quod eſt circa ſeipſum, inquantum eſt confeſſio veri, eſt bonum ex genere. Sed hoc non ſufficit ad hoc quòd ſit virtutis actus: ſed ad hoc requiritur quòd vlteriùs debitis circumſtantijs veſtiatur: quæ ſi non obſeruentur, erit actus vitioſus.

Veritas quando virtus eſt.

Et ſecundùm hoc vitioſum eſt quòd aliquis ſine debita cauſa laudet ſeipſum, etiam de vero. Vitioſum eſt etiam quòd aliquis peccatum ſuum publicet, quaſi ſe de hoc laudando, vel qualitercumque inutiliter manifeſtando. 22. *q.* 109. *art.* 1. *ad ſecundùm.*

PROVERB. *Cap.* 27. *v.* 4.

Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor.

ARguitur, Odium quandoque habet miſericordiam; ergo ira eſt grauior quàm odium.

Ad argum. R. quòd in ira & odio duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſum quod deſideratur, & intenſio deſiderij. Quantùm igitur ad id quod deſideratur, ira habet magis miſericordiam quàm odium; quia enim odium appetit malum alterius ſecundùm ſe, nullâ menſurâ mali ſatiatur; ea enim quæ ſecundùm ſe appetuntur, ſiue menſura appetuntur, ſicut auarus diuitias. Vnde dicitur *Inimicus ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine.*

Eccli. 12. v. 16.

Sed ira non appetit malum niſi ſub ratione iuſti vindicatiui: vnde quando malum illatum excedit menſuram iuſtitiæ ſecundùm æſtimationem iraſcentis, tunc miſeretur.

Quomodo differũt ira & odium.

Quantùm verò ad intenſionem deſiderij, ira magis excludit miſericordiam, quàm odium; quia motus iræ eſt impetuoſior propter choleræ inflammationem. Vnde ſtatim ſubditur, *Impetum concitati Spiritus ferre quis poterit?* 12. *q.* 46. *art* 6. *ad primum.*

Idem locus explicatur 22. *q* 30. *art.* 2. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 27. *v.* 6.

Meliora ſunt verbera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.

COrrectio peccantium quantum ad ipſam executionem

actus, ſeueritatem iuſtitiæ continere videtur. Sed quant ùm ad intentionem corrigentis, qui vult hominem à malo culpæ liberare; pertinet ad miſericordiam, & dilectionis affectum, vt patet in textu. 22. *q.* 32. *art.* 2. *ad tertium.*

PROVERB. *Cap.* 27. *v.* 9.

Vnguento & variis odoribus delectatur cor; & bonis amici conſiliis anima dulcoratur.

CONſilia ſapientis amici magnam afferunt vtilitatem, vt patet in textu. 12. *q.* 108. *art.* 4. *ſed contra.*

PROVERB. *Cap.* 27. *v.* 11.

Stude ſapientiæ, fili mi, & lætifica cor meum; vt poſſis reſpondere exprobranti ſermonem.

CItatur 22. *q.* 166. *art.* 1. *ſed contra.*

PROVERB. *Cap.* 27. *v.* 17.

Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.

Eccl. 4. *v.* 9. IVuant ſe homines mutuò in cognitione veritatis, & vnus alium prouocat ad bonum, & retrahit à malo, vt patet *in textu.* Et, *Melius eſt duos eſſe quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ.* Oportuit ergo lege diuinâ ordinari ſocietatem hominum ad inuicem. *Contra Gentiles Lib.* 3. *cap.* 128.

PROVERB. *Cap.* 27. *v.* 23.

Diligenter agnoſce vultum pecoris tui.

VIdetur quòd non poſſit aliquis alteri, quàm proprio Sacerdoti confiteri etiam ex priuilegio, vel mandato ſuperioris; quia non poteſt aliquod priuilegium indulgeri in præiudicium alterius: ſed hoc eſſet in præiudicium proprij ſacerdotis, ſi alius confeſſionem ſubditi ſui audiat; ergo non poteſt per priuilegium ſiue licentiam, vel mandatum ſuperioris obtineri.

2. Illud per quod impeditur diuinum mandatum, non poteſt per mandatum vel priuilegium alicujus hominis concedi: ſed mandatum diuinum eſt ad rectores Eccleſiarum, *Vt diligenter vultum pecoris ſui agnoſcant*, vt patet *in textu*; quod impeditur ſi alius quàm ipſi confeſſionem eius audiat; ergo hoc non poteſt per alicujus hominis priuilegium, vel mandatum ordinari.

3. Ille qui audit confeſſionem alicujus, eſt proprius iudex eius aliàs non poſſet eum ligare & ſoluere: ſed vnius hominis non poſſunt eſſe plures proprii Sacerdotes, vel iudices, quia tunc teneretur pluribus obedire, quod eſſet impoſſibile, ſi contraria præciperent, vel incompatibilia; ergo non poteſt aliquis confiteri niſi proprio Sacerdoti etiam ex ſuperioris licentia.

4. Injuriam Sacramento facit, qui Sacramentum iterat ſuper eandem materiam, vel ad minus inutiliter facit: ſed qui confeſſus eſt alij Sacerdoti, tenetur iterum confiteri proprio Sacerdoti (ſi petat) quia non eſt abſolutus ab obedientia, qua ei tenetur ad hoc; ergo non poteſt licitè fieri quòd aliquis alij, quàm proprio Sacerdoti confiteatur.

Sed

811

Sed contra, quicquid poteſt inferior, poteſt ſuperior: ſed ipſe Sacerdos poteſt ſuo parochiano dare licentiam vt alteri confiteatur; ergo multò fortiùs eius ſuperior hoc poteſt.

Præterea, poteſtatem quam habet Sacerdos in populo, habet ab Epiſcopo: ſed ex illa poteſtate poteſt confeſſionem audire; ergo & eadem ratione alius cui Epiſcopus poteſtatem concedet.

Poteſt quis alteri cõfiteri quàm proprio Sacerdoti.

Dicendum quòd Sacerdos aliquis poteſt dupliciter impediri, ne alicujus confeſſionem audiat: vno modo propter defectum iuriſdictionis: Alio modo propter impedimentum executionis ordinis; ſicut excommunicati & degradati, & huiuſmodi. Quicumque autem iuriſdictionem habet, poteſt ea quæ ſunt iuriſdictionis committere. Et ideo ſi aliquis impediatur quòd alterius confeſſionem audire non poſſit, propter iuriſdictionis defectum: poteſt ſibi, per quemcumque iuriſdictionem habentem immediatam in illos, committi quòd confeſſionem audiat, & abſoluat; ſiue per Epiſcopum, ſiue per Papam. Si autem propter executionis ordinis impedimentum audire non poſſit; poteſt ſibi concedi quòd confeſſionem audiat, per eum qui impedimentum remouere poteſt.

Ad 1. R. quòd præiudicium non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur quod eſt in fauorem eius indultum: iuriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in fauorem ſuum, ſed in vtilitatem plebis & honorem Dei. Et ideo ſi ſuperioribus prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis & honorem Dei promouendum, quod aliis (quæ ſunt iuriſdictionis) committant; in nullo fit præiudicium inferioribus prælatis, niſi illis qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, & qui gregi præſunt, non vt eum paſcant, ſed vt ab eo paſcantur.

Ad 2. R. quòd rector Eccleſiæ debet vultum pecoris ſui agnoſcere dupliciter: Vno modo per ſolicitam exterioris conuerſationis conſiderationem, qua inuigilare debet ſuper gregem ſibi commiſſum. Et in hac cognitione non oportet quod credat ſubdito; ſed certitudinem facti, inquantum poteſt, inquirat. Alio modo per Confeſſionis manifeſtationem: & quantùm ad hanc cognitionem, non poteſt maiorem certitudinem accipere, quàm vt ſubdito credat; quia hoc eſt ad ſubueniendum conſcientiæ ipſius.

Vnde in foro confeſſionis creditur homini & pro ſe, & contra ſe, non autem in foro exterioris iudicii. Et ideo ad hanc cognitionem ſufficit quod credat ſubdito dicenti ſe alteri abſoluere valenti fuiſſe confeſſum. Et ſic patet quòd talis cognitio pecoris per priuilegium alteri indultum de confeſſione audienda non impeditur.

Ad 3. R. quòd inconueniens eſſet, ſi duo æqualiter ſuper eandem plebem conſtituerentur: ſed quòd duo, quorum vnus alio principalior eſt ſuper eandem plebem conſtituantur, non eſt inconueniens; & ſecundùm hoc ſuper eandem plebem immediatè ſunt & Sacerdos parochialis, & Epiſcopus, & Papa: & quilibet eorum poteſt ea quæ ſunt juriſdictionis

ad ipſum pertinentia alteri committere.

Sed ſi ſuperior committat (qui & principalior eſt) dupliciter poteſt committere: Aut ita quòd eum vice ſui conſtituat, ſicut Papa & Epiſcopus ſuos pœnitentiarios conſtituunt: & tunc talis eſt principalior, quàm inferior prælatus: ſicut pœnitentiarius Papæ quàm Epiſcopus, & Pœnitentiarius Epiſcopi, quàm Sacerdos parochialis; & magis tenetur ei confitens obedire.

Alio modo, vt eum coadiutorem illius Sacerdotis conſtituat: & quia coadjutor ordinatur ad eum, cui adiutor datur; ideo coadjutor, eſt minùs principalis. Et ideo pœnitens non tantùm obedire tenetur ei, quantùm proprio Sacerdoti.

Ad 4. R. quòd nullus tenetur confiteri peccata quæ non habet: & ideo ſi aliquis pœnitentiario Epiſcopi, vel alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti, confeſſus fuerit; cùm ſint ſibi dimiſſa peccata, & quo ad Deum & quo ad Eccleſiam; non tenetur ea confiteri proprio Sacerdoti, quantumcumque petat.

Sed propter ſtatutum Eccleſiæ de confeſſione facienda proprio Sacerdoti ſemel in anno, eodem modo ſe debet habere, ſicut ille qui habet ſolùm venialia: Talis enim ſolùm venialia confiteri debet (vt quidam dicunt) Vel profiteri ſe à peccato mortali immunem eſſe: & Sacerdos ei in foro conſcientiæ credere debet & tenetur.

Si tamen iterum confiteri teneretur, non fruſtra primo confeſſus fuiſſet, quia quantò pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tantò ei plus de pœna remittitur; tum ex erubeſcentia confeſſionis, quæ in pœnam ſatisfactoriam computatur; tum ex vi clauium. Vnde toties poſſet aliquis confiteri, quòd ab omni pœna liberaretur.

Nec iteratio facit injuriam Sacramento, niſi in illo in quo ſanctificatio adhibetur, vel per characteris impreſſionem, vel per materiæ conſecrationem; quorum neutrum eſt in pœnitentia. Vnde bonum eſt quòd ille qui auctoritate Epiſcopi confeſſionem audit, inducat confitentem ad hoc quòd confiteatur proprio Sacerdoti: Quod ſi noluerit, nihilominus eum abſoluere debet. *Supplem. q.* 8 *art.* 5. *Vid. Lib.* 4 *ſent. Diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 1. *ad quartum. Et quaſtiuncula* 5. *ad ſecundum.*

Diligenter agnoſce vultum pecoris tui. In foro Iudiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe: in foro autem pœnitentiæ, creditur homini pro ſe & contra ſe. Eſt ergo diſtinguendum, quòd dupliciter ſit impedimentum quo aliquis à perceptione Euchariſtiæ impediatur. Si enim ſit impedimentum ad forum iudiciale pertinens, putà excommunicatio; non tenetur Sacerdos ſuo ſubdito credere, quem ex communicatum nouit; niſi ſibi de abſolutione conſtet.

Si autem ſit impedimentum quod ad forum pœnitentiæ pertineat, ſcilicet peccatum; tenetur ei credere, & iniuſtè agit ſi deneget Euchariſtiam ei qui perhibet ſe confeſſum & abſolutum ab eo qui abſoluere potuit, vel auctoritate apoſtolicâ, vel auctoritate Epiſcopi.

Spiritualis ergo paſtor vultum pecoris ſui debet diligenter agnoſcere, conſiderando exteriùs vi-

Digitized by Google

812

tiam eius : ſed per modum confeſſionis non poteſt diligentiùs ſcrutari ; ſed oportet quòd credat ea quæ ſibi à ſuo ſubdito dicuntur. *Quodlib.* 1. *art.* 12. *Vid. Quodlib.* 12 *art.* 31. *Et Opuſc. contra impugnantes religionem. cap.* 4.

PROVERB. *Cap.* 28. *v.* 1.

Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit.

ARguitur, quod ponitur in commendationem viri iuſti, non eſt peccatum, ſed in commendationem viri iuſti dicitur *textus*; ergo eſſe impauidum non eſt peccatum.

Eccli. 1. *v.* 28. Ad argum R. quòd iuſtus commendatur à timore non retrahente eum à bono; non quòd ſit abſque omni timore. Dicitur enim *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* 22. *q.* 126. *art.* 1. *ad primum.*

Iuſtus quaſi leo confidens. Videtur quòd in Chriſto non fuerit timor per *textum* : nam Chriſtus fuit maximè iuſtus.

2. Timor non videtur eſſe niſi de malo, quod non poteſt homo vitare : ſed Chriſtus poterat vitare & malum pœnæ quod paſſus eſt, & malum culpæ quod alijs accidit ; ergo in Chriſto non fuit aliquis timor.

Sed contra eſt quod dicitur *Cœpit Ieſus pauere & tædere.* *Marci* 14 *v.* 33.

Dicendum quòd ſicut triſtitia cauſatur ex apprehenſione mali præſentis, ita timor cauſatur ex apprehenſione mali futuri. Apprehenſio autem mali futuri, ſi omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem; timor enim non eſt, niſi vbi eſt aliqua ſpes euadendi: nam quando nulla ſpes eſt euadendi, apprehenditur malum vt præſens : & ſic magis cauſat triſtitiam, quàm timorem.

Quomodo timor & triſtitia fuit in Chriſto. Sic ergo timor poteſt conſiderari, quantùm ad duo : vno modo quantùm ad hoc quòd appetitus ſenſitiuus naturaliter refugit corporis læſionem : & per triſtitiam, ſi ſit præſens; & per timorem, ſi ſit futura. Et hoc modo timor fuit in Chriſto, ſicut & triſtitia.

Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm incertitudinem futuri euentus : ſicut quando nocte timemus ex aliquo ſonitu, quaſi ignorantes quid hoc ſit. Et quantùm ad hoc timor non fuit in Chriſto.

Ad 1. R. quòd iuſtus dicitur eſſe abſque terrore, ſecundùm quod terror importat perfectam paſſionem, auertentem hominem ab eo quod eſt rationis. Et ſic timor non fuit in Chriſto ; ſed ſolùm ſecundùm propaſſionem.

Ad 2. R. quòd licet Chriſtus potuerit vitare mala futura ſecundùm virtutem diuinitatis ; erant tamen ineuitabilia, vel non de facili vitabilia ſecundùm infirmitatem carnis. 3. *p.* *q.* 15. *aat.* 7.

PROVERB. *Cap.* 28. *v.* 9.

Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem ; oratio eius erit execrabilis.

Quare orationes non ſemper exaudiũtur à Deo. PEtitiones orationum non ſemper admittuntur à Deo, vt patet *in textu*. Vel propter peccata orantium; vel quia Deus cognoſcit hoc eis eſſe nociuum. *Contra Gentiles. Lib.* 3. *cap* 96.

Qui declinat aurem ſuam &c.

In miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum ſacramentum quod eſt principale; & orationes quæ in miſſa fiunt pro viuis & mortuis.

Miſſa mali Sacerdotis æquè valet ac boni.

Quantùm ad Sacramentum, non minùs valet miſſa Sacerdotis mali, quàm boni; quia vtrobique idem conficitur Sacramentum.

Oratio etiam quæ fit in miſſa, poteſt conſiderari dupliciter: vno modo inquantum habet efficaciam ex deuotione Sacerdotis orantis. Et ſic non eſt dubium quòd miſſa melioris Sacerdotis magis eſt fructuoſa.

Alio modo inquantum oratio in miſſa profertur à Sacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cujus Sacerdos eſt miniſter. Quodquidem miniſterium etiam in peccatoribus manet.

Vnde etiam quantùm ad hoc eſt fructuoſa, non ſolùm oratio Sacerdotis peccatoris in miſſa; ſed etiam omnes eius orationes quas facit in Eccleſiaſticis officijs, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ. Licet orationes eius priuatæ non ſint fructuoſæ, vt patet in textu 3. *p. q.* 82. *art.* 6. *Vid.* 22. *q.* 178. *art.* 2. *ad primum.*

PROVERB *Cap.* 28. *v.* 13.

Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.

ARguitur, ad hoc aliqui baptizantur, vt de peccatis ſuis miſericordiam conſequantur; ergo baptizandi debent ſua peccata confiteri.

Act. 2. *v.* 38.

2. Pœnitentia requiritur ante baptiſmum, ſecundùm illud *Agite pœnitentiam, & Baptizetur vnuſquiſque veſtrum:* Sed confeſſio eſt pars pœnitentiæ; ergo videtur quòd confeſſio peccatorum requiratur ante baptiſmum.

Confeſſio duplex.

Dicendum quòd duplex eſt peccatorum confeſſio; vna quidem interior, quæ fit Deo: & talis confeſſio peccatorum requiritur ante baptiſmum; vt ſcilicet homo ſua peccata recogitans, de eis doleat.

Alia verò eſt confeſſio peccatorum exterior, quæ fit Sacerdoti. Et talis confeſſio non requiritur ante baptiſmum.

Primò quidem, quia talis confeſſio cùm reſpiciat perſonam miniſtri, pertinet ad pœnitentiæ Sacramentum; quod non requiritur ante baptiſmum; quia eſt janua omnium Sacramentorum.

Secundò, quia confeſſio exterior, quæ fit Sacerdoti ordinatur ad hoc, quòd Sacerdos confitentem abſoluat à peccatis, & liget ad opera ſatisfactoria; quæ baptizatis non ſunt imponenda.

Nec etiam baptizati indigent remiſſione peccatorum per claues Eccleſiæ, quibus omnia remittuntur per baptiſmum.

Tertiò, quia ipſa particularis confeſſio homini facta, eſt pœnoſa, propter verecundiam confitentis: baptizato autem nulla exterior pœna imponitur.

Et ideo à baptizatis non requiritur ſpecialis confeſſio peccatorum; ſed ſufficit generalis quam faciunt, cùm ſecundùm ritum Eccleſiæ abrenuntiant ſatanæ, & omnibus pompis eius.

Ad 1. R. quòd baptizatis ſufficit confeſſio interior Deo facta; & etiam exterior generalis, ad hoc

quòd dirigantur, & miſericordiam conſequantur,

Ad 2. R. quod confeſſio eſt pars pœnitentiæ Sacramentalis, quæ non requiritur ante baptiſmum: ſed requiritur interioris pœnitentiæ virtus. 3. *p. q.* 68. *art.* 6.

Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur. Abſcondere peccata contingit dupliciter: vno modo dum ipſa peccata fiunt. Eſt autem peius peccare publicè quàm occultè; tum quia peccator publicus videtur ex majori contemptu peccare; tum etiam quia peccat cum ſcandalo aliorum. Et ideo quoddam remedium eſt in peccatis quòd aliquis in occulto peccet.

Alio modo aliquis abſcondit peccatum priùs factum per negligentiam confeſſionis: & hoc contrariatur pœnitentiæ. 3. *p. q.* 84. *art.* 6. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Leuit. cap.* 4. *v.* 2.

PROVERB. *Cap* 28. *v.* 25.

Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia concitat.

ILle qui jactat ſe ad hoc quòd jurgia concitet, peccat mortaliter. Sed quandoque contingit quòd jactantia eſt cauſa jurgiorum, non per ſe, ſed per accidens. Vnde ex hoc jactantia non eſt peccatum mortale. 22. *q.* 112. *art.* 2. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 10. *v.* 12.

PROVERB. *Cap.* 29. *v.* 2.

Cùm impij ſumpſerint principatum, gemet populus.

CItatur 22. *q.* 36. *art.* 2. *ad ſecundum.*

PROVERB. *Cap.* 29. *v.* 28.

Cùm Prophetia defecerit, diſſipabitur populus.

ARguitur, Patet *per textum* quòd Prophetia eſt neceſſaria ad hominum conſeruationem: ſed natura non deficit in neceſſarijs; ergo videtur quòd Prophetia ſit à natura.

Ad argum. R. quòd lumen Propheticum ſe extendit etiam ad directiones humanorum actuum. Et ſecundùm hoc Prophetia neceſſaria eſt ad populi gubernationem, & præcipuè in ordine ad cultum diuinum; ad quem natura non ſufficit, ſed requiritur gratia. 22. *q.* 172. *art.* 1. *ad quartum.* Prophetiæ neceſſitas.

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 26. *v.* 18.

PROVERB. *Cap.* 30. *v.* 2. & 3.

Stultiſſimus ſum virorum.

DVplex eſt ſapientia, & duplex ſtultitia. Eſt enim quædam ſapientia ſecundum Deum, quæ humanam vel mundanam ſtultitiam habet adjunctam; ſecundùm illud *Si quis inter vos ſapiens videtur eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* 1. *Cor.* 3. *v.* 18.

Alia verò eſt ſapientia mundana, quæ *Stultitia eſt apud Deum.* Ille ergo qui à Deo confortatur, confitetur ſe eſſe ſtultiſſimum ſe- Sapientia duplex 1. *Cor.* 3. *v.* 19.

Digitized by Google

cundùm reputationem humanam; quia ſcilicet humana contemnit, quæ hominum ſapientia quærit. Vnde & ſubditur *Et ſapientia hominum non eſt mecum.* Et poſtea
*Prou.*30 *v.* 3. ſubdit. *Et non noui ſanctorum ſcientiam.*

Vel poteſt dici ſapientia hominum, quæ humanâ ratione acquiritur : ſapientia verò ſanctorum, quæ ex diuina inſpiratione habetur. 22. *q.* 113. *art.* 1. *ad primum. Vid.* 22. *q.* 45. *art.* 4. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 30. *v.* 4.

Quod nomen eius, & quod nomen filii eius, ſi noſti?

EA ratione dicitur Deus non habere nomen, vel eſſe ſupra nominationem; quia eſſentia eius eſt ſupra id quod de Deo intelligimus, & voce ſignificamus. 1. *p. q.* 13. *art.* 1. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 30. *v.* 8. & 9.

Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi &c.

COntra impugnantes voluntariam paupertatem. *Vid Contra Gentiles Lib.* 3. *cap.* 131. 132. & 133. *Vid* 22. *q.* 83. *art.* 6. *ſed contra. q.* 186. *art.* 3. *ad ſecundum. Et* 3. *p. q.* 40. *art.* 3. *ad primum.*

PROVERB. *Cap.* 30. *v.* 16.

Tria ſunt inſaturabilia, infernus, &c.

EXplicatur ſupra *Iob. cap.* 18. *v.* 18.

PROVERB. *Cap.* 30. *v.* 17.

Oculum qui ſubſannat patrem &c.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap.* 3. *v.* 34.

PROVERB. *Cap.* 30. *v.* 33.

Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.

LEx humana intendit homines inducere ad virtutem, non ſubitò, ſed gradatim. Et ideo non ſtatim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ ſunt jam virtuoſorum; vt ſcilicet ab omnibus malis abſtineant. Alioquin imperfecti hujuſmodi præcepta ferre non valentes, in deteriora mala prorumperent; vt patet *in textu.*

Matt. 9. *v.* 17. Et, quòd *Si vinum nouum* (id eſt præcepta perfectæ vitæ) *mittatur in vtres veteres* (Id eſt, in homines imperfectos) *Vtres rumpuntur, & vinum effunditur,* Id eſt, præcepta contemnuntur; & homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt. 12. *q.* 96. *art.* 2. *ad ſecundum. Vid. Opuſcul. de dilectione proximi cap.* 9.

PROVERB. *Cap.* 31. *v.* 4.

Noli regibus dare vinum.

EXplicatur ſupra *Leuit. cap.* 19. *v.* 32.

PROVERB. *Cap.* 31. *v.* 10.

Mulierem fortem quis inueniet?

VIdetur quòd incontinentia non pertineat ad animam, ſed ad corpus; diuerſitas enim ſeuumn o nex parte animæ, ſed ex parte corporis eſt : ſed diuerſitas

84

ſexuum facit diuerſitatem circa incontinentiam, dicit enim Philoſophus quòd mulieres non dicuntur neque continentes, neque incontinentes; ergo incontinentia non pertinet ad animam, ſed ad corpus.

Dicendum quòd vnumquodque attribuitur magis ei quod eſt cauſa per ſe, quàm ei quod ſolam occaſionem præſtat. Id autem quòd eſt ex parte corporis, ſolam occaſionem præſtat incontinentiæ: ex diſpoſitione enim corporis poteſt contingere quòd inſurgant paſſiones vehementes in appetitu ſenſitiuo, qui eſt virtus corporis organici.

Sed hujuſmodi paſſiones quantumcumque vehementes, non ſunt ſufficiens cauſa incontinentiæ, ſed occaſio ſola; eo quòd durante vſu rationis ſemper homo poteſt paſſionibus reſiſtere.

Ratio regere debet paſſiones.

Si verò paſſiones adeò inſurgant, quòd totaliter auferant vſum rationis; ſicut accidit in his, qui propter vehementiam paſſionum, amentiam incurrunt; non remanebit ratio continentiæ, neque incontinentiæ; quia non ſaluatur in eis iudicium rationis, quòd continens ſeruat, & incontinens deſerit.

Et ſic relinquitur quòd per ſe cauſa incontinentiæ ſit ex parte animæ, quæ ratione paſſionibus non reſiſtit.

Quodquidem fit duobus modis: vno modo, quando anima paſſionibus cedit antequam ratio conſilietur; quæquidem vocatur irrefrænata incontinentia, vel præuolatio.

Alio modo, quando non permanet homo in his quæ conſiliata ſunt; eo quòd debiliter eſt firmatus in eo quod ratio iudicauit.

Vnde & hæc incontinentia vocatur debilitas. Et ſic patet quòd incontinentia principaliter ad animam pertinet.

Ad argum. R. quòd anima humana eſt corporis forma, & habet quaſdam vires corporeis organis vtentes; quarum operationes aliquid conferunt etiam ad illa opera animæ, quæ fiunt ſine corporis inſtrumentis, id eſt, ad actum intellectus & voluntatis; inquantum ſcilicet intellectus à ſenſu accipit, & voluntas impellitur à paſſione appetitus ſenſitiui.

Et ſecundùm hoc quia fœmina ſecundùm corpus habet quandam debilem complexionem, fit, vt in pluribus, quòd & etiam debiliter inhæreat quibuſcumque inhæret. Etſi rarò in aliquibus aliter accidat, vt patet *in textu*.

Et quia id quod eſt paruum vel debile, reputatur quaſi nullum; inde eſt quòd Philoſophus loquitur de mulieribus quaſi non habentibus judicium rationis firmum. Quamuis in aliquibus mulieribus contrarium accidat.

Et propter hoc dicit quòd mulieres non dicimus continentes; quia non ducuntur quaſi habentes ſolidam rationem, ſed ducuntur quaſi de facili ſequentes paſſiones.

Nota quòd concupiſcentia carnis in eo qui eſt incontinens, ſuperat ſpiritum, non ex neceſſitate, ſed per quandam negligentiam ſpiritus non reſiſtentis fortiter. 22. *q.* 156. *art.* 1.

Digitized by Google

Mulierem fortem quis inueniet? Sapiens talem mulierem fortem vocat, non quidem fortitudine ad opera bellica; ſed ad patienter gubernandam familiam. *Opuſculo de regimine principum. Lib.* 4. *cap.* 6.

PROVERB. *Cap.* 31. *v.* 28.

Surrexerunt filii eius, & beatiſſimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.

Explicatur ſupra *Pſalm.* 9. *v.* 24.

Libri Prouerbiorum Finis.

LIBER ECCLESIASTÆ.

CAPVT I. *Verſ.* 2.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Arguitur, Omnis creatura vanitas eſt, vt patet *in textu*: vanitas autem non conjungit veritati; cùm ergo charitas conjungat nos primæ veritati, videtur quòd charitas non ſit creatura.

Ad argum. R. quòd creatura eſt vanitas inquantum eſt ex nihilo; non autem inquantum eſt ſimilitudo Dei. Et ex hac parte eſt quòd charitas creata veritati primæ conjungit. *In quæſt. diſput. q. de charitate art.* 1. *ad vndecimum.*

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm.* 4. *v.* 3.

ECCL. *Cap.* 1. *v.* 4.

Terra in æternum ſtat.

Vniuerſalitas creaturarum numquam in nihilum redigetur. Et quamuis creaturæ corruptibiles non ſemper fuerint, in perpetuum tamen ſecundùm ſuam ſubſtantiam durabunt. Vnde dicitur, *Didici quòd omnia opera, quæ* *Eccl.* 3.
fecit Deus perſeuerent in æternum. *v.* 14.
Et, *Creauit Deus vt eſſent omnia.* *Sap.* 1.
Vnde ex hoc ipſo quòd Deus crea- *v.* 14.
turas inſtituit, patet quòd voluit eas ſemper durare; cujus oppoſitum propter eius immobilitatem nunquam continget. *In quæſt. Diſp. q.* 5. *de potentia art.* 4. *in corpore.*

Terra in æternum ſtat. Arguitur, ergo & motus cœli in æternum erit. Ad argum. R. quòd terra quandiu erit tranſmutationi ſubjecta, motus cœli non ceſſabit. *q.* 5. *de potentia art.* 5. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra.

Iob

Iob cap. 14. v. 12. & cap. 24. v. 19. Vid ſupplem. q. 75 art. 1. ad primum.

ECCLE. *Cap. 1. v. 6.*

In circuitu pergit ſpiritus.

SIc poteſt exponi, Spiritus; purà angelicus, *pergit in circuitu* cœli, & pergendo cœlum mouere facit in circuitu. *Opuſcul. quod vocatur reſponſio ad 42. articulos art. 18. ſimile opuſc. ſequenti. art. 6.*

ECCLE. *Cap. 1. v 7.*

Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur.

EX verbis iſtis duo poſſumus accipere, ſcilicet diuinæ incarnationis myſterium, & eius copioſum fructum. Myſterium incarnationis inſinuatur in fluminum reuerſione, cùm dicitur, *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur.*

Sed incarnationis fructus oſtenditur in iterato fluxu, cùm dicitur, *Vt iterum fluant.* Flumina iſta ſunt naturales bonitates, quas Deus creaturis influit, vt eſſe, viuere, intelligere, & hujuſmodi.

De quibus fluminibus poteſt intelligi quod dicitur, *Aperiam in ſupremis montium flumina*; Montes enim ſupremi ſunt nobiliſſimæ creaturæ, in quibus prædicta flumina aperiri dicuntur; quia in eis & copioſiſſimè recipiuntur, & ſine imperfectione oſtenduntur. *Eſa. 41. v. 18.*

Sed locus vnde iſta flumina exeunt eſt ipſe Deus, de quo poteſt intelligi quod dicitur, *Locus fluuiorum riui latiſſimi, & patentes*; ac ſi diceret, in loco ortus fluuiorum riui naturalium bonitatum eminenter inueniuntur. Vnde dicit *Latiſſimi*, quantùm ad perfectionem diuinæ bonitatis, ſecundùm omnia attributa; *Et patentes* quantùm ad communicationem inſufficientem; quia eius bonitas, ex qua omnia fluunt, nec exhauriri, nec concludi poteſt. *Eſa. 33. v. 21.*

Iſta flumina in alijs creaturis inueniuntur diſtincta: ſed in homine inueniuntur quodammodo aggregata. Homo enim eſt quaſi orizon, & confinium ſpiritualis, & corporalis naturæ; vt quaſi medium inter vtraſque bonitates participet, & corporales, & ſpirituales. Vnde & omnis creaturæ nomine homo intelligitur.

Et ideo quando humana natura per incarnationis myſterium Deo conjuncta eſt, omnia flumina naturalium bonitatum ad ſuum principium reflexa redierunt; vt poſſit dici quod legitur, *Reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuum, & fluebant ſicut ante conſueuerant.* Vnde & hîc ſequitur, *Vt iterum fluant.* *Ioſue. 4. v. 18.*

In quo notatur incarnationis fructus: ipſe enim Deus qui naturalia bona influxerat, reuerſis quodammodo omnibus per aſſumptionem humanæ naturæ in ipſum, non jam Deus tantummodo; ſed Deus & homo hominibus fluenta gratiarum abundanter influxit; *Quia de plenitudine eius omnes accepimus.* *Ioan. 1. v. 16.*

Et de iſto fluxu legitur, *Benedictio illius quaſi fluuius inundabit. In prologo Lib. 3. ſententiarum.* *Eccl 39. v. 27.*

N

ECCLE. *Cap.* I. *v.* 9.

Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt.

VIdetur *per textum* quòd mundus numquam innouabitur; numquam enim mundus aliam diſpoſitionem habuit, quàm nunc habet quantùm ad partes eſſentiales, & ad genera, & ſpecies: ergo nunquam innouabitur.

Sed contra eſt quòd habetur, *Eſa.* 65. *v.* 17. *Ecce ego creo nouos cœlos, & nouam terram, & non erunt in memoria priora.* Et, *Apo.* 21. *v.* 1. *vidi cœlum nouum & terram nouam; primum enim cœlum, & prima terra abiit.*

Præterea, habitatio debet habitatori congruere: ſed mundus factus eſt vt ſit habitatio hominis: ſed homo innouabitur; ergo & mundus innouabitur.

Eccl. 13. *v.* 19. Præt. *Omne animal diligit ſuum ſimile*; ex quo patet quòd ſimilitudo eſt ratio amoris: ſed homo habet aliquam ſimilitudinem cum vniuerſo, vnde & minor mundus dicitur; ergo homo vniuerſum diligit naturaliter: ergo & eius bonum concupiſcit: & ita vt ſatisfiat hominis deſiderio, debet etiam vniuerſum meliorari.

Ad argum. R. quòd Salomon ibi loquitur de curſu naturalium, quod patet ex hoc quod ſubditur, *Eccle.* 1. *v.* 10. *Nihil ſub ſole nouum.* Cùm enim ſol circulariter moueatur, oportet ea quæ ſolis virtuti ſubſunt, circulationem aliquam habere, quæ conſiſtit in hoc quòd illa quæ priora fuerunt, iterum redeunt ſpecie eadem, numero diuerſa. Ea verò quæ ad ſtatum gloriæ pertinent, ſoli non ſubſunt. *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 48. *q.* 2. *art.* 1. *& ſupplem. q.* 91. *art.* 1.

ECCLE. *Cap.* I. *v.* 10.

Nihil ſub ſole nouum.

ARguitur, Omnium quæ accidunt, quantumcumque ſint contingentia, aliqua ſimilia præceſſerunt in ſeculis præteritis, vt patet *in textu*, in quibus dæmones fuerunt; ergo omnium futurorum contingentium cognitionem habent.

Ad argum. R. quòd ea quæ futura ſunt, præceſſerunt quidem in ſeculis præteritis, ſecundùm aliquam ſimilitudinem; non tamen quantùm ad omnia: ſed fortè vnus effectus futurus aſſimilatur diuerſis effectibus præteritis quantùm ad diuerſa.

Et tamen cognitio quæ ex ſimilibus procedit in rebus contingentibus, non habet certitudinem propter tranſmutabilitatem materiæ; ſed eſt cognitio coniecturalis. *In quæſt. diſp. q.* 16. *de malo art.* 7. *ad vndecimum.*

Nihil ſub ſole nouum. Arguitur, Quotidie Deus nouas animas creat. *Hier.* 31. *v.* 22. Nouum etiam fuit incarnationis opus, de quo dicitur *Nouum faciet Dominus ſuper terram.* Noua etiam ſunt miraculoſa opera, de quibus dicitur, *Innoua ſigna, & immuta mirabilia.* *Eccl.* 36. *v.* 6. Innouabuntur etiam omnia in glorificatione ſanctorum, ſecundùm illud, *Et dixit qui ſedebat in throno; ecce noua facio omnia.* *Apo* 21. *v.* 5.

Ad argum. R quòd nihil poſtmodum à Deo factum eſt totaliter

Digitized by Google

816

nouum, quin aliqualiter in operibus ſex dierum præceſſerit. Quædam enim præextiterunt materialiter, ſicut quòd Deus de coſta Adæ formauit mulierem. Quædam verò præextiterunt in operibus ſex dierum, non ſolùm materialiter, ſed etiam cauſaliter; ſicut indiuidua quæ nunc generantur, præceſſerunt in primis indiuiduis ſuarum ſpecierum.

Species etiam nouæ, ſi quæ apparent, præextiterunt in quibuſdam actiuis virtutibus: ſicut quòd animalia ex putrefactione generata producuntur ex virtutibus ſtellarum & elementorum, quam à principio acceperunt; etiamſi nouæ ſpecies talium animalium producantur.

Animalia etiam quædam ſecundùm nouam ſpeciem aliquando oriuntur ex commixtione animalium diuerſorum ſecundùm ſpeciem; ſicut cùm ex aſino & equa generatur mulus. Et hæc etiam præceſſerunt cauſaliter in operibus ſex dierum.

Quædam verò præceſſerunt ſecundùm ſimilitudinem; ſicut animæ quæ nunc creantur. Et ſimiliter incarnationis opus; quia vt dicitur *Filius Dei eſt in ſimilitudinem hominum factus.* *Philip.* 2. *v.* 7.

Gloria etiam ſpiritualis, ſecundùm ſimilitudinem præceſſit in Angelis. Corporalis verò, in cœlo præcipuè empyreo. 1. *p. q.* 73. *art.* 1. *ad tertium. Vid. Contra Gentiles. Lib.* 4. *cap.* 82.

Idem locus explicatur ſupra *Eccleſ. cap.* 1. *v.* 9.

E C C L E. *Cap.* 1. *v.* 15.

Stultorum infinitus eſt numerus.

Arguitur, Præceptum diuinum non obligat ad impoſſibile; ſed corrigere omnes delinquentes eſt impoſſibile; quia ex textu *Stultorum infinitus eſt numerus*; ergo correctio fraterna non cadit ſub præcepto.

Sed contra, dicitur quòd *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.* *Eccl.* 17. *v.* 12.

Dicendum quòd correctio fraterna cadit ſub præcepto; cujus ratio eſt, quia ex præcepto tenemur ad dilectionem proximi: dilectio autem in ſe includit, vt homo velit ei bonum quem diligit; hoc eſt enim amare aliquem, velle ei bonum.

Et quia carere malo habet rationem boni, inde eſt quòd ad rationem pertinet dilectionis, vt etiam velimus mala dilectis noſtris non ineſſe. *Correctio fraterna eſt in præcepto.*

Voluntas autem efficax non eſt, nec vera, ſi opere non comprobetur: vnde etiam ad rationem dilectionis pertinet vt ad amicos bona operemur, & mala eorum impediamus. Vnde dicitur *Non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.* *1. Ioan.* 3 *v.* 18.

Triplex autem eſt hominis bonum, & triplex malum ei oppoſitum. Eſt enim quoddam bonum hominis in exterioribus rebus conſiſtens, quod eſt minimum bonum. Et in hoc bono tenetur homo homini ſubuenire proximo per eleemoſynæ corporalis largitionem; dicitur enim *Qui ſubſtantiam huius mundi habuerit, & viderit fra-* *Bonum hominis triplex.* *1. Ioan.* 3 *v.* 17.

Digitized by Google

trem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Et pari ratione tenetur homo proximo auxilium ferre contra damna temporalium rerum. Vnde
Deut. 22 v. 1. præcipitur *Non videbis bouem & ouem fratris tui errantem, & prætervbis, ſed reduces fratri tuo.*

Aliud bonum hominis, eſt bonum corporis, in quo debet etiam homo homini auxiliari, & contra contrarium malum auxilium ferre;
Prou. 24 v. 11. dicitur enim *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes.*

Tertium autem bonum, eſt bonum virtutis, quòd eſt bonum animæ, cui contrariatur malum peccati. Ad hoc autem bonum conſequendum, vel malum vitandum, tantò magis tenetur homo ex charitate proximo auxilium ferre, quantò magis pertinet ad rationem, quare aliquis ex charitate diligitur.

Et ideo tenetur homo ex præcepto dilectionis, vt proximo auxilium ferat ad virtutem conſequendam, dando ei conſilium, & auxilium ad bene agendum, ſecundum illud
Eſa. 35. v. 3. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate; dicite, puſillanimes confortamini, & nolite timere.*

Et propter hoc ex præcepto dilectionis tenetur homo fratrem in peccato exiſtentem, à peccato retrahere corrigendo; ſecundùm illud,
1. Theſſ. 5 v. 14. *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes.* Et hinc eſt quòd Dominus mandauit,
Matth. 18 v. 15. *Si peccauerit in te frater tuus corripe eum.* Sic èrgo correctio fraterna cadit ſub præcepto.

Sed notandum eſt quòd per præcepta affirmatiua præcipiuntur actus virtutum; per præcepta autem negatiua prohibentur actus vitiorum. Illud autem quod eſt ſecundùm ſe vitioſum & peccatum, qualitercumque fiat, eſt malum; quia malum contingit ex ſingularibus defectibus. Et ideo illud quod prohibetur præcepto negatiuo, nullo tempore, nec aliquo modo faciendum eſt. *Quomodo differũt præcepta affirmatiua & negatiua.*

Præcepto autem affirmatiuo præcipitur actus virtutis; ad cujus rectitudinem multæ circumſtantiæ concurrunt; quia bonum conſurgit ex vna & tota cauſa. Vnde illud quod cadit ſub præcepto affirmatiuo, non eſt pro omni tempore, & quolibet modo obſeruandum; ſed ſeruatis debitis conditionibus, & perſonarum, & locorum, & cauſarum, & temporum.

Sicut honor parentibus non eſt exhibendus quolibet tempore, aut qnolibet modo; ſed ſeruatis debitis circumſtantijs. Ita etiam correctio fraterna ſub præcepto cadit ſecundùm debitas circumſtantias, ſecundùm quod eſt actus virtutis.

Has autem circũſtantias determinare ſermone non eſt poſſibile; eo quòd earum judicium in ſingularibus conſiſtit; & pertinet ad prudentiam vel experimento & tempore acquiſitam, vel magis infuſam; ſecundùm illud, *Vnctio docebit vos de omnibus.* *1. Ioan. 2 v. 27.*

Et per hoc patet reſponſio ad argumentum.

Nota quòd duplex eſt correctio delinquentis, vna quidem per ſimplicem admonitionem; & hæc eſt fraterna correctio, & non habet

locum niſi in illis de quibus præſumitur quòd propriâ voluntate admonitioni conſentiant.

Correctio duplex. Alia verò eſt correctio habens vim coactiuam per inflictionem pœnarum. Et talis correctio pertinet ad prælatos, qui etiam contemnentes à periculo peccati ſtudere debent vt liberentur; ſicut medicus furioſum ſtudet ſanare ligando, & verberando eum; peccatum enim eſt infirmitas animæ, ſecundùm illud, *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.* Ille autem cui imponitur cura infirmi, etiam propter eius contradictionem vel contemptum, non debet prætermittere medicinam; quia tunc eſt majus periculum, quando medicinam contemnit. *In quæſt. diſp. q. de correct. fraterna art.* 1.

Pſal. 5. *v.* 3.

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 4. *Regum cap.* 6. *v.* 16. *Iob cap.* 18. *v.* 18. *Vid. Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 44. *art.* 2. *q.* 3. *ad tertium. &* 1 *p. q.* 63. *art.* 9. *ad ſecundum.*

Eccle. *Cap.* 1. *v.* 18.

Qui addit ſcientiam addit & laborem.

Vel propter difficultatem & defectum inueniendæ veritatis: vel propter hoc quòd per ſcientiam homo cognoſcit multa quæ voluntati contrariantur; & ſic ex parte rerum cognitarum ſcientia dolorem cauſat: ex parte autem contemplationis veritatis, delectationem. 12. *q.* 38. *art.* 4. *ad primum. Vid. q.* 69. *art.* 3.

Eccle. *Cap.* 2. *v.* 3.

Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam.

Explicatur ſupra *Pſalm.* 1. *v.* 2. *Prouerb. cap.* 2. *v.* 14. *& infra Sapientiæ cap.* 7. *v.* 28.

Eccle. *Cap.* 3. *v.* 4.

Tempus flendi, & tempus ridendi.

Explicatur ſupra *Lib.* 2. *Regum cap.* 6. *v.* 22. *Vid. Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 16. *q.* 4. *art. ſed contra.*

Eccle. *Cap.* 3. *v.* 5.

Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.

Citatur *Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 32. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 4. *ſed contra. & lib.* 4. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 32. *art.* 4. *ſed contra.*

Eccle. *Cap.* 3. *v.* 14.

Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeuerant in æternum.

Arguitur, Corruptibilia in æternum non perſeuerant; ergo non ſunt opera Dei.

Ad argum. R. quòd opera Dei perſeuerant in æternum, non ſecundùm numerum, ſed ſecundùm ſpeciem vel genus, & ſecundùm ſubſtantiam, non ſecundùm modum eſſendi, *Præterit enim figura huius mundi.* 1. *Cor.* 7. *v.* 31. *In quæſt. diſp. q.* 3. *de potentia art.* 6. *ad vigeſimum quartum.*

Didici quòd omnia opera Dei perſeuerant in æternum. Vel ſecundùm ſe, vel in ſuis cauſis: ſic enim & animalia & plantæ remanebunt

poſt finem mundi, manentibus cœleſtibus corporibus & elementis. *In quæſt. diſput. q.* 5. *de potentia ad primum.*

Deut.32 v.4. *Didici quòd omnia opera Dei perſeuerant in æternum.* Videtur quòd lex vetus non fuerit à Deo; dicitur enim: Dei perfecta ſunt opera: ſed lex fuit imperfecta; ergo non fuit à Deo.

2. Dicitur in textu: *Didici quòd omnia opera Dei &c:* ſed lex vetus non perſeuerat in æternum; dicit enim Apoſtolus *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem; ergo lex vetus non fuit à Deo.* Hebr.7. v.18.

3. Ad ſapientem legiſlatorem pertinet non ſolùm mala auferre, ſed etiam occaſiones malorum: ſed vetus lex fuit occaſio peccati; ergo ad Deum, cui nullus eſt ſimilis in legiſlatoribus (vt dicitur) non pertinebat legem talem dare. Iob.36. v.22.

4. Dicitur quòd *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*: Sed lex vetus non ſufficiebat ad ſalutem hominum; ergo ad Deum non pertinebat talem legem dare; lex ergo vetus non eſt à Deo. 1.Tim.2. v.4.

Matt.15 v.6. Sed contra eſt quod Dominus dicit loquens Iudæis quibus erat lex vetus data, *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Et paulò ante præmittitur, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; Quod manifeſtè in lege veteri continetur; ergo lex vetus eſt à Deo. Matt.15. v.4.

Dicendum quòd lex vetus à bono Deo data eſt, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: lex enim vetus homines ordinabat ad Chriſtum dupliciter; vno quidem modo teſtimonium Chriſto perhibendo. Vnde ipſe dicit, *Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege, & in pſalmis, & in Prophetis de me* Et, *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Luca. vlt.v.14 Ioan.5. v.46.

Alio modo per modum cujuſdam diſpoſitionis dum retrahens homines à cultu idololatriæ, concludebat eos ſub cultu vnius Dei, à quo ſaluandum erat humanum genus per Chriſtum Vnde Apoſtolus dicit, *Priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Gal.3. v.23.

Manifeſtum eſt autem quòd eiuſdem eſt diſponere ad finem, & ad finem perducere: & dico, eiuſdem per ſe, vel per ſuos ſubditos. Non enim diabolus legem tuliſſet per quam homines adducerentur ad Chriſtum, per quem erat eijciendus, ſecundùm illud *Si ſatanas ſatanam eiicit, diuiſum eſt regnum eius.* Et ideo ab eodem Deo, à quo facta eſt ſalus hominum per gratiam Chriſti, lex vetus data eſt. Lex vetus à Deo data eſt. Matt.12. v.26.

Ad 1. R. quòd nihil prohibet aliquid non eſſe perfectum ſimpliciter, quod tamen eſt perfectum ſecundùm tempus: ſicut dicitur aliquis puer perfectus, non ſimpliciter, ſed ſecundùm temporis conditionem.

Ita etiam præcepta quæ pueris dantur, ſunt quidem perfecta ſecundùm conditionem eorum quibus dantur; etſi non ſint perfecta ſimpliciter. Et talia fuerunt præcepta legis. Vnde Apoſtolus dicit, *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto.* Gal.3. v.24.

Ad 2. R. quòd opera Dei perſeuerant in æternum, quæ ſic Deus fecit vt in æternum perſeuerent:

& hæc ſunt ea quæ ſunt perfecta. Lex autem vetus reprobatur tempore perfectionis gratiæ; non tanquam mala, ſed tanquam infirma & inutilis pro iſto tempore; quia vt ſubdit, *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Vnde dicit Apoſtolus, *Vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo*.

Hebr. 7. v. 19. Gal. 3. v. 25.

Ad 3. R. quòd Deus aliquando permittit aliquos cadere in peccatum, vt exinde humilientur: ita etiam voluit talem legem dare, quam ſuis viribus homines implere non poſſent: vt ſic dum homines præſumentes de ſe, peccatores ſe inuenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ.

Ad 4. R. quòd quamuis lex vetus non ſufficeret ad ſaluandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſaluati poterant, ſcilicet fides mediatoris, per quam iuſtificati ſunt antiqui patres, ſicut etiam nos iuſtificamur. Et ſic Deus non deficiebat hominibus, quum daret eis ſalutis auxilia. 12. *q.* 98. *art.* 2.

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 1. *v.* 31. *& Eccle. cap.* 1. *v. Vid.* 1. *p. q.* 104. *art.* 4.

ECCL. *Cap.* 3. *v.* 19.

Vnus eſt interitus hominis & iumentorum.

ARguitur, Iumenta ſimul in corpore & in anima intereunt; ergo videtur per *textum* quòd etiam homo.

Ad argum. R. quòd Salomon ibi loquitur more concionatoris, aſſumens in ſe diuerſorum hominum ſententias, & ſapientium & ſtultorum; vt in fine omnibus appareat quæ ſit verior ſententia. Vnde concludit quaſi ſapientiam proferens dicens *Finem loquendi omnes pariter audiamus &c.* Et hoc eſt vnum ex illis, quæ ab eo in perſona ſtultorum inducuntur. *Lib.* 2. *ſent. Diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *ad primum. ſimile Contra Gentiles Lib.* 2. *cap.* 79.

Eccl. 12. v. 13.

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap.* 2. *v.* 7. *&* 17.

ECCLE. *Cap.* 4. *v.* 9.

Melius eſt ſimul eſſe duos quàm vnum.

ARguitur, In natura ſemper inuenitur quod melius eſt: ſed *Melius eſt ſimul* eſſe duos quàm vnum, vt patet *in textu*; ergo mundus non gubernatur ab vno, ſed à pluribus.

Ad argum. R. quòd in particularibus bonis, duo ſunt meliora quàm vnum. Sed ei quod eſt eſſentialiter bonum, non poteſt fieri aliqua additio bonitatis. 1. *p. q* 103. *art.* 3. *ad tertium.*

Melius eſt ſimul eſſe duos quàm vnum. Videtur *per textum* quòd perfectior ſit religio in ſocietate viuentium, quàm agentium ſolitariam vitam.

Dicendum quòd Salomon oſtendit melius eſſe quòd ſint duo ſimul quàm vnus, propter auxilium quod vnus habet ab alio, vel ad ſubleuandum, vel ad fouendum, vel ad ſpiritaliter calefaciendum: quo quidem auxilio jam non indigent qui ſunt perfectionem aſſecuti. 22. *q.* 188. *art.* 8. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra

Prouerb. Cap. 17. v. 17.

ECCLE. *Cap. 4. 10 & 12.*

Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur.

Citatur ſupra *Lib. 2. Paralip. cap. 19. v. 2.*

ECCLE. *Cap. 4. v. 12.*

Funiculus triplex difficilè rumpitur.

Citatur ſupra *Lib. 3. Regum. cap. 21. v. 10.*

ECCLE. *Cap. 4. v. 17.*

Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.

Explicatur ſupra *Pſalm. 49. v. 22.*

ECCLE. *Cap. 5. v. 3.*

Quodcumque voueris, redde.

Obligatio voti ex propria voluntate & intentione cauſatur. Vnde dicitur *Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo locutus es.* Et ideo ſi in intentione & voluntate vouentis eſt obligare ſe ad ſtatim ſoluendum, tenetur ſtatim ſoluere. *Deut. 23 v. 23.*

Si autem ad certum tempus, vel ſub certa conditione, non ſtatim tenetur ſoluere. Sed nec debet tardare vltra quam intendit ſe obligare: dicitur enim, *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 2. 2. q. 88. art. 3. ad tertium.* *Ibid.*

Idem locus explicatur ſupra. *Numeror. cap. 6. v. 2. & cap. 30. v. 3. Vid. Quodlib. 3. art. 12. ſed contra.*

ECCLE. *Cap. 5. v. 5.*

Ne dicas coram Angelo: non eſt prouidentia.

Si Angeli ſingularium notitiam non haberent, nullam prouidētiam habere poſſent de his quæ in hoc mundo aguntur, cùm actus ſingularium ſint. Et hoc eſt contra illud quod dicitur in textu. *1. p. q. 57. art. 2. in corpore.*

ECCLE. *Cap 5. v. 9.*

Auarus non impletur pecuniâ.

Auaritia ſecundùm quod ſuperabundat in accipiendo, dupliciter conſiderari poteſt; *Primò* quidem ſecundùm quod eſt in corde auari: & ſic ex ea oritur inquietudo; quia ingerit homini ſollicitudines & curas ſuperfluas, vt patet *in textu.*

Secundo vero *modo* conſiderari poteſt prout eſt in executione operis, & ſic in acquirendo aliena, vtitur quandoque quidem vi; & ſic ſunt violentiæ: quandoque autem dolo; qui quidem ſi fiat verbo, erit fallacia in ſimplici verbo, quo quis decipit alium ad lucrandum. Auaritiæ mala.

In verbo verò, iuramento confirmato, erit perjurium.

Si autem dolus committatur in opere, ſic in rebus quidem erit fraus: quantùm ad perſonas autem proditio; ſicut patet de Iuda, qui propter auaritiam, factus eſt proditor Chriſti. *In quaſt. diſp. q. 13. de malo art. 3. in corpore.*

Auarus non impletur pecuniâ. Arguitur, Deſiderium ſummibonicum numquam deficiat, videtur eſſe infinitum;

Digitized by Google

finitum: ſed hoc maximè in diuitijs inuenitur, vt patet *in textu*; ergo in diuitijs beatitudo conſiſtit.

Ad argum. R. quòd appetitus naturalium diuitiarum non eſt infinitus; quia ſecundùm certam menſuram ſufficiunt naturæ. Sed appetitus diuitiarum artificialium eſt infinitus; quia deſeruit concupiſcentiæ inordinatæ, quæ non modificatur.

Aliter tamen eſt infinitum deſiderium diuitiarum, & deſiderium ſummi boni: nam ſummum bonum quantò perfectiùs poſſidetur, tantò ipſum magis amatur, & alia contemnuntur; quia quantò magis habetur, magis cognoſcitur. Et ideo dicitur, *Qui edunt me, adhuc eſurient.* *Eccl. 24. v. 29.*

Sed in appetitu diuitiarum & quorumcumque temporalium bonorum eſt è conuerſo: nam quando jam habentur, ipſa contemnuntur, & alia appetuntur. Secundùm quod ſignificatur, cùm Dominus dicit, *Qui bibit ex hac aqua*, per quam temporalia ſignificantur, *Sitiet iterum.* Et hoc ideo, quia eorum inſufficientia magis cognoſcitur cùm habentur: & ideo hoc ipſum oſtendit eorum imperfectionem, & quòd in eis ſummum bonum non conſiſtit. 12. *q.* 2. *art.* 1. *ad tertium. Vid.* 22. *q.* 118. *art.* 3. *ſed contra.* *Ioan. 4. v. 13.* Diuitiarum imperfectio.

Eccle. *Cap. 5. v. 16.*

Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia.

Arguitur, nulla virtus in malis poteſt inueniri; quia virtus eſt quæ bonum facit habentem: ſed patientia quandoque in malis hominibus inuenitur, ſicut patet in auaris, qui multa mala patienter tolerant, vt pecunias congregent, vt patet *in textu*; ergo patientia non eſt virtus.

Ad argum. R. quòd patientes propriè dicuntur qui malunt mala non committendo ferre, quàm non ferendo committere. In illis autem qui mala ſuſtinent, vt mala faciant; nec miranda, nec laudanda eſt patientia, quæ nulla eſt: ſed miranda duritia, neganda patientia. 22. *q.* 136. *art.* 1. *ad ſecundum.* Patientiæ deſcriptio.

Eccle. *Cap 5. v. 17.*

Hoc viſum eſt mihi bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitiâ ex labore ſuo.

Ex perſona Epicureorum hæc verba Salomon dicit. *Contra Gentiles Lib. 3. cap. 27.*

Eccle. *Cap. 6. v. 2.*

Vir cui Deus dedit diuitias, nec tribuit ei poteſtatem vt comedat ex eis.

Arguitur, per auaritiam aliquis nocet proximo, cui bona ſua non communicat, per prodigalitatem autem quis ſibi ipſi nocet. Grauiùs autem peccat qui ſibi ipſi nocet, ſecundùm illud, *Qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit?* Ergo prodigalitas eſt grauius peccatum quàm auaritia. *Eccl. 14. v. 5.*

Ad argum. R. quòd differentia prodigi & auari non attenditur ſecundùm hoc quod eſt peccare in ſeipſum, & in alium. Nam prodigus peccat in ſeipſum, dum bona ſua conſumit vnde viuere debet. Auari & prodigi differentia.

Peccat etiam in alterum conſumendo bona ex quibus alijs debet prouidere.

Et præcipuè hoc apparet in clericis, qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, quæ ſunt pauperum; quos defraudant prodigè expendendo.

Similiter etiam auarus peccat in alios, inquantum deficit in ſumptibus; vt patet *in textu*.

Sed tamen in hoc ſuperabundat prodigus; quia ſic ſibi, & quibuſdam alijs nocet, quod tamen aliquibus prodeſt.

Auarus autem nec alijs, nec ſibi prodeſt; quia non audet vti, etiam ad ſuam vtilitatem, bonis ſuis. 22. *q.* 119. *art.* 3. *ad primum.*

ECCLE. *Cap.* 6. *v.* 7.

Omnis labor hominis in ore eius.

ARguitur, vitia capitalia dicuntur ex quibus alia oriuntur ſecundùm rationem cauſæ finalis: ſed cibus circa quem eſt gula, non habet rationem finis; non enim propter ſe quæritur, ſed propter corporis nutritionem; ergo gula non eſt vitium capitale.

Gula eſt vitium capitale. Ad argum. R. quòd ipſe cibus ordinatur quidem ad aliquid ſicut ad finem. Sed quia ille finis, ſcilicet conſeruatio vitæ, eſt maximè appetibilis, quæ ſine cibo conſeruari non poteſt: inde etiam eſt quòd ipſe cibus eſt maximè appetibilis; & ad hoc ferè totus labor humanæ vitæ ordinatur, vt patet *in textu.*

Et tamen magis gula videtur eſſe circa delectationes cibi, quàm circa cibos. 22. *q.* 148. *art.* 5. *ad primum.*

ECCLE. *Cap.* 7. *v.* 3.

Melius eſt ire ad domum luctus, quàm domum conuiuij.

EXplicatur infra *Eccle. cap.* 7. *v.* 5.

ECCLE. *Cap.* 7. *v.* 5.

Cor ſapientium vbi triſtitia eſt.

VIdetur quòd triſtitia non poſſit eſſe bonum vtile, dicitur enim, *Multos occidit triſtitia,* Eccl. 30. v. 25.
& non eſt vtilitas in illa.

Dicendum quòd ex malo præſenti inſurgit duplex appetitus motus; vnus quidem eſt quo appetitus contrariatur malo præſenti: & ex iſta parte triſtitia non habet vtilitatem; quia id quod eſt præſens, non poteſt non eſſe præſens.

Secundus motus conſurgit in appetitu ad fugiendum & repellendum malum contriſtans: & quantùm ad hoc triſtitia habet vtilitatem, ſi ſit de aliquo quod eſt fugiendum.

Eſt enim aliquid fugiendum dupliciter: *vno modo* propter ſeipſum, ex contrarietate quam habet ad bonum, ſicut peccatum: & ideo triſtitia de peccato vtilis eſt ad hoc quòd homo fugiat peccatum; ſicut Apoſtolus dicit, *Gaudeo non quia* 2. Cor. 7.
contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati v. 9.
eſtis ad pœnitentiam.

Alio modo eſt aliquid fugiendum, non quia ſit ſecundùm ſe malum; ſed quia eſt occaſio mali, dum vel homo nimis inhæret ei per amorem; vel etiam ex hoc quòd præcipitatur in aliquod malum: ſicut patet in bonis temporalibus.

Et ſecundùm hoc triſtitia de bonis temporalibus poteſt eſſe vtilis; ſicut dicitur, *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum.*

Eccle. 7. v. 3.

Triſtitia poteſt eſſe bonum vtile.

Ideo autem triſtitia in omni fugiendo eſt vtilis; quia geminatur fugiendi cauſa. Nam ipſum malum ſecundùm ſe fugiendum eſt: ipſam autem triſtitiam ſecundùm ſe omnes fugiunt; ſicut etiam bonum omnes appetunt, & delectationem de bono.

Sicut ergo delectatio de bono facit, vt bonum auidiùs quæratur; ita triſtitia de malo facit, vt malum vehementiùs fugiatur.

Ad argum. R. quòd auctoritas illa intelligitur de immoderata triſtitia, quæ animum abſorbet; hujuſmodi enim triſtitia immobilitat animum, & impedit fugam mali. 12. *q.* 39. *art.* 3.

Cor ſapientum vbi triſtitia. Non vt ipſe proximo triſtitiam inferat; dicit enim Apoſtolus, *Si propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundùm charitatem ambulas*: ſed vt contriſtantibus conſolationem conferat; ſecundùm illud, *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.*

Rom 14 v. 15.

Eccli. 7, v. 38.

Cor autem ſtultorum eſt vbi lætitia; non quidem vt ipſi alios lætificent; ſed vt ipſi aliorum lætitiâ perfruantur.

Pertinet ergo ad ſapientem vt condelectationem afferat his cum quibus conuerſatur, non quidem laſciuam, quam virtus cauet, ſed honeſtam: ſecundùm illud, *Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Pſal. 132 v. 1.

Quandoque tamen propter aliquod bonum conſequens, vel propter aliquod malum excludendum; non refugiet virtuoſus eos quibus conuiuit, contriſtare. Vnde Apoſtolus dicit, *Si contriſtaui vos in Epiſtola, non me pœnitet.* Et poſtea, *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.*

2. Cor. 7. v. 8. & 9.

Et ideo his qui ſunt proni ad peccandum, non debemus hilarem vultum oſtendere ad eos delectandum, ne videamur eorum peccato conſentire, & quodammodo peccandi audaciam miniſtrare. Vnde dicitur, *Filiæ tibi ſunt? ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* 22. *q.* 114. *art.* 1. *ad tertium. Vid. q.* 11. *de malo art.* 1. *ad nonum.*

Eccli. 7. v. 26.

ECCLE. *Cap. 7. v. 14.*

Conſidera opera Domini, quòd nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.

Arguitur, ea quæ cadunt ſub præceptis diuinis, ſunt efficacia ad finem conſequendum: ſed admonitio fraterna non eſt aliquid ſufficiens ad emendationem eius, neque ſermo admonitionis eſt efficax ad hoc, vt patet *in textu*; ergo fraterna correctio non eſt in præcepto.

Correctio fraterna.

Ad argum. R. quòd ſermo admonitorius non eſt ſufficiens, quantùm ad eos qui ſunt duri & ſeruilis animi. Et hi ſunt qui ex admonitione fiunt deteriores, qui ſunt compeſcendi per correctionem coactiuam prælatorum: quæ etiam correctio non ſufficit ſine diuino auxilio. *In quæſt. diſp. q. de correct. fraterna art.* 1. *ad decimum tertium.*

Google

Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexit. Arguitur, nulli debet imputari quod vitare non poteſt: ſed ſi Deus aliquem reprobat, non poteſt vitare quin ipſe pereat, vt patet *in textu*; ergo non eſſet hominibus imputandum quod pereunt: hoc autem eſt falſum; non ergo Deus aliquem reprobat.

Quomodo reprobus non poteſt ſaluari. Ad argum. R quòd reprobatio Dei non ſubtrahit aliquid de potentia reprobati. Vnde cùm dicitur quòd reprobatus non poteſt gratiam adipiſci; non eſt hoc intelligendum ſecundùm impoſſibilitatem abſolutam, ſed ſecundùm impoſſibilitatem conditionatam; ſicut prædeſtinatum neceſſe eſt ſaluari neceſſitate conditionatâ, quæ non tollit libertatem arbitrij.

Vnde licet aliquis non poſſit gratiam adipiſci, qui reprobatur à Deo; tamen quòd in hoc peccatum vel illud labatur, ex eius libero arbitrio contingit. Vnde & merito ſibi imputatur in culpam. 1. *p. q.* 23. *art.* 3. *ad tertium.*

Idem locus citatur 22. *q.* 33. *art.* 2. *ad primum. Et q.* 83. *art.* 7. *ad tertium.*

ECCLE. *Cap.* 7. *v.* 19.

Qui timet Deum nihil negligit.

Citatur 22. *q.* 54. *art.* 2. *ad quartum.*

ECCLE. *Cap.* 7. *v.* 23.

Scit conſcientia tua, quia tu crebro maledixiſti aliis.

Conſcientia dicitur ſcire aliquid, non propriè; ſed ſecundùm illum modum loquendi, quo ſcire dicitur illud quo ſcimus. *In quæſt. diſput. q.* 17. *de veritate art.* 1. *ad ſeptimum.*

Idem locus citatur 1. *p. q.* 79. *art.* 13. *in corpore.*

ECCLE. *Cap.* 7. *v.* 30.

Deus fecit hominem rectum.

Arguitur, in ſtatu innocentiæ regimen animæ erat bene ordinatum, vt patet *in textu*: ſed regimen bene ordinatum poteſt priùs debilitari antequam totaliter deſtruatur, ergo & regimen animæ poterit priùs debilitari per peccatum veniale, quàm totaliter deſtrui per peccatum mortale.

Ad argum. R, quòd hoc quòd regimen aliquod debilitetur priùs, quàm totaliter corrumpatur, poteſt contingere vel ex defectu præſidentis, qui deficit in ſapientia, vel iuſtitia: vel ex defectu ſubditorum, qui non perfectè obediunt. In ſtatu innocentiæ homo non potuit peccare venialiter.

Sed in ſtatu innocentiæ mens hominis erat perfecta in ſapientia & iuſtitia, & inferiora ipſius perfectè ei ſubdebantur; vnde non poterat debilitari regimen animæ per peccatum veniale, antequam corrumpereturper mortale. *In quæſt. diſp. q.* 7. *de malo art.* 7. *ad nonum.*

Deus fecit hominem rectum. Hæc fuit rectitudo hominis diuinitus inſtituti, vt inferiora ſuperioribus ſubderentur; & ſuperiora ab inferioribus non impedirentur.

Vnde homo primus non impediebatur per res exteriores à clara & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, ſiue naturali cognitione, ſiue

gratuitâ.

Primi hominis rectitudo qualis.

Sic igitur per huiuſmodi intelligibiles effectus Dei, Deum clariùs cognoſcebat, quàm modo cognoſcamus. 1. *p. q.* 94. *art.* 1. *in corpore. ſimile q.* 95. *art.* 1. *in corpore.*

Idem locus citatur 1. *p. q.* 91. *art.* 3. *ſed contra. q.* 99. *art.* 1. *in corpore.*

ECCLE. *Cap.* 8. *v.* 6.

Omni negotio tempus eſt, & opportunitas.

Citatur 22. *q.* 55. *art.* 7. *in corpore.*

ECCLE. *Cap.* 8. *v.* 7.

Multa hominis afflictio; quia ignorat præterita & futura.

Citatur. 1. *p. q.* 86. *art.* 4. *in corpore.*

ECCLE. *Cap.* 8. *v.* 8.

Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum.

Citatur 22. *q.* 189. *art.* 1. *ad quartum.*

ECCL. *Cap.* 8. *v.* 11.

Non citò profertur contra malos ſententia.

Citatur ſupra *Deuter. cap.* 1. *v.* 17. *Vid. Lib.* 4. *ſent. Diſt.* 38. *q.* 1. *q.* 3. *in corpore.*

ECCLE. *Cap.* 8. *v.* 17.

Intellexi quòd omnium operum Dei non poſſit homo inuenire rationem.

Diuinam ſapientiam nullus intellectus creatus comprehendere poteſt, vt patet in textu. *Contra Gentiles. Lib.* 3. *cap.* 59.

ECCLE. *Cap.* 9. *v.* 1.

Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit.

Reſpondeo. Charitas dicitur vno modo habitus infuſus, & hunc nullus poteſt ſcire ſe habere certitudinaliter, niſi per reuelationem: ſed poteſt conijcere per aliqua ſigna probabilia. Alio modo dicitur charitas amor multùm apprecians amatum: & ſic aliquis poteſt ſcire ſe habere charitatem. *In diuiſ. prologi lib.* 1. *ſentent. Tom.* 6.

Neſcit homo vtrũ amore vel odio dignus ſit. Videtur quòd prædeſtinatis ſit certa ſua prædeſtinatio quia vt dicitur, *Vnctio docet nos de omnibus*, & intelligitur de omnibus pertinentibus ad ſalutem: ſed prædeſtinatio maximè pertinet ad ſalutẽ; quia eſt cauſa ſalutis; ergo per vnctionem receptam, omnes homines certi redduntur de ſua prædeſtinatione. 1. Ioan. 2. v. 27.

Dicendum quòd non eſt inconueniens alicui ſuam prædeſtinationem reuelare: ſed ſecundùm legem communem non eſt conueniens vt omnibus reueletur duplici ratione, quarum prima poteſt ſumi ex parte eorum qui non ſunt prædeſtinati; ſi enim omnibus prædeſtinatis ſua prædeſtinatio nota eſſet, tunc omnibus non prædeſtinatis certum eſſet ſe prædeſtinatos non eſſe, ex hoc quòd ſe prædeſtinatos neſcirent; & hoc quodammodo eos in deſperatio-

nem induceret.

Secunda ratio poteſt ſummi ex parte prædeſtinatorum; ſecuritas enim negligentiam parit. Si autem certi eſſent de ſua prædeſtinatione, ſecuri eſſent de ſua ſalute; & ideo non tantam ſolicitudinem ponerent ad vitanda peccata.

Et propter hoc à diuina prouidentia ſalubriter eſt ordinatum, vt homines ſuam prædeſtinationem vel reprobationem ignorent.

Ad argum. R. quòd cùm dicitur quòd *vnctio &c.* intelligendum eſt de illis, quorum cognitio ad ſalutem pertinet; non de omnibus quæ ſecundùm ſe ad ſalutem non pertinent. Cognitio autem prædeſtinationis non eſt neceſſaria ad ſalutem, etſi prædeſtinatio ſit neceſſaria. *In quæſt. diſp. q. 6. de Verit. art. 5.*

Nemo ſcit vtrum dignus ſit odio, vel amore. Nullus ſcire poteſt ſe habere charitatem, vt patet *in textu. De verit. q. 10. art. 10.*

Nemo ſcit vtrum dignus ſit odio, vel amore.

Arguitur, nullus poteſt eſſe certus de ſtatu alicujus, ſicut ipſemet 1. Cor. 2. v. 11. de ſe; quia, *Quæ ſunt hominis nemo nouit, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo*: ſed homo non poteſt eſſe certus de ſeipſo, vtrum ſit in ſtatu ſalutis, vt patet *in textu*; ergo multò minus Papa ſcit; ergo poteſt in canonizando errare,

2. Quicumque in iudicando innititur medio fallibili, poteſt errare: ſed Eccleſia in canonizando ſanctos innititur teſtimonio humano; cùm inquirat per teſtes de vita, & miraculis; ergo cùm teſtimonium hominum ſit fallibile, videtur quòd Eccleſia in canonizando ſanctos poſſit errare.

Dicendum quòd aliquid poteſt judicari poſſibile ſecundùm ſe conſideratum, quod relatum ad aliquid extrinſecum impoſſibile inuenitur.

Dico ergo quòd judicium eorum qui præſunt Eccleſiæ poteſt errare in quibuſlibet, ſi perſonæ eorum tantùm reſpiciantur.

Si verò conſideretur diuina prouidentia, quæ Eccleſiam ſuam ſpiritu ſancto dirigit, vt non erret, ſicut ipſe promiſit quòd ſpiritus Sanctus adueniens, *Doceret omnem veritatem*, de neceſſarijs ſcilicet ad ſalutem; certùm eſt quòd iudicium Eccleſiæ vniuerſalis errare in his quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt. Ioan. 16 v. 13.

Vnde magis eſt ſtandum ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert; quam quorumlibet ſapientum hominum in ſcripturis opinioni; cùm Caïphas quamuis nequam, tamen quia Pontifex, legitur etiam inſcius Prophetaſſe. Eccleſiæ infallibilitas in canoniſatione ſanctorum.

In alijs verò ſententijs, quæ ad particularia facta pertinent; vt cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de hujuſmodi; poſſibile eſt iudicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Ioan. 11. v. 51.

Canoniſatio verò ſanctorum medium eſt inter hæc duo; quia tamen honor quem ſanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt, qua ſanctorum gloriam credimus; piè credendum eſt, quòd nec etiam in his iudicium Eccleſiæ errare poſſit.

Ad 1. R. quòd Pontifex cujus eſt canonizare ſanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inqui-

821

ſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum; & præcipuè per inſtinctum ſpiritus ſancti.

Ad 1. R. quòd diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimoniū hominum fallatur. *Quodlib. 9. art. 16.*

Nemo ſcit vtrum ſit dignus &c. Videtur quòd homo poſſit ſcire ſe habere gratiam; gratia enim eſt in anima per ſui eſſentiam: ſed certiſſima cognitio animæ eſt eorum quæ ſunt in anima per eſſentiam; ergo gratia certiſſimè poteſt cognoſci ab eo qui gratiam habet.

2. Sicut ſcientia eſt donum Dei, ita & gratia: ſed qui à Deo ſcientiam accipit, ſcit ſe ſcientiam habere, ſecundùm illud, *Dominus dedit mihi horum quæ ſunt, veram ſcientiam;* ergo pari ratione qui accipit gratiam a Deo, ſcit ſe gratiam habere. *Sap. 7. v. 17.*

3. Lumen eſt magis cognoſcibile quàm tenebra; quia, *Omne quod manifeſtatur, lumen eſt.* Sed peccatum quod eſt ſpiritualis tenebra, per certitudinem poteſt ſciri ab eo qui habet peccatum; ergo multò magis gratia, quæ eſt ſpirituale lumen. *Eph. 5. v. 13.*

4. Apoſtolus dicit, *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui à Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis:* Sed gratia eſt primum donum Dei, ergo homo qui accipit gratiam per ſpiritum ſanctum, per eundem ſpiritum ſcit gratiam eſſe ſibi datam. *1. Cor. 2. v. 12.*

Tripliciter aliquid cognoſci poteſt. Dicendum quòd tripliciter aliquid cognoſci poteſt: *vno modo* per reuelationem. Et hoc modo poteſt aliquis ſcire ſe habere gratiam: reuelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex ſpeciali priuilegio; vt ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & confidentiùs, & fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant: ſicut Paulo dictum eſt *Sufficit tibi gratia mea.* *2. Cor. 12. v. 9.*

Alio modo homo cognoſcit aliquid per ſeipſum, & hoc certitudinaliter. Et ſic nullus poteſt ſcire ſe habere gratiam: certitudo enim non poteſt haberi de aliquo, niſi poſſit dijudicari per proprium principium: ſic enim certitudo habetur de concluſionibus demonſtratiuis per indemonſtrabilia vniuerſalia principia.

Nullus autem poſſet ſcire ſe habere ſcientiam alicujus concluſionis, ſi principium ignoraret. Principium autem gratiæ, & objectum eius, eſt ipſe Deus, qui propter ſui excellentiam eſt nobis ignotus, ſecundùm illud, *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram.* Et ideo eius præſentia in nobis, & abſentia per certitudinem cognoſci non poteſt, ſecundùm illud, *Si venerit ad me, non videbo eum; ſi autem abierit, non intelligam.* *Iob. 36. v. 26.*

Et ideo homo non poteſt per certitudinem dijudicare vtrum ipſe habeat gratiam, ſecundùm illud *Sed neque meipſum iudico; qui autem iudicat me Dominus eſt.* *Iob. 9. v. 11.*

Tertio modo cognoſcitur aliquid conjecturaliter per aliqua ſigna. Et hoc modo aliquis cognoſcere poteſt ſe habere gratiam, inquantum ſcilicet percipit ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & inquantum homo non eſt conſcius ſibi alicujus peccati mortalis. *1 Cor. 4. v. 3. & 4.*

Secundùm quem modum po-

Digitized by Google

Apo. 2. v. 17. teſt intelligi illud, *Vincenti dabo manna abſconditum, quod nemo nouit niſi qui accipit*; quia ſcilicet ille qui accipit, per quandam experientiam dulcedinis nouit, quam non experitur ille qui non accipit.

Iſta tamen cognitio imperfecta *1. Cor. 4. v. 4.* eſt: vnde Apoſtolus dicit, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iu-* *Pſal. 18. v. 13.* *ſtificatus ſum*; quia vt dicitur, *Delicta quis intelligit? ab occultis &c.*

Ad 1. R. quòd illa quæ ſunt per eſſentiam ſui in anima, cognoſcuntur experimentali cognitione, inquantum homo experitur per actus principia intrinſeca; ſicut voluntatem percipimus volendo, & vitam in operibus vitæ.

Ad 2. R. quòd de ratione ſcientiæ eſt, quòd homo certitudinem habeat de his quorum habet ſcientiam. Et ſimiliter de ratione fidei eſt, quòd homo ſit certus de his, quorum habet fidem.

Et hoc ideo; quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo prædicta dona exiſtunt. Et ideo quicumque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere.

Non eſt autem ſimilis ratio de gratia & charitate, & alijs hujuſmodi, quæ perficiunt vim appetitiuam.

Ad 3. R. quòd peccatum habet pro principio, & pro objecto bonum commutabile, quod nobis eſt notum, Objectum autem vel finis gratiæ eſt nobis ignotum, propter ſui luminis immenſitatem, *1. Tim. 6 v. 16.* ſecundùm illud, *Lucem habitat inacceſſibilem.*

Ad 4. R. quòd Apoſtolus ibi loquitur de donis gloriæ, quæ ſunt nobis data in ſpe, quæ certiſſimè cognoſcimus per fidem; licet non cognoſcamus per certitudinem nos habere gratiam, per quam nos poſſimus ea promereri.

Vel poteſt dici quòd loquitur de notitia priuilegiata, quæ eſt per reuelationem: vnde ſubdit, *Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſanctum. 12. q. 112. art. 5.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap. 10. v. 12. Vid. Lib. 3. ſent. Diſt. 23. q. 1 art. 2. ad primum. Lib. 4. ſent. Diſt. 9. q 1. art. 3. q 2. ſed contra. diſt. 15. q. 1. art, 1. ſed contra. Et in quæſt. diſp. q. vnica de ſpe. art. 1. ad decimum.*

ECCLE. *Cap. 9. v. 2.*

Vniuerſa æquè eueniunt iuſto, & impio.

ARguitur, id non poteſt eſſe præmium iuſtitiæ, vel pœna culpæ, quod æqualiter euenit & bonis & malis.

Ad argum. R. quòd communis ſtatus populi ſemper ſub lege in proſperitate fuit, quandiu legem obſeruabant: & ſtatim declinantes à præceptis legis diuinæ, in multas aduerſitates incidebant.

Sed aliquæ perſonæ particulares, etiam iuſtitiam legis obſeruantes, in aliquas aduerſitates incidebant; vel quia jam erant ſpirituales effecti, vt per hoc magis ab effectu temporalium abſtraherentur, & eorum virtus probata redderetur.

Aut quia opera legis exteriùs implentes, cor totum habebant in temporalibus defixum, & à Deo elongatum; ſecundùm quod dicitur.

823

citur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. 1. 2. q. 99. art. 6. ad tertium.* *Eſa. 29. v. 13.*

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm. 33. v. 11. & infra Eccle. cap. 9. v. 11.*

Eccle. *Cap. 9. v. 10.*

Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.

SIcut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes. Eſt tamen aliqua totalitas perfectionis, quæ ſine peccato prætermitti non poteſt: aliqua autem quæ ſine peccato prætermittitur, dum tamen deſit contemptus.

Ita etiam omnes tam religioſi, quàm ſeculares tenentur aliqualiter facere quicquid boni poſſunt, vt patet *in textu.*

Eſt tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur, ſcilicet ſi homo faciat quod poteſt, ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus, dummodò contemptus non adſit agendi meliora, per quem animus firmatur contra ſpiritualem profectum. *2. 2. q. 186. art. 2. ad ſecundum.*

Eccle. *Cap. 9. v. 11.*

Vidi nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem &c. ſed tempus, caſumque in omnibus.

VIdetur quòd humani actus prouidentiâ non regantur; quia illud quod dimittitur ſibi, non gubernatur: ſed, *Deus dimittit hominem in manu conſilij ſui*, vt dicitur; ergo humani actus prouidentiâ non reguntur. *Eccl. 15. v. 14.*

2. Per textum videtur quòd humani actus caſu agitentur.

3. In his quæ prouidentiâ aguntur, diuerſa diuerſis attribuuntur: ſed in rebus humanis, *Eadem bonis & malis eueniunt*, vt dicitur; ergo res humanæ prouidentiâ non reguntur. *Eccl 9. v. 2.*

Sed contra eſt quod dicitur, *Veſtri capilli omnes numerati ſunt*; ergo & minima in humanis actibus diuinâ prouidentiâ ordinantur. *Matt. 10 v. 11.*

Dicendum quòd quantò aliquid eſt propinquius primo principio, tantò nobilius ſub ordine prouidentiæ collocatur Inter omnia verò alia ſpirituales ſubſtantiæ magis primo principio appropinquant; vnde & eius imagine inſignitæ dicuntur. Et ideo à diuina prouidentia non ſolùm conſequuntur quòd ſint prouiſa, ſed etiam quòd prouideant.

Et hæc eſt cauſa quare prædictæ ſubſtantiæ habent ſuorum actuum electionem; non autem cæteræ creaturæ, quæ ſunt prouiſæ tantùm, & non ſunt prouidentes. Prouidentia autem cùm reſpiciat ordinem in finem oportet quòd fiat ſecundùm regulam finis.

Et quia primus prouidens ipſemet eſt ſicut prouidentiæ finis; habet regulam prouidentiæ ſibi conjunctam: vnde impoſſibile eſt vt ex parte ipſius aliquis defectus incidere poſſit in prouiſis ab ipſo: & ſic non eſt defectus in ipſis, niſi ex parte prouiſorum. *Actus humani Dei prouidentiâ reguntur.*

Sed creaturæ quibus prouidentia eſt communicata, non ſunt fines ſuæ prouidentiæ; ſed in alium finem ordinantur, ſcilicet Deum: vnde ordinantur ſecundùm quod

rectitudinem ſuæ prouidentiæ ex regula diuina ſortiuntur.

Et inde eſt quòd in eorum prouidentia accidere poteſt defectus, non tantùm ex parte prouiſorum, ſed etiam ex parte prouidentiæ: ſecundùm tamen quòd aliqua creatura magis inhæret regulæ primi prouidentis, ſecundùm hoc firmiorem rectitudinem habet ordo prouidentiæ ipſius.

Quòd ergo hujuſmodi creaturæ deficere poſſunt in ſuis actibus, & ipſæ ſunt cauſæ ſuorum actuum; inde eſt quòd eorum defectus rationem culpæ habent; quod non erat de defectibus aliarum creaturarum.

Quia verò hujuſmodi ſpirituales creaturæ incorruptibiles ſunt, & ſecundùm indiuidua; etiam eorum indiuidua ſunt propter ſe prouiſa.

Et ideò defectus qui in eis contingunt, ordinantur in pœnam vel præmium, ſecundùm quod eis competit; non autem ſolùm ſecundùm quod ad alia ordinantur.

Et inter has creaturas eſt homo; quia eius forma, ſcilicet anima, eſt ſpiritualis creatura, à qua eſt radix humanorum actuum, & à qua corpus hominis ordinem ad immortalitatem habet.

Et ideo humani actus ſub diuina prouidentia cadunt hoc modo, quòd ipſi prouiſores ſunt ſuorum actuum, & eorum defectus ordinantur ſecundùm quod competit eiſdem; non ſecundùm quod competit alijs.

Sicut peccatum hominis ordinatur à Deo in bonum eius; vt cùm poſt peccatum reſurgens humilior redditur; vel ſaltem in bono quod in ipſo fit per diuinam iuſtitiam, dum pro peccato punitur.

Sed defectus in alijs creaturis contingentes, ordinantur ſolùm in id quod competit alijs: ſicut corruptio hujus ignis in generationem illius aëris.

Et ideò ad deſignandum hunc ſpecialem prouidentiæ modum, quo Deus actus humanos gubernat, dicitur, *Cum reuerentia diſponit nos*. *Sap. 12. v. 18.*

Ad 1. R. quòd Deus dimiſit hominem in manu conſilij ſui, inquantum conſtituit eum propriorũ actuum prouiſorem. Sed tamen prouidentia hominis de ſuis actibus, non excludit diuinam prouidentiam de eiſdem: ſicut neque virtutes actiuæ creaturarum excludunt virtutem actiuam diuinam.

Ad 2. R. quòd quamuis multa in humanis actibus caſu eueniant, ſi conſiderentur inferiores cauſæ; nihil tamen caſu euenit, ſi conſideretur diuina prouidentia, quæ omnibus præeminet.

Ad 3. R. quòd quamuis videatur nobis quòd omnia æqualiter bonis & malis accidant ex hoc, quòd neſcimus qua de cauſa diuina prouidentia ſingula diſpenſet; non eſt tamen dubium quin in omnibus bonis & malis, quæ eueniunt ſiue bonis, ſiue malis, ſit recta ratio ſecundùm quam diuina prouidentia omnia ordinat.

Et quia eam ignoramus, videtur nobis quòd inordinatè & irrationabiliter eueniant. Sicut ſi aliquis intraret officinam fabri, videretur ei quòd inſtrumenta fabrilia eſſent inutiliter multiplicata; ſi neſciret

rationem vtendi vnoquoque: quorum tamen multiplicatio ex cauſa rationabili apparet ei, qui virtutem artis intuetur. *In quaſt. diſp. q.* 5 *de verit. art* 5.

Vidi nec velocium eſſe curſum. &c. Ad ordinem diuinæ prouidentiæ pertinet vt ſit ordo & gradus in cauſis. Quantò autem eſt aliqua ſuperior cauſa, tantò eſt majoris virtutis; vnde cauſalitas eius ad plura ſe extendit. Nullius autem cauſæ materialis intentio ſe extendit vltra virtutem eius: eſſet enim fruſtra; oportet ergo quòd intentio cauſæ particularis non ſe extendat ad omnia quæ contingere poſſunt.

Ex hoc autem contingit aliquid caſualiter vel fortuitò, quòd eueniunt aliqua præter intentionem agentium. Ordo igitur diuinæ prouidentiæ exigit quòd ſit caſus & fortuna in rebus. Hinc eſt quòd dicitur in textu: *Vidi nec velocium eſſe curſum &c. ſed tempus caſumque in omnibus*, ſcilicet inferioribus. *Contra Gentiles Lib.* 3. *cap.* 74.

Idem locus citatur 1 *p. q.* 103. *art.* 5. *ad primum.*

Eccle. *Cap.* 10. *v.* 3.

In via ſtultus ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.

Svſpicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit. Et contingit ex tribus. Vno quidem modo ex hoquòd aliquis ex ſeipſo malus eſt: & hoc ipſo, quaſi conſcius ſuæ malitiæ, faciliter de alijs malum opinatur, vt patet *in textu.*

Alio modo prouenit ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alterum; cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel inuidet ei; ex leuibus ſignis opinatur mala de ipſo; quia vnuſquiſque faciliter credit quod appetit. Iudiciũ malum triplex.

Tertio modo prouenit ex longa experientia: vnde ſenes ſunt maximè ſuſpicioſi; quia multoties experti ſunt aliorum defectus.

Primæ autem duæ ſuſpicionis cauſæ manifeſtè pertinent ad peruerſitatem affectus. Tertia verò cauſa diminuit rationem ſuſpicionis, inquantum experientia ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis.

Et ideo ſuſpicio vitium quoddam importat: & quantò magis procedit ſuſpicio, tantò magis eſt vitioſum.

Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis: primus quidem gradus eſt, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicujus dubitare incipiat. Et hoc eſt veniale, & leue peccatum. Suſpicionis gradus triplex.

Secundus gradus eſt, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indicijs. Et hoc ſi ſit de aliquo graui, eſt peccatum mortale, inquantum non eſt ſine contemptu proximi.

Tertius gradus eſt, cùm aliquis iudex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum. Et hoc directè ad iniuſtitiam pertinet: vnde eſt peccatum mortale. 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. *in corpore.*

824

ECCLE. Cap. 10. v. 5.

Eſt malum quod vidi ſub ſole &c.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 1. *v.* 26.

ECCLE. Cap. 10. v. 11.

Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

VErba detractionis dicuntur occulta, non ſimpliciter; ſed per comparationem ad eum de quo dicuntur; quia eo abſente & ignorante, dicuntur. Sed contumelioſus in faciem contra hominem loquitur.

Vnde ſi aliquis de alio malè loquatur coram multis, eo abſente, detractio eſt: ſi autem eo præſente, contumelia eſt 2. 2. q. 73. *art.* 1. *ad ſecundum.*

ECCLE. Cap. 10. v. 17.

Beata terra cuius Rex eſt nobilis.

PAtet *per textum* quòd nobilitas in Principe eſt laudabilis. Sed quia multi circa nobilitatem errant, credentes eos nobiles qui non ſunt, declarandum eſt quæ ſit nobilitas vera, & ſigna ponenda.

Primus error circa nobilitatem eſt quòd multi credunt ſe, vel alios eſſe nobiles propter nobilitatem corporis, licet habeant ignobilitatem mentis, & ſint ſerui vitiorum & Diaboli. Sapiens non eſt, quòd ſibi aliquis de nobilitate generis blandiatur, ſi ex meliori parte ſui ſit famulus.

Secundus error eſt, quòd aliquem nobilem reputant propter nobilitatem alienam. Non eſt aliquis ſapiens propter ſapientiam quam pater habuit, vt in Roboam filio Salomonis patet, qui fuit valde ſtultus, cùm pater eius fuerit ſapientiſſimus. Nec aliquis diues eſt propter diuitias quas parentes eius habuerunt, quæ ad eum non peruenerunt: ſic non eſt aliquis glorioſus nobilitate quam parentes eius habuerunt, ſi ipſe degenerauit.

Tertius error eſt quòd credunt aliquos eſſe nobiles, quia à nobilioribus originem habuerunt. Ad quod dicendum quòd ſi habeatur reſpectus ad primam cauſam, ſcilicet hominum, ab vno omnes originem habemus. Vnde quantùm ad hoc omnes homines ſunt æquè nobiles. *Nunquid non Deus vnus creauit nos, quare deſpicit fratrem ſuum vnuſquiſque veſtrum?* *Mal.* 2. *v.* 10.

Si reſpectus habeatur ad cauſam creatam, omnes habemus primum patrem, & primam matrem, Adam ſcilicet & Euam. Omnes ergo vel ſumus nobiles, vel ſumus ignobiles. Non legitur Deum feciſſe vnum hominem argenteum, vnde eſſent nobiles; & vnum luteum, vnde eſſent ignobiles.

Verè nobilis parua deſpicit, & magna appetit. Non eſt verè nobilis qui terræ amore adhærens, de regno cœlorum non curat. Ad verè nobilem pertinet dicere: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Opuſc. de eruditione principis cap.* 4. & 5. *Pſal.* 72. *v.* 25.

ECCLE. Cap. 10. v. 19.

Pecuniæ obediunt omnia.

ARguitur: vitium capitale dicitur illud, ex quo alia vitia

oriuntur, ſecundùm rationem cauſæ finalis: ſed hoc non videtur auaritiæ competere; quia pecunia quæ eſt auaritiæ materia, non ha-habet rationem finis; ſed ſemper appetitur vt vtile ad finem; ergo auaritia non eſt vitium capitale.

Auaritiæ eſt vitium capitale.

Dicendum quòd auaritia inter vitia capitalia computari debet. Cujus ratio eſt, quia vitium capitale dicitur quod habet aliquem principalem finem, ad quem nata ſunt alia multa ordinari: & ſic ſecundùm originem cauſæ finalis, ex tali vitio multa alia oriuntur.

Finis autem totius humanæ vitæ eſt beatitudo quam omnes appetunt: vnde inquantum in rebus humanis eſt aliquid participans quamcumque beatitudinis conditionem, verè vel apparenter, habet principalitatem quandam in genere finium.

Tres Beatitudinis conditiones.

Sunt autem tres conditiones felicitatis, quod ſit perfectum quoddam bonum, & per ſe ſufficiens, & cum delectatione. In tantum autem aliquod bonum videtur eſſe perfectum, inquantum excellentiam quandam habet. Et ideò excellentia videtur eſſe quoddam principaliter appetibile.

Et ſecundùm hoc ſuperbia vel inanis gloria ponitur vitium capitale. In rebus autem ſenſibilibus maxima delectatio eſt circa tactum in cibis & venereis: & ideò gula & luxuria ponuntur vitia capitalia.

Auaritiæ deſcriptio.

Sufficientiam autem temporalium bonorum maximè promittunt diuitiæ: vnde etiam auaritia, quæ eſt inordinatus appetitus diuitiarum, debet poni vitium capitale.

Ad argum. R. quòd pecunia, etſi habeat rationem vtilis; quia tamen habet rationem vniuerſalis, vt patet *in textu*; ex hoc ipſo habet quandam ſimilitudinem felicitatis. Vnde ſecundùm hoc auaritia eſt vitium capitale. *In quaſt. diſp. q. 13. de malo art. 3.*

Pecuniæ obediunt omnia. Omnia corporalia obediunt pecuniç quantùm ad multitudinem ſtultorum, qui ſola bona corporalia cognoſcunt, quæ pecuniâ acquiri poſſunt.

Iudicium autem de bonis humanis non debet ſumi à ſtultis, ſed à ſapientibus: ſicut & iudicium de ſaporibus ab his qui habent guſtum bene moderatum. 1. 2. *q.* 2. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 1. Regum cap. 15. v. 17.*

ECCLE. *Cap.* 11. *v.* 3.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Citatur *Lib. 4. ſent. Diſt.* 21. *art. 3. ad tertium. q. 7. de malo art. 11. ad primum. 22. q. 13. art. 4. ad tertium. & q. 18. art. 3. ad tertium.*

ECCLE. *Cap.* 11. *v.* 7.

Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem.

Arguitur: omne peccatum eſt voluntarium: ſed cæcitas mentis non eſt voluntaria, vt patet *in textu*; ergo cæcitas mentis non eſt peccatum.

Digitized by Google

Vnde qui facit malum, non referibilem in Deum, non ſeruat honorem Dei, qui vltimo fini debetur.

Merces operum Deo tribuitur. Ex parte verò totius communitatis vniuerſi, quia in qualibet communitate ille qui regit communitatem, præcipuè habet curam boni communis: vnde ad eum pertinet retribuere pro his qui bene vel malè fiunt in communitate.

Eſt autem Deus gubernator & rector totius vniuerſi, & ſpecialiter rationalium creaturarum.

Deus omniũ gubernator. Vnde manifeſtum eſt quòd actus humani habent rationem meriti vel demeriti per comparationem ad ipſum: alioquin ſequeretur quòd Deus non haberet curam de actibus humanis.

Ad 1 R. quòd per actum hominis Deo ſecundùm ſe nihil poteſt accreſcere vel deperire: ſed tamen homo, inquantum in ſe eſt, aliquid ſubtrahit Deo, vel ei exhibet, cùm ſeruat, vel non ſeruat ordinem quem Deus inſtituit.

Ad 2. R. quòd homo ſic mouetur à Deo vt inſtrumentum, quod tamen non excludit quin moueat ſeipſum per liberum arbitrium. Et ideo per ſuum actum meretur vel demeretur apud Deum. 1. 2. *q.* 21. *art.* 4.

Libri Eccleſiaſtæ Finis.

LIBER CANTICORVM

CAPVT. II. *Verſ.* 4.

Ordinauit in me charitatem.

Est ordo in charitate, ita vt Deus affectu & effectu ſuper omnia diligatur. *In queſt. diſput. q. de charitate art. 9. ſed contra. vid. 22. q. 29. art. 1. Et q. 44. art. 8. ſed contra.*

CANTIC. *Cap.* 2. *v.* 5.

Amore langueo.

Videtur quòd amor ſit paſſio læſiua; languor enim ſignificat læſionem quandam languoris: ſed amor cauſat languorem, vt patet in textu; ergo eſt paſſio læſiua.

2. Liquefactio eſt quædam reſolutio: ſed amor eſt liquefactiuus; dicitur, enim *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt*; ergo amor eſt reſolutiuus; eſt ergo corruptiuus & læſiuus. Cant. 5. v. 6.

3 Feruor deſignat quendam exceſſum in caliditate; qui quidem

exceſſus corruptiuus eſt : ſed feruor cauſatur ex amore ; dicitur enim de amore quòd, *Lampades eius ſunt lampades ignis, atque flammarum* ; ergo amor eſt paſſio læſiua & corruptiua.

Cant. 8. *v.* 6.

Amoris deſcriptio.

Dicendum quòd amor ſignificat coaptationem quandam appetitiuæ virtutis ad aliquod bonum : nihil autem quod coaptatur ad aliquid quod eſt ſibi conueniens, ex hoc ipſo læditur ; ſed magis, ſi ſit poſſibile, perficitur & melioratur.

Quod verò coaptatur ad aliquid quod non eſt ſibi conueniens, ex hoc læditur & deterioratur.

Amor ergo boni conuenientis eſt perfectiuus & melioratiuus amantis : amor autem boni quod non eſt conueniens amanti, eſt læſiuus & deterioratiuus amantis.

Vnde maximè homo perficitur & melioratur per amorem Dei : læditur autem & deterioratur per amorem peccati, ſecundùm illud: *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.*

Oſea. 9. *v.* 10.

Et hoc quidem ſic dictum eſt de amore quantùm ad id quod eſt formale in ipſo, quod eſt ſcilicet ex parte appetitus. Quantùm verò ad id quod eſt materiale in paſſione amoris, quod eſt immutatio aliqua corporalis ; accidit quòd amor ſit læſiuus, propter exceſſum immutationis : ſicut accidit in ſenſu, & in omni actu virtutis animæ, quæ exercetur per aliquam immutationem organi corporalis.

Amoris effectus quatuor.

Ad ea verò quæ in contrarium objiciuntur, dicendum quòd amori tribui poſſunt quatuor effectus proximi, ſcilicet liquefactio, fruitio, languor, & feruor. Inter quæ primum eſt liquefactio, quæ opponitur congelationi : ea enim quæ ſunt congelata, in ſeipſis constricta ſunt, vt non poſſint de facili ſubintrationem alterius pati.

Ad amorem autem pertinet quòd appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum eſt in amante. Vnde cordis congelatio vel duritia eſt diſpoſitio repugnans amori. Sed liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet ſe cor habile vt amatum in ipſum ſubintret.

Si ergo amatum fuerit præſens & habitum, cauſatur delectatio ſiue fruitio. Si autem fuerit abſens conſequuntur duæ paſſiones, ſcilicet triſtitia de abſentia, quæ ſignificatur per languorem : & intenſum deſiderium de conſecutione amati, quod ſignificatur per feruorem.

Et iſti quidem ſunt effectus amoris formaliter accepti ſecundùm habitudinem appetitiuæ virtutis ad objectum. Sed in paſſione amoris conſequuntur aliqui effectus his proportionati ſecundùm immutationem organi. 1.2. *q.* 28. *art.* 5.

CANTIC. *Cap.* 3. *v.* 4.

Tenui eum, nec dimittam.

Comprehenſio dicitur dupliciter : vno modo ſtrictè & propriè, ſecundùm quod aliquid includitur in comprehendente : & ſic Deus nullo comprehenditur, nec intellectu, nec aliquo alio ; quia cùm ſit infinitus, nullo finito includi

Dei comprehenſio duplex.

includi poteſt, vt aliquid finitum cum infinitè capiat, ſicut ipſe infinitus eſt.

Alio modo comprehenſio largiùs ſumitur, ſecundùm quod comprehenſio inſecutioni opponitur: qui enim attingit aliquem, quando jam tenet ipſum, comprehendere eum dicitur. Et ſic Deus comprehenditur à beatis, vt patet *in textu*.

Et ſic intelligitur Apoſtolus, *Sequor autem ſi quomodo comprehendam*. Non autem fruſtra ſequebatur, dicit enim ipſe, *Sic curro non quaſi in incertum;* ergo ipſe comprehendit. Et eadem ratione alij quos ad hoc inuitat dicens, *Sic currite vt comprehendatis*.

Et hoc modo comprehenſio eſt vna de tribus dotibus animæ, quæ reſpondet ſpei, ſicut viſio fidei, & fruitio charitati. Non enim apud nos omne quod videtur, jam tenetur, & habetur; quia videntur interdum diſtantia, vel quæ non ſunt in poteſtate noſtra.

Neque iterum omnibus quæ habemus fruimur; vel quia non delectamur in eis; vel quia non ſunt vltimus finis deſiderij noſtri, vt deſiderium noſtrum impleant & quietent.

Tres beatorum dotes. Sed hæc tria habent beati in Deo; quia & vident ipſum, & videndo tenent ſibi præſentem, in poteſtate habentes ſemper eum videre, & tenentes fruuntur, ſicut vltimo fine deſiderium implente. *1. p. q. 12. art. 7. ad primum.*

CANTIC. *Cap. 4. v. 4.*

Sicut turris Dauid.

PEr Dauid ſignificatur Chriſtus, turris eius eſt fides, vel Eccleſia. Clypei ſunt rationes & auctoritates ſanctorum. *In diuiſione textus prologi lib. 1. ſentent.*

CANTIC. *Cap. 4. v. 7.*

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

DIcitur, *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis:* Sap. 1. v. 4.
Sed Dei ſapientia non ſolùm animam Virginis intrauit, ſicut & de cæteris dicitur, *In animas ſanctas ſe transfert;* Sed & corpus eius inhabitauit, carnem de ea aſſumens; ergo in ea nullum peccatum fuit, quod colligi poteſt ex textu. *Lib. 3. ſent. Diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 2. ſed contra. ſimile Opuſc. de humanitate Chriſti art. 3. vid. 3. p. q. 27. art. 2. ad ſecundum. & art. 3. ſed contra.* Sap. 7. v. 27. B. Virginis puritas.

CANTIC. *Cap. 5. v. 6.*

Anima mea liquefacta eſt.

IN amore eſt vnio amantis ad amatum. Sed eſt ibi triplex diuiſio: ex hoc enim quòd amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, & è contra; vt nihil amati amanti remaneat non vnitum: ſicut forma peruenit ad intima formati, & è conuerſo. Et ideo amans quodammodo penetrat in amatum: & ſecundùm hoc amor In amore eſt triplex diuiſio.

dicitur acutus : & ſimiliter amarum penetrat amantem ad interiora eius perueniens. Et propter hoc dicitur quòd amor vulnerat, & quòd tranſfigit jecur.

Sed quia nihil poteſt in alterum transformari, niſi ſecundùm quod à ſua forma quodammodo recedit; quia vnius vna eſt forma: ideo hanc diuiſionem penetrationis præcedit alia diuiſio, qua amans à ſeipſo ſeparatur in amatum tendens. Et ſecundùm hoc dicitur amor eſtaſim facere, & feruere, quia quod feruet, extra ſe bullit & exhalat.

Quia verò nihil à ſe recedit, niſi ſoluto eo quo intra ſeipſum continebatur; ſicut res naturalis non amittit formam, niſi ſolutis diſpoſitionibus, quibus forma in materia retinebatur; ideo oportet quòd ab amante terminatio illa, qua infra terminos ſuos tantùm continebatur, amoueatur.

Er propter hoc amor dicitur liquefacere cor; quia liquidum ſuis terminis non continetur: & contraria diſpoſitio dicitur cordis duritia. *Lib. 3 ſent. diſt. 27. q. 1. art. 1 ad quartum.*

Idem locus explicatur ſupra *Canticor. cap. 2 v. 5.*

CANTIC. *Cap. 6. v. 8.*

Vna eſt columba mea, perfecta mea.

MAtrimonium ſecundùm quod conſiſtit in conjunctione maris & fœminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare & educere, eſt Eccleſiæ ſacramentum. Vnde & quædam benedictio nubentibus per miniſtros Eccleſiæ adhibetur.

Et ſicut in alijs ſacramentis per ea quæ exteriùs aguntur, ſpirituale aliquid figuratur: ſic & in hoc ſacramento per conjunctionem maris & fœminæ, conjunctio Chriſti & Eccleſiæ figuratur, ſecundùm illud, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Eph. 5. v. 32.

Et quia ſacramenta efficiunt quod figurant, credendum eſt quòd nubentibus per hoc ſacramentum gratia conferatur; per quam ad vnionem Chriſti & Eccleſiæ pertineant; quod eis maximè neceſſarium eſt, vt ſic carnalibus & terrenis intendant, quòd à Chriſto & Eccleſia non disjungantur.

Quia igitur per conjunctionem maris & fœminæ, Chriſti & Eccleſiæ conjunctio deſignatur; oportet quòd figura ſignificato reſpondeat. Conjunctio autem Chriſti & Eccleſiæ eſt vnius ad vnam perpetuò habendam; eſt enim vna Eccleſia, vt patet *in textu*: nec vnquam Chriſtus à ſua Eccleſia ſeparabitur; dicit enim ipſe, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Et vlteriùs, *Semper cum Domino erimus.* Matt. 28 v. 20. 1. Theſſ. 4 v. 17

Neceſſe eſt igitur quòd matrimonium, ſecundùm quod eſt Eccleſiæ ſacramentum, ſit vnius ad vnam indiuiſibiliter habendam: Et hoc pertinet ad finem, qua ſibi inuicem vir & vxor obligantur.

Sic igitur tria ſunt bona matrimonij, ſecundùm quod eſt Eccleſiæ ſacramentum, ſcilicet proles ad cultum Dei ſuſcipienda & educanda: fides, prout vnus vir vni vxori obligatur: & ſacramentum Matrimonij tria bona.

ſecundùm quod indiuiſibilitatem habet matrimonialis conjunctio; inquantum eſt conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum. *Contra Gentiles lib*. 4. *cap*. 78.

CANTIC. *Cap*. 8. *v*. 6.

Fortis eſt vt mors dilectio.

EXplicatur ſupra *Deuter. cap*. 6. *v*. 5 *vid. in quæſt. diſp. q. de charitate art*. 6. *ad ſextum.*

CANTIC. *Cap* 8. *v*. 6.

Fortis vt mors dilectio. Lampades eius lampades ignis atque flammarum.

Amor igni & morti comparatur.

AMor igni comparatur, & etiam morti, vt patet *in textu*: Sed his nihil eſt vehementius; ergo nulla paſſio eſt vehementior amore. *Lib*. 3. *ſent. diſt*. 27. *q*. 1. *art*. 3. *ſed contra.*

Lampades eius lampades ignis &c.

Charitas igni comparatur, vt patet *in textu*: ſed ignis quandiu manet ſemper aſcendit; ergo charitas quandiu manet aſcendere poteſt. Sed deſcendere, id eſt, diminui non poteſt. 22. *q*. 24. *art*. 10. *ed contra.*

Idem locus explicatur ſupra. *Canticor. cap*. 2. *v*. 5.

CANTIC. *Cap*. 8. *v*. 7.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem:

EXplicatur ſupra *Geneſ. cap*. 7. *v*. 17. *& deuter. cap*. 6. *v*. 5.

CANTIC. *Cap*. 8. 7.

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ ad mercandam dilectionem, quaſi nihil computabit eam.

QVia optimum hominis eſt vt mente Deo adhæreat & rebus diuinis; impoſſibile eſt autem quòd homo intensè circa diuerſa occupetur, ad hoc quòd liberiùs feratur in Deum mens hominis; dantur in diuina lege conſilia quibus homines ab occupationibus præſentis vitæ, quantùm poſſibile eſt retrahantur terrenam vitam agentes.

Conſiliorum Euangelicorum vtilitas.

Hoc autem non eſt ita neceſſarium homini ad iuſtititiam, vt ſine eo iuſtitia eſſe non poſſit; non enim virtus & iuſtitia tollitur, ſi homo ſecundùm ordinem rationis corporalibus & terrenis rebus vtatur.

Et ideo hujuſmodi diuinæ legis admonitiones dicuntur conſilia, & non præcepta; inquantum ſuadetur homini vt propter meliora minùs bona prætermittat.

Occupatur autem humana ſolicitudo ſecundùm communem modum humanæ vitæ erga tria: *Primò* quidem circa propriam perſonam quid agat, aut vbi conuerſetur. *Secundò* autem circa perſonas ſibi conjunctas, præcipuè vxorem & filios. *Tertiò* circa res exteriores procurandas, quibus homo indiget ad ſuſtentationem vitæ.

Ad amputandam igitur ſolicitudinem circa res exteriores, datur homini in lege diuina conſilium paupertatis; vt ſcilicet res hujus

mundi abijciat, quibus animus eius ſolicitudine aliquâ implicari poſſet. Hinc eſt quòd Dominus dicit, *Si vis perfectus eſſe, vade & vade omnia &c.* Matt. 19 v. 21.

Ad amputandam autem ſolicitudinem vxoris & filiorum, datur homini conſilium de virginitate, vel continentia, *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do &c.* 1. Cor. 7. v. 25.

Ad amputandam autem ſolicitudinem hominis etiam circa ſeipſum, datur conſilium obedientiæ, per quam homo diſpoſitionem ſuorum actuum committit ſuperiori; propter quod dicitur, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Hebr. 13 v. 17.

Quia verò ſumma perfectio humanæ vitæ in hoc conſiſtit, quòd mens hominis Deo vacet: ad hanc autem mentis vacationem prædicta tria maximè videntur diſponere; conuenienter ad perfectionis ſtatum pertinere videntur; non quaſi ipſæ ſint perfectiones, ſed quia ſunt diſpoſitiones quædam ad perfectionem, quæ conſiſtit in hoc quòd Deo vacetur.

Et hoc expreſſè oſtendunt verba Domini paupertatem ſuadentis cùm dicit, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & ſequere me*; quaſi in ſua ſequela vitam perfectionis conſtituens. Matt. 19. v. 21.

Poſſunt etiam dici perfectionis effectus & ſigna; cùm enim mens vehementer amore & deſiderio alicujus rei afficitur, conſequens eſt quòd alia poſtponat.

Ex hoc igitur quòd mens hominis amore & deſiderio feruenter in diuina fertur, in quo perfectionem conſtare manifeſtum eſt; conſequitur quòd omnia quæ ipſum poſſunt retardare, quo minùs feratur in Deum, abijciat; ſi non ſolùm rerum curam, & vxoris & prolis affectum; ſed etiam ſui ipſius. Et hoc ſignant verba *textus.*

Et, homo, *Inuentâ vnâ pretioſâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & comparauit eam.* Et, *Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifacerem.* Matt. 13 v. 46. Philip 3. v. 7.

Quia igitur prædicta tria diſpoſitiones ad perfectiones ſunt, & effectus & ſigna; conuenienter qui prædicta tria Deo vouent, in ſtatu perfectionis eſſe dicuntur. Perfectio autem ad quam prædicta diſponunt, in vacatione mentis circa Deum conſiſtit.

Vnde & prædictorum profeſſores religioſi dicuntur; quaſi ſe Deo & ſua in modum cujuſdam ſacrificii dedicantes, & quantùm ad res per paupertatem, & quantùm ad corpus per continentiam, & quantùm ad voluntatem per obedientiam. Religio igitur in cultu diuino conſiſtit. *Contra Gentiles Lib. 3. cap. 130.*

Libri Canticorum Finis.

Digitized by Google

LIBER SAPIENTIÆ

CAPVT. I. *Verſ.* 4.

In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

ARguitur, Chriſtus qui eſt res contenta in ſacramento Euchariſtiæ, eſt Dei ſapientia; ergo à peccatore ſumi non poteſt.

Ad argum. R. quòd auctoritas illa loquitur de ſpirituali inhabitatione, & non de ſacramentali, vel corporali; quia Chriſtus etiam peccatoribus corpus ſuum tractandum exhibuit. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 2. *ad primum.*

In maleuolam animam. &c. Videtur quòd ſapientia poſſit eſſe ſine gratia cum peccato mortali; de his enim quæ cum peccato mortali haberi non poſſunt, præcipuè ſancti gloriantur, ſecundùm illud,
1.Cor. 1. v. 12. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: ſed de ſapientia ſua non debet aliquis gloriari, ſecundùm illud,
Hier 9. v. 23. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua*; ergo ſapientia poteſt eſſe ſine gratia cum peccato mortali.

2. Sapientia importat cognitionem diuinorum: ſed aliqui cum peccato mortali poſſunt habere cognitionem veritatis diuinæ ſecundùm illud,
Rom. 1. v. 18. *Veritatem Dei in iniuſtitiâ detinent*; ergo ſapientia poteſt eſſe cum peccato mortali.

Dicendum quòd ſapientia quæ eſt donum ſpiritus ſancti, facit rectitudinem iudicij circa res diuinas, vel per regulas diuinas de alijs, ex quadam connaturalitate ſiue vnione ad diuina; quæ quidem eſt per charitatem. Et ideo ſapientia de qua loquimur præſupponit charitatem: charitas autem non poteſt eſſe cum peccato mortali: vnde relinquitur quòd ſapientia de qua loquimur non poteſt eſſe cum peccato mortali. Sapientia duplex.

Ad 1. R. quòd illud intelligendum eſt de ſapientia in rebus mundanis, ſiue etiam in rebus diuinis per rationes humanas; de qua ſancti non gloriantur: ſed eam ſe fatentur non habere ſecundùm illud, *Sapientia hominum non eſt mecum.* Prou 30. v. 2. Gloriantur autem de ſapientia diuina, ſecundùm illud, *Factus eſt nobis ſapientia à Deo.* 1.Cor. 1. v. 30.

Ad 2. R. quòd ratio illa procedit de cognitione diuinorum, quæ habetur per ſtudium & inquiſitionem rationis, quæ poteſt haberi cum peccato mortali: non au-

tem de illa ſapientia de qua loquimur. 2. 2. q. 45. art. 4.

In maleuolam animam &c Videtur quòd inconuenienter Chriſtus circa homines miracula fecerit; in homine enim potior eſt anima quàm corpus: ſed circa corpora multa miracula Chriſtus fecit, circa animas verò nulla miracula legitur feciſſe: nam neque aliquos incredulos ad fidem virtuoſè conuertit, ſed admonendo & exteriora miracula oſtendendo; neque etiam aliquos fatuos ſapientes legitur feciſſe.

Dicendum quòd ea quæ ſunt ad finem, debent fini eſſe proportionata: Chriſtus autem ad hoc in mundum venerat, & docebat; vt homines ſaluos faceret, ſecundùm

Ioan. 3. v. 17. illud, *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Et ideo conueniens fuit vt Chriſtus particulariter homines miraculosè curando, oſtenderet ſe eſſe vniuerſalem & ſpiritualem hominum ſaluatorem.

Ad argum. R. quòd ea quæ ſunt ad finem, diſtinguuntur ab ipſo fine. Miracula autem à Chriſto facta ordinabantur ſicut ad finem ad rationalis partis ſalutem, quæ conſiſtit in ſapientiæ illuſtratione, & hominum iuſtificatione; quorum primum præſupponit ſecundum, vt patet *in textu.*

Iuſtificare autem homines non conueniebat, niſi eis volentibus: hoc enim eſſet & contra rationem iuſtitiæ, quæ rectitudinem voluntatis importat: & etiam contra rationem humanæ naturæ, quæ libero arbitrio ad bonum ducenda eſt, non autem per coactionem.

Chriſtus ergo virtute diuinâ interiùs homines iuſtificauit; non tamen eis inuitis. Nec hoc ad miracula pertinet, ſed ad miraculorum finem. Et ſimiliter etiam virtute diuinâ ſimplicibus diſcipulis diuinam ſapientiam infudit. Vnde dicit eis; *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Luca. 21 v. 15.

Quod quidem quantùm ad interiorem illuminationem inter viſibilia miracula non numeratur, ſed ſolùm quantùm ad exteriorem actum; inquantum ſcilicet videbant homines eos qui fuerant illiterati & ſimplices, tam ſapienter & conſtanter loqui.

Vnde dicitur, *Videntes Iudæi Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quòd homines eſſent ſine literis, & idiotæ, admirabantur.* Et tamen huiuſmodi ſpirituales effectus, etſi à miraculis viſibilibus diſtinguantur; ſunt tamen quædam teſtimonia doctrinæ & virtutis Chriſti. 3. p. q. 44. art. 3. Act. 4. v. 13.

SAPIEN. *Cap. 1. v. 5.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.

CHaritas nullo modo poteſt ſimul eſſe cum peccato mortali; quia omne peccatum mortale directè opponitur charitati. Vnde dicitur, *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. In quæſt. diſp. q. de charitate art. 6. in corpore.* Eſa. 59 v. 2.

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Quamuis prophetia ſit ſpiritus ſancti donum: non tamen

830

cum dono Prophetiæ ſpiritus ſanctus datur; ſed ſolummodo cum dono charitatis datur. *De verit. q. 12. art. 5. ad ſecundum.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Videtur quòd fictio non impediat effectum baptiſmi; nam in baptiſmo operatur virtus diuina quæ poteſt voluntatem hominis mutare in bonum: ſed effectus cauſæ agentis non poteſt impediri per id quod ab illa cauſa poteſt auferri, ergo fictio non impedit baptiſmi effectum.

2. Effectus baptiſmi eſt gratia, cui peccatum opponitur: ſed multa ſunt alia peccata grauiora quàm fictio, de quibus dicitur quòd effectum baptiſmi non impediant; ergo neque fictio impedit effectum baptiſmi.

Sed contra eſt quod dicitur in textu, *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*: ſed effectus baptiſmi eſt à ſpiritu ſancto; ergo fictio impedit effectum baptiſmi.

Dicendum quòd Deus non cogit hominem ad iuſtitiam. Et ideo ad hoc quòd aliquis iuſtificetur per baptiſmum, requiritur quòd voluntas hominis amplectatur baptiſmum, & baptiſmi effectum.

Fictus quis dicendus. Dicitur autem aliquis fictus per hoc quod voluntas eius contradicit, vel baptiſmo, vel eius effectui. Nam quatuor modis dicitur aliquis fictus: vno modo ille qui non credit, cùm tamen baptiſmus ſit fidei ſacramentum. Alio modo per hoc quod contemnit ipſum ſacramentum. Tertio modo per hoc quod aliter celebrat ſacramentum, non ſeruans ritum Eccleſiæ. Quarto modo per hoc quod aliquis indeuotè accedit. Vnde manifeſtum eſt quòd fictio impedit effectum baptiſmi.

Ad 1. R. quòd quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus: ſed non ſemper hoc Deus facit. Nec ad hoc ſacramentum ordinatur vt de ficto fiat aliquis non fictus; ſed vt non fictus aliquis accedens iuſtificetur.

Ad 2. R. quòd fictus dicitur aliquis ex eo quòd demonſtrat ſe aliquid velle quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptiſmum, ex hoc ipſo oſtendit ſe rectam fidem Chriſti habere, & ſacramentum venerari, & velle ſe Chriſto conformari, & velle à peccato recedere. Vnde cuicumque peccato vult homo inhærere, ſi ad baptiſmum accedit, fictus accedit; quòd eſt indeuotè accedere ſed hoc intelligendum eſt de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur; non autem de peccato veniali. Vnde fictio hic quodammodo includit omne peccatum. *3. p. q. 69. art. 9.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Arguitur, dona poſteriora non dantur ſine dono priori, quod eſt ratio dandi alia dona: ſed ſpiritus ſanctus eſt donum primum; & ratio dandi non tantùm dona gratum facientia, ſed gratis data; ergo non dantur ſine ipſo. & ita datur cum illis.

Sed contra eſt quod dicitur in textu: quicumque autem caret gratiâ gratum faciente, pro ficto habetur; ergo talem fugit, ergo ei non datur.

Dicendum quòd ſpiritus ſanctus dicitur dari alicui, vel procedere in aliquem ſecundùm quod

Digitized by Google

nouo modo incipit eſſe in eo. Modi autem quibus Deus eſt in creatura, diſtinguuntur ſecundùm diuerſos modos, quibus creatura creatori vnitur.

Tribus modis creatura creatori vnitur.

Quodquidem contingit tripliciter: *vno modo* ſicut effectus cauſæ efficienti, cujus ſimilitudinem gerit. Et ſic eſt modus communis, prout eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam & potentiam.

Alio modo ſicut objecto operationis, inquantum creatura cognoſcit, & amat creatorem. Et ſic dicitur eſſe in ſanctis.

Tertio modo, quantùm ad eſſe in vna perſona: & ſic dicitur diuinitas eſſe in Chriſto.

Illa ergo dona ſolùm quæ faciunt cognoſcere, & diligere Deum; quæ ſunt dona gratiæ gratum facientis, faciunt Deum nouo modo eſſe in nobis.

Et ideo ſecundùm illa tantùm dicuntur filius, & ſpiritus ſanctus in nos procedere vel mitti ad nos, vel dari nobis.

Nam ſecundùm omnia alia dona, non alio modo eſt in nobis quàm per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Ad argum. R. quòd dona poſteriora dantur per virtutem prioris. Poſſunt tamen dari ſine hoc, quòd primum donum detur. Et ſic omnia dona dantur per virtutem ſpiritus ſancti. Non tamen oportet quòd in omnibus ſpiritus ſanctus detur. *Lib. 1 ſent. ad Annibald. Diſt. 14. art. 4.*

SAPIEN. *Cap. I. v. 7.*

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.

Citatur ſupra *Leuit. cap. 20. v. 8. & Iob. cap. 26. v. 13.*

SAPIEN. *Cap. I. v. 13.*

Deus mortem non fecit.

Arguitur, finis rei reſpondet eius principio: ſed anima intellectiua remanet deſtructo corpore; ergo incepit eſſe ante corpus.

Ad argum R quòd hoc quòd anima remanet ſine corpore, contingit per corporis corruptionem quæ conſecuta eſt ex peccato. Vnde non fuit conueniens quòd ab hoc inciperent Dei opera; quia, *Deus mortem non fecit, ſed impii manibus & verbis accerſierunt eam. 1 p. q. 118. art. 3. ad tertium.*

Deus mortem non fecit. Quicquid eſt homini naturale, Deus in homine fecit: ſed *Deus mortem non fecit*, vt patet in textu; ergo mors non eſt homini naturalis. 12. *q. 85. art. 6. ſed contra. Vid. ſupra Geneſ. cap. 2. 17.*

Deus non delectatur in perditione hominum. quantùm ad ipſam perditionem, ſed ratione ſuæ iuſtitiæ, vel propter bonum quod inde prouenit. 12. *q. 79. art. 4. ad ſecundum.*

Idem locus citatur ſupra *Pſalm. 9. v. 18. & prouerb. cap 19. v. 25.*

SAPIEN. *Cap. 1. v. 14.*

Creauit Deus vt eſſent omnia.

De potentia Dei dupliciter loqui poſſumus: vno modo abſolutè,

831

lutè, conſiderando eius potentiam. Alio modo, conſiderando ipſam in ordine ad ſapientiam, vel præſcientiam ſuam. Loquendo ergo abſolutè de Dei potentia, ſic Deus poteſt vniuerſam creaturam redigere in nihilum: cuius ratio eſt; quia creatura non ſolùm producitur in eſſe, Deo agente; ſed etiam per actionem Dei conſeruatur in eſſe, ſecundùm illud, *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* *Hebr. 1. v. 3.*

Sicut autem Deus propria voluntate agit, & non ex neceſſitate naturæ, ad rerum productionem, ita etiam ad earum conſeruationem. Et ideo poteſt ſubtrahere ſuam actionem à rebus conſeruandis: & hoc ipſo omnia in nihilum deciderent.

Si verò loquamur de potentia Dei in ordine ad eius ſapientiam & præſcientiam, ſic non poteſt fieri quòd res in nihilum redigatur; quia non habet hoc diuina ſapientia: *creauit* enim *Deus vt eſſent omnia*, vt dicitur *in textu*, non vt in nihilum cederent. *Quodlib. 4 art. 4.*

Idem locus citatur ſupra *Prouerb. cap. 16. v. 4. & Eccle. cap. 1. v. 4. Vid. contra Gentil. Lib. 3. cap. 66.*

Sapien. Cap. 1. v. 15.

Iuſtitia eſt perpetua & immortalis.

NOn minùs eſt neceſſaria ordinatio hominis ad ſeipſum quàm ordinatio ad alterum, quæ eſt per iuſtitiam; ſed iuſtitia manet in patria, vt patet *in textu*; ergo & aliæ virtutes morales. *Lib. 3. ſent. Diſt. 33. q. 1. art. 4. ſed contra. & Lib. 3. ſent. ad Annibald. diſt. 33. art. 5. Et in quaſt. diſp. q. de virtut. cardinal. art. 4. ſed contra.*

Idem locus citatur 1. 2. *q.* 104. *art. 3. ad primum.*

Sapien. Cap. 2. v. 2.

Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.

ANima humana non corrumpitur corrupto corpore; nam omnis ſubſtantia intellectualis eſt incorruptibilis: omnis enim corruptio eſt per ſeparationem formæ à materia: ſimplex quidem corruptio, per ſeparationem formæ ſubſtantialis: corruptio autem ſecundùm quid, per ſeparationem formæ accidentalis: formâ enim manente, oportet rem eſſe; per formam enim ſubſtantia fit proprium ſuſceptiuum eius quod eſt eſſe.

Vbi autem non eſt compoſitio formæ & naturæ, ibi non poteſt eſſe ſeparatio earundem; igitur nec corruptio: at nulla ſubſtantia intellectualis eſt compoſita ex materia & forma; nulla igitur ſubſtantia intellectualis eſt corruptibilis. Anima humana eſt incorruptibilis.

At anima hominis eſt quædam ſubſtantia intellectualis; oportet igitur animam humanam incorruptibilem eſſe.

Per hoc autem concluditur error impiorum ex quorum perſona dicitur *textus*. Et, *Vnus eſt interitus hominis & iumentorum &c.* *Eccl. 3. v. 19.*

Quòd enim non ex perſona ſua, ſed impiorum dicat, patet per hoc quòd in fine libri quaſi determinando ſubjungit, *Donec reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* *Eccl 12. v. 7.* *Contra Gentiles Lib. 2. cap. 79.*

R

Digitized by Google

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ cap. 2. v. 2.*

SAPIEN. *Cap. 2. v. 9. & 20.*

Vbique relinquamus ſigna lætitiæ; quoniam hæc eſt pars noſtra.

HÆc dicit Salomon ex perſona Epicureorum, in delectationibus corporalibus felicitatem hominis ponentium. *Contra Gentil. lib. 3. cap. 27. Morte turpiſſimâ condemnemus eum.* Citatur 3. p. q. 25. art. 4. *ad primum. & q. 46. art. 4. ad ſecundum. Et q. 51 art. 2. ad primum.*

Sap. 2. v. 20.

SAPIEN. *Cap. 2. v. 21.*

Excæcauit eos malitia eorum.

VIdetur quod diſſenſio voluntatum non poſſit eſſe cauſa diuerſitatis opinionum; prius enim non dependet à poſteriori: ſed ratio prior eſt voluntate; ergo ſicut concordia in opinione, quæ eſt rationis, non dependet à concordia voluntatis, ſic nec diſcordia à diſcordia.

2. Voluntas eſt impoſſibilium: ſed opinio non poteſt eſſe eorum quæ impoſſibilia æſtimantur; ergo opinio non ſequitur voluntatem; & ita nec diſcordia opinionum diſcordiam voluntatum.

Sed contra eſt quòd intellectus deducitur ad aliquid opinandum per voluntatem, vt patet. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit*; ergo ex diuerſitate voluntatum poteſt ſequi diuerſitas opinionum.

Col. 2. v. 18.

Præt. Dicitur in textu, *Excæcauit eos malitia eorum*: malitia autem eſt in voluntate; ergo ex affectu voluntatis diſponitur aliqualiter ratio circa perceptionem veri: & ſic diſſenſio voluntatis poteſt cauſare opinionum diſcordiam.

Dicendum quòd hoc modo diſſenſio opinionum poteſt ſequi ex diſcordia voluntatis quo ratio ſequitur voluntatem; quod quidem contingit indirectè, & hoc tripliciter: *Vno modo* in operabilibus; ex hoc enim ipſo quòd voluntas tendit in aliquid, illud habet quandam apparentiam boni; & ſic à ratione bonum eſſe determinatur. Nam ſatisfacere voluntati eſt quoddam apparens bonum. Et ideo ſecundùm quod diuerſa homines volunt, diuerſas ſententias habent de bono.

Alio modo in ſpeculabilibus, ex parte illa qua voluntas imperat rationi, vt in credendo contingit; nam nemo credit niſi volens. Vnde ſecundùm diuerſas voluntates, diuerſa homines credunt: & hoc præcipuè in illis in quibus non patent rationes cogentes. *Tertio modo* ex parte eorum quæ mouent rationem per modum objecti: Nam quando homini complacet vna opinio, diligenter inquirit illa quæ ſunt pro illa opinione, & negligit ea quæ ſunt contra. Ex quo contingit quòd diuerſi ſecundùm diuerſas voluntates in diuerſas opiniones incidant.

Ad 1. R. quòd ratio quodammodò eſt prior voluntate, inquantum proponit ei ſuum objectum. Sed voluntas alio modo eſt prior ratione, inquantum applicat eam ad actum. Et ideo vtriuſque diſcordia interdum eſt cauſa diſcordiæ alterius, quandoque ſcilicet ratio voluntatis, & quandoque è

conuerſo.

Ad 1. R. quòd quamuis opinio non poſſit eſſe eorum quæ æſtimantur impoſſibilia; poteſt tamen voluntas hoc facere, vt poſſibile iudicetur quod aliàs impoſſibile iudicaretur. *Lib* 1 *ſent. ad Annibald. q.* 3. *prologi art.* 5.

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 4. *v.* 21.

Excæcauit illos malitia eorum. Videtur quòd cæcitas mentis non ſit peccatum; illud enim quod excuſat à peccato, non videtur eſſe peccatum: ſed cæcitas mentis excuſat à peccato: dicitur enim, *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*; ergo cæcitas mentis non eſt peccatum. *Ioan.* 9 *v.* 41.

2. Pœna differt à culpa: ſed cæcitas mentis eſt quædam pœna, vt patet, *Excæca cor populi huius* non enim eſſet à Deo, cùm ſit malum, niſi pœna eſſet; ergo cæcitas mentis non eſt peccatum. *Eſa.* 6. *v.* 10.

Dicendum quòd ſicut cæcitas corporalis eſt priuatio eius, quod eſt principium corporalis viſionis; ita etiam cæcitas mentis eſt priuatio eius, quod eſt principium mentalis, ſiue intellectualis viſionis. Cujus quidem principium eſt triplex: vnum quidem eſt lumen naturalis rationis: & hoc lumen cùm pertineat ad ſpeciem animæ rationalis, nunquam priuatur ab anima. Impeditur tamen quandoque à proprio actu per impedimenta virium inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum; ſicut patet in amentibus & furioſis. *Cæcitas mentis deſcribitur.*

Aliud autem principium intellectualis viſionis eſt aliquod lumen habituale, naturali lumini rationis ſuperadditum. Et hoc quidem lumen interdum priuatur ab anima: & talis priuatio eſt cæcitas, quæ eſt pœna; ſecundùm quod priuatio luminis gratiæ quædam pœna ponitur, vt patet *in textu*. *Viſionis intellectualis. principium triplex.*

Tertium principium viſionis intellectualis eſt aliquod intelligibile principium, per quod homo intelligit alia, cui quidem principio intelligibili mens hominis poteſt intendere vel non intendere. Et quod ei non intendat contingit dupliciter. Quandoque quidem ex hoc quòd habet voluntatem ſpontaneè ſe auertentem à conſideratione talis principij, ſecundùm illud, *Noluit intelligere vt bene ageret.* *Pſal* 35. *v.* 4.

Alio modo per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit; quibus ab inſpectione hujus principij mens auertitur, ſecundùm illud, *Supercecidit ignis*, ſcilicet concupiſcentiæ, *Et non viderunt ſolem.* Et vtroque modo cæcitas mentis eſt peccatum. *Pſal.* 57 *v.* 9.

Ad 1. R. quòd cæcitas quæ excuſat à peccato, eſt quæ contingit ex naturali defectu non potentis videre.

Ad 2. R. quòd ratio illa procedit de ſecunda cæcitate quæ eſt pœna. 2. 2. *q.* 1. *art.* 1.

SAPIEN. *Cap.* 2. *v.* 22.

Neſcierunt ſacramenta Dei, nec ſperauerunt mercedem iuſtitiæ.

EXplicatur infra *Sapientiæ cap.* 6. *v.* 24.

832

Digitized by Google

SAPIEN. Cap. 2. v. 22.

Non indicauerunt honorem animarum ſanctarum.

Citatur contra *Gentiles lib. 2. cap. 3.*

SAPIEN. Cap. 2 v. 23.

Deus creauit hominem inexterminabilem; ad imaginem ſuæ ſimilitudinis fecit illum.

EX quo poteſt accipi quòd homo eſt inexterminabilis, id eſt, incorruptibilis, ſecundùm quod eſt ad imaginem Dei: eſt autem ad imaginem Dei ſecundùm animam; ergo anima humana eſt incorruptibilis.

Præt. Corpora cœleſtia dicuntur eſſe incorruptibilia; quia non habent materiam qualem generabilia & corruptibilia: ſed anima humana omnino eſt immaterialis; quod patet ex hoc quòd rerum ſpecies immaterialiter recipit; ergo anima eſt incorruptibilis. *In quæſt. diſp. q. de anima art. 14. ſed contra.*

SAPIEN. Cap. 2. v. 24.

Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

ARguitur, per quodlibet peccatum fit homo malus: ſed non omnia peccata ſunt à diabolo; quod quidem manifeſtum eſt de peccatis dæmonum, qui non ex perſuaſione alterius peccauerunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit, ſed aliquoties ex motu arbitrij; ergo diabolus non eſt caput omnium malorum.

Dicendum quod caput non ſolùm interiùs influit membris, ſed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo poteſt dici aliquis caput alicujus multitudinis, vel ſecundùm vtrumque, ſcilicet ſecundùm interiorem influxum & exteriorem gubernationem: & ſic eſt Chriſtus caput Eccleſiæ.

Vel ſecundùm exteriorem gubernationem: & ſic quilibet Princeps, vel Prælatus eſt caput multitudinis ſibi ſubjectæ. Et per hunc modum dicitur diabolus caput omnium malorum: nam vt dicitur, *Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Iob. 41. v. 25.

Pertinet autem ad gubernatorem vt eos quos gubernat, ad ſuum finem adducat: finis autem diaboli eſt auerſio rationalis creaturæ à Deo. Vnde & à principio hominem ab obedientia diuini præcepti remouere tentauit. Ipſa autem auerſio à Deo habet rationem finis, inquantum appetitur ſub ſpecie libertatis, ſecundùm illud, *A ſeculo confregiſti jugum, rupiſti vincula, & dixiſti: non ſeruiam.* Hier. 2. v. 20.

Inquantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, qui ſub diaboli regimine & gubernatione cadunt, ex hoc dicitur eorum caput.

Ad argum. R. quòd gubernator non ſemper ſuggerit ſingulis ſubjectis vt ſuæ voluntati obediant: ſed proponit omnibus ſignum ſuæ voluntatis, ad cujus ſequelam alij excitantur inducti, alij propriâ ſponte. Sicut patet in duce exercitus, cujus vexillum ſequuntur mi- Quomodo diabolus eſt caput malorum.

Digitized by Google

lites, etiam nullo perſuadente.

Sic igitur primum peccatum diaboli (*Qui ab initio peccat*) vt dicitur, propoſitum eſt omnibus ad ſequendum, quod quidam imitantur per ſuggeſtionem ipſius, quidam propriâ ſponte, abſque vlla ſuggeſtione. 1. Ioan. 3 v. 8.

Et ſecundùm hoc omnium malorum caput eſt diabolus, inquantum ipſum imitantur, vt patet in textu. 3. *p. q.* 8. *art* 7. *ſupra Geneſ. cap.* 2. *v.* 17. & *Iob cap.* 26. *v.* 13. *vid.*

Idem locus explicatur *Lib.* 2. *ſent. diſt.* 21. *art.* 1. *ſed contra.* Et in *queſt. diſp. q.* 4. *de malo, art.* 1. *ſed contra.*

Sapien *Cap.* 3. *v.* 7.

Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.

ANima quæ diuinâ viſione fruetur, vltimo fini conjuncta, in omnibus experietur ſuum deſiderium adimpletum. Et quia ex deſiderio animæ mouetur corpus, conſequens erit quòd corpus omninò ſpiritui ad nutum obediet. Vnde corpora reſurgentium beatorum futura erunt agilia. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus, *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* 1 Cor. 15 v. 43.

Infirmitatem enim experimur in corpore; quia inualidum inuenitur ad ſatisfaciendum deſiderio animæ in motibus & actionibus quas anima imperat: quæ infirmitas totaliter tunc tolletur virtute redundante in corpus ex anima Deo conjuncta.

Propter quod etiam dicitur *in textu* de iuſtis, quòd, *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*: non quòd motus ſit in eis propter neceſſitatem; cùm nullo indigeant qui Deum habent; ſed ad virtutis demonſtrationem. *Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 86. *ſimile ſupplem. q.* 84. *art.* 2.

Idem locus citatur *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 1. *q* 3. *ſed contra.* & *art.* 4. *ſed contra.*

Sapien. *Cap.* 3. *v.* 8.

Iudicabunt ſancti nationes.

NOn ſolùm Chriſtus in iudicio iudicabit; ſed etiam alij quorum quidam iudicabunt ſolâ comparatione, ſcilicet boni minùs bonos, aut mali magis malos, ſecundùm illud, *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Matt. 12 v. 41.

Quidam verò iudicabunt per ſententiæ approbationem; & ſic omnes iuſti iudicabunt, vt patet *in textu.*

Quidam verò iudicabunt quaſi iudiciariam poteſtatem accipientes à Chriſto, ſecundùm illud, *Gladij ancipites in manibus eorum.* Ps. 149. v. 6. Hanc autem vltimam iudiciariam poteſtatem Dominus Apoſtolis repromiſit dicens: *Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Matt. 19 v. 28.

Non eſt autem æſtimandum quòd ſoli Iudæi qui ad duodecim tribus Iſraël pertinent, per Apoſtolos iudicentur: ſed per duodecim tribus Iſraël, omnes fideles intelliguntur, qui in fidem Patriarcharum ſunt aſſumpti. Nam inſi- Omnes iuſti in iudicio finali iudicabũt.

R iij

Digitized by Google

deles non iudicantur, ſed jam iudicati ſunt.

Similiter etiam non ſolùm duodecim Apoſtoli, qui tunc erant, cum Chriſto iudicabunt. Nam neque Iudas iudicabit, nec Paulus, qui plus alijs laborauit, carebit iudiciariâ poteſtate, præſertim cùm
1. Cor. 6. v. 2. ipſe dicat, *Neſcitis quod Angelos iudicabimus?*

Sed ad illos propriè hæc dignitas pertinet, qui relictis omnibus, Chriſtum ſunt ſecuti: hoc enim promiſſum eſt Petro quærenti &
Matt. 19 v. 27. dicenti, *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit*
Iob. 36. v. 6. *nobis?* Vnde dicitur, *Iudicium pauperibus tribuit.*

Et hoc rationabiliter; nam diſcuſſio erit de actibus hominum, qui terrenis rebus bene, vel malè ſunt vſi. Requiritur autem ad rectitudinem iudicij, vt animus iudicis ſit liber ab ijs de quibus habet iudicare. Et ideo per hoc quòd aliqui habent animum ſuum à rebus terrenis totaliter abſtractum, dignitatem iudiciariam merentur. *Opuſc. quod vocatur compendium Theologiæ cap. 61. Simile ſupplem. q. 89. art. 1. in corpore.*

SAPIEN. *Cap.* 3. *v.* 15.

Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.

Citatur. *Lib. 4. ſent. diſt. 46. q. 5 art. 2. q. 2. ad tertium. & 1. 2. q. 70. art. 1. ad primum.*

SAPIEN. *Cap.* 4. *v.* 8.

Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata.

Ætas corporalis non præiudicat animæ. Vnde etiam in puerili ætate homo poteſt conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis, vt patet *in textu.* Et inde eſt quòd multi in puerili ætate propter robur Spiritus ſancti perceptum, vſque ad ſanguinem fortiter certauerunt pro Chriſto. *3 p. q. 72 art. 8. ad ſecundum.*

SAPIEN. *Cap.* 4. *v.* 13.

Conſummatus in breui expleuit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius.

Vita longa eſt quando eſt plena, & quæ non menſuratur tempore, ſed actione Tunc autem eſt plena vita quando eſt virtuoſa: & ideo virtuoſus & ſanctus diu viuit, quamuis citò moriatur corporaliter, vt patet *in textu.* Optimè autem mercatur ille, qui tantùm facit vnâ die, quantùm alius in vno anno.

Et nota quòd aliquando accidit quòd longior vita cauſa eſt mortis corporalis & ſpiritualis; ſicut accidit Iudæ. *Opuſc. de 10. præceptis. cap.* 18.

SAPIEN. *Cap.* 5. *v.* 2.

Videntes turbabuntur timore horribili.

Damnati ante diem iudicij videbunt Beatos in gloria; non

Digitized by Google

tamen hoc modo quòd gloriam eorum, qualis ſit, cognoſcant; ſed ſolùm cognoſcent eos eſſe in gloria quadam inæſtimabili. Et ex hoc turbabuntur, tum propter inuidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quòd ipſi talem gloriam amiſerunt.

Sed poſt diem iudicij omninò beatorum viſione priuabuntur. Nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur, ſed augebitur; quia memoriam habebunt gloriæ beatorum, quam in iudicio videbunt, vel ante iudicium: & hoc erit eis in tormentum.

Sed vlteriùs affligentur in hoc quòd videbunt ſe indignos reputari etiam videre gloriam, quam ſancti merentur habere. *Supplem. q.* 98. *art.* 9. *in corpore.*

SAPIEN. *Cap.* 5 *v.* 3.

Intra ſe pœnitentiam agentes.

VIdetur quòd damnati non habeant in omnibus malam voluntatem; pœnitet enim eos de malis quæ commiſerunt, vt patet *in textu*: ſed hoc eſt bonæ voluntatis; ergo habebunt aliquam bonam voluntatem.

2. Damnati in inferno vellent ſuos conſanguineos ſaluari, vt dicitur de diuite qui, *Rogabat pro fratribus ſuis, ne venirent in locum tormentorum*: Sed velle ſalutem aliorum eſt bonæ voluntatis; ergo damnati habent aliquam bonam voluntatem.

Luca. 16 *v.* 27.

3. Diligere Deum, bonæ voluntatis eſt: ſed damnati Deum diligunt; ergo habent aliquam bonam voluntatem

4. Per malam voluntatem homines demerentur in hoc mundo: ſed non ſunt melioris conditionis poſt damnationem quàm antè; ergo ſi malam voluntatem habent, videtur quòd demereantur, quod eſt falſum; cùm ſint in termino viæ; ergo damnati non ſemper habent malam voluntatem

Dicendum quòd duplex eſt voluntas, naturalis, & deliberatiua. Naturalis voluntas in damnatis eſt bona, & eâ aliquod bonum volunt; quæ quidem voluntas atteſtatur bonitati naturæ, cujus Deus eſt auctor.

Voluntas autem deliberatiua in damnatis bona eſſe non poteſt; procedit enim ex electione liberi arbitrij, quod in damnatis eſt confirmatum in malo, propter perpetuam ſeparationem à bono fine, à quo ſe per culpam voluntariè ſeparauerunt.

Ad 1. R. quòd pœnitere de peccato per ſe, dum ſcilicet aliquis dolet de turpitudine culpæ, eſt bonæ voluntatis: ſed pœnitere per accidens dolendo de acerbitate pœnæ, poteſt ad malam voluntatem pertinere, quæ rectitudini iuſtitiæ repugnat.

Ad 2 R. quòd in damnatis eſt tanta inuidia, quòd inuident etiam proximorum ſaluti. Vellent tamen, ſi aliqui ſaluantur; quòd propinqui ſui potiùs ſaluarentur; & inuidebunt alijs, ſi ſui propinqui damnabuntur.

Vel dicendum quia diues ſciebat ſuam pœnam augeri ex ſuorum præſentia: ideo eis bonum optabat per accidens. Sicut enim ex multiplicatione iuſtorum augetur Beatorum gaudium; ita ex mul-

Digitized by Google

835

næ vel alicujus hujuſmodi.

Mali igitur non pœnitebunt, per ſe loquendo, de peccatis; quia voluntas malitiæ peccati in eis remanet: pœnitebunt autem per accidens, inquantum affligentur de pœna, quam pro peccato ſuſtinent. *Supplem. q. 98. art. 2. in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap. 21. v. 1.*

SAPIEN. *Cap. 5. v. 5.*

Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.

Citatur 22 *q. 121. art. 1. ad tertium.*

SAPIEN. *Cap. 5 v. 7.*

Ambulauimus vias difficiles.

ARguitur, multa peccata ſunt cum paſſionibus anxietatem inducentibus, ſicut inuidia, acedia, ira, & hujuſmodi: & multa etiam ſunt difficultatem habentia in operando vt patet *in textu*; ergo videtur quòd peccatum inquantum hujuſmodi ſit pœna.

Ad argum. R. quòd huiuſmodi anxietates paſſionum conſequuntur in peccante præter voluntatem ipſius: eligit etenim iracundus ſic inſurgere in punitionem alterius, vt ipſe ex hoc nullam anxietatem, vel laborem pateretur. Vnde cùm in iſta incurrit præter ſuam voluntatem, hoc ad rationem pœnæ pertinet. *In quæſt. diſp. q. 1. de malo art. 4. ad quartum.*

SAPIEN. *Cap. 5. v. 8.*

Quid nobis profuit ſuperbia?

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap. 8. v. 18. Vid. lib. 4. ſent. diſt. 43. art. 5. q. 3. & ſupplem. q. 87. art. 3*

SAPIEN. *Cap. 5. v. 21.*

Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.

VIdetur quod in inferno ſit pœna ignis & aquæ, per illud Iob de impijs, *Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* *Iob. 24. v. 19.*

Sed contra, omnis delectatio & refrigerium damnatis aufertur: ſed non poteſt eſſe ſine quodam refrigerio quòd aliquis afflictus calore ad frigus aquæ tranſeat, vel è conuerſo; ergo talis pœnarum alternatio non erit in damnatis.

Dicendum quòd in fine mundi ignis diuidetur, & alia elementa, & quicquid eſt in eis pulchrum & clarum, remanebit ſuperiùs ad gloriam beatorum: quod verò eſt in eis fœtulentum & pœnoſum, deſcendet in infernum ad pœnam damnatorum; & ita fæx totius creaturæ in infernum colligetur, & erit damnatis in pœnam, & non ſolùm patientur pœnam ignis. Iuſtum eſt enim, vt qui creatorem offenderunt, ab omni creatura puniantur; vt patet *in textu.* Damnatorum punitio.

Ad illud autem quod in contrarium obijcitur, dicendum quòd ex hujuſmodi varietate pœnarum, nullum erit in damnatis refrigerium: ignis enim & aqua & huiuſmodi, non agent in corpora damnatorum actione naturæ, ita

Digitized by Google

quòd relinquant ſuas qualitates in corporibus damnatorum ſecundùm eſſe naturæ, ſicut ignis relinquit calorem in lignis, quæ facit eſſe calida.

Alioquin cùm contraria non poſſint eſſe ſimul in eodem, oporteret corpora damnatorum ſuas qualitates perdere, & ſic transmutatâ naturâ organorum, fieret pœminùs ſenſibilis.

Sed agunt in corpora damnatorum actione ſpirituali, imprimendo ſcilicet ſuas qualitatès in corporibus damnatorum ſecundùm eſſe ſpirituale per modum quo ſpecies colorum eſt in aëre, vel etiam in pupilla; non ita quòd fiant colorata.

Vnde corpora damnatorum ſentient afflictionem ignis ſine hoc quòd conuertantur in naturam ignis: & ideo varietas pœnarum non faciet eis aliquod refrigerium.

Refrigerium enim nunc ex alternatione pœnarum proueniens cauſatur ex transmutatione naturæ, inquantum per frigus aquæ ſuperfluitas calefactionis remittitur; & ſic ad medium venitur, quod eſt delectabile, *Quodlib. 8. art. 17.*

Idem locus explicatur ſupra *Iob cap. 24. v. 19.*

SAPIEN. *Cap. 6. v. 5.*

Cùm eſſetis miniſtri regni illius non rectè iudicaſtis.

CItatur 2. 2 *q. 99. art. 1. ad primum.*

SAPIEN. *Cap. 6. v. 7.*

Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.

EXplicatur ſupra *Lib. 3. Regum cap. 19. v. 10. lib. 2. Paralip. cap. 30. v. 19. Iob. cap. 10. v. 21. & pſalm. 102. v. 10.*

SAPIEN. *Cap. 6. v. 8.*

Æqualiter eſt ei cura de omnibus.

VIdetur *per textum* quod Deus æqualiter diligat omnia. Dicendum quòd cùm amare ſit velle bonum alicui, duplici ratione poteſt aliquid magis vel minùs amari: vno modo ex parte ipſius actus voluntatis qui eſt magis vel minùs intenſus. Et ſic Deus non magis quædam aliis amat; quia omnia amat vno & ſimplici actu voluntatis, & ſemper eodem modo ſe habente. Amoris Dei deſcriptio.

Alio modo ex parte ipſius boni quod aliquis vult amato. Et ſic dicimur aliquem magis alio amare, cui volumus maius bonum; quamuis non magis intenſâ voluntate.

Et hoc modo neceſſe eſt dicere quòd Deus quædam aliis magis amat: cùm enim amor Dei ſit cauſa bonitatis rerum; non eſſet aliquid alio melius, ſi Deus non vellet vni majus bonum quàm alteri.

Ad argum. R. quòd dicitur Deo æqualiter eſſe cura de omnibus; non quia æqualia bona ſuâ curâ omnibus diſpenſet: ſed quia ex æquali ſapientia & bonitate omnia adminiſtrat. 1. *p. q. 20. art. 3.*

Digitized by Google

536

Simile 1. 2. *q.* 112. *art.* 4. *ad primum.* Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 16. *v.* 4.

SAPIEN. *Cap 6. v. 14.*

Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.

CItatur 3. *p. q.* 36. *art.* 6. *ad primum.*

SAPIEN. *Cap. 6. v. 21.*

Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

INter omnia ſtudia hominum, ſapientiæ ſtudium eſt perfectius, ſublimius, vtilius, & iucundius. Perfectius quidem quia inquantum homo ſapientiæ ſtudio dat ſe, intantum veræ beatitudinis jam aliquam partem habet. Vnde
Eccl. 14. *v.* 22. dicitur, *Beatus vir qui in ſapientia morabitur.*

Studiũ Sapientiæ alijs perfectius, ſublimius, iucũdius, & vtilius. Sublimius autem eſt; quia per ipſum homo ad diuinam ſimilitudinem præcipuè accedit, qui omnia in ſapientia fecit. Vnde quia ſimilitudo cauſa eſt dilectionis, ſapientiæ ſtudium præcipuè Deo per amicitiam conjungit: propter quod dicitur quòd.
Sap. 7. *v.* 14. *Sapientia eſt infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, facti ſunt participes amicitiæ Dei.*

Vtilius autem eſt; quia per ipſam ſapientiam ad immortalitatis regnum peruenitur, vt patet *in textu.*

Sap. 8. *v.* 16. Iucundius autem eſt; *Quia non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius; ſed lætitiam & gaudium. Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 2.

Idem locus citatur ſupra *Exodi cap.* 20. *v.* 17. *Pſalm* 83 *v.* 3 *&* 8. *&* 1. *p. q.* 82. *art.* 5. *ad primum.*

Concupiſcentia ſapientiæ perducit ad regnum perpetuum. Oportet triplicem differentiam conſiderare cathedræm agiſtralis ad cathedram pontificalem, quarum *Prima* eſt quòd ille qui accipit cathedram magiſtralem, non accipit aliquam eminentiam, quam priùs non habuerit, ſed ſolùm opportunitatem communicandi ſcientiam quàm priùs non habebat Non enim ille qui licentiat aliquem, dat ei ſcientiam, ſed auctoritatem docendi. Ille verò qui accipit cathedram Epiſcopalem, accipit eminentiam poteſtatis, quam priùs non habebat; ſed quantùm ad hoc in nullo ab alijs differebat. Differentia triplex cathedræ magiſtralis & Epiſcopalis.

Secunda differentia eſt, quòd eminentia ſcientiæ quæ requiritur ad cathedram magiſtralem, eſt perfectio hominis ſecundùm ſeipſum: eminentia verò poteſtatis, quæ pertinet ad cathedram Pontificalem, eſt hominis per comparationem ad alium.

Tertia differentia eſt, quòd ad cathedram Pontificalem fit homo idoneus per charitatem excellentem. Vnde Dominus antequam Petro ſuarum ouium curam committeret, quæſiuit ab eo, *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ad cathedram autem magiſtralem redditur homo idoneus ex ſufficientia ſcientiæ. *Ioan.* 21. *v.* 15.

His ergo conſideratis manifeſtum eſt quòd appetere aliquid quod pertinet ad perfectionem ſuijpſius, eſt laudabile; vnde appetitus ſapientiæ eſt laudabilis, vt patet *in textu.* Appetitus autem poteſtatis ſuper alios, eſt vitioſus;

Digitized by Google

quia, vt Gregor. dicit, contra naturam ſuperbire, eſt hominem homini velle dominari.

Vnde ſi ille qui dat licentiam ad cathedram magiſtralem, poſſet eminentiam ſapientiæ dare; ſicut ille qui promouet ad cathedram Pontificalem, dat eminentiam poteſtatis, eſſet ſimpliciter expoſcenda; cùm tamen petere excellentiam poteſtatis ſit turpe.

Cùm autem ille qui accipit licentiam ad cathedram magiſtralem, accipiat ſolam opportunitatem communicandi, quòd licet petere hujuſmodi licentiam, quantùm in ſe eſt, nullam videtur turpitudinem continere; quia communicare alijs ſcientiam, quam quis habet, laudabile eſt, & ad charitatem pertinens, ſecundùm
Sap. 7. v. 13. illud, *Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico.* Et dicitur
1. Petr. 4 v. 10. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes.*

Poteſt tamen turpitudinem continere ratione præſumptionis, quæ eſſet, ſi ille qui non eſt idoneus ad docendum, peteret docendi officium. Sed hæc præſumptio non æqualiter eſt in petentibus licentiam ad docendum, & in petentibus Pontificatum. Nam ſcientiam per quam aliquis eſt idoneus ad docendum, poteſt aliquis ſcire per certitudinem ſe habere. Charitatem autem per quam aliquis eſt idoneus ad officium paſtorale, non poteſt aliquis per certitudinem ſcire ſe habere.

Et ideo ſemper eſt vitioſum Pontificatum petere: non ſemper autem vitioſum eſt petere licentiam docendi; quamuis honeſtius ſit quòd per alium petatur, niſi fortè aliquando ex cauſa aliqua ſpirituali. *Quodlib. 3. art. 9.*

SAPIEN. *Cap. 6. v. 24.*

Non abſcondam à vobis ſacramenta Dei.

SAcramenti nomen dupliciter accipi conſueuit: nam quandoque ſacramentum dicitur quodcumque ſecretum, & præcipuè de rebus ſacris. Quandoque ſacramentum dicitur ſacræ rei ſignum, ita quod & eius imaginem gerat & cauſa exiſtat; ſecundùm quod nos dicimus ſeptem ſacramenta Eccleſiæ. In qua quidem ſignificatione Sacramenti, prima ſignificatio continetur. Nam in Eccleſiæ Sacramentis diuina virtus ſecretiùs operatur ſalutem. *Sacramentũ duo ſignificat.*

Hæc igitur Sacramenta Dei, prælatus, ſeu doctor Eccleſiæ fidelibus Chriſti non debet abſcondere, ſed manifeſtare propter tria. *Primò*, quidem quia hoc pertinet ad honorem Dei, ſecundùm illud, *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.* *Sacramenta Eccleſiæ ſũt manifeſtãda propter tria.* *Tob. 12. v. 7.*

Secundò, quia hoc pertinet ad ſalutem hominum, qui per horum ignorantiam in deſperationem labi poſſent. Sicut de quibuſdam dicitur quòd, *Neſcierunt Sacramenta Dei, nec ſperauerunt mercedem iuſtitiæ*; quia per Sacramenta homines purificantur, vt ſint præparati ad recipiendum mercedem iuſtitiæ. *Sap. 2. v. 22.*

Tertiò, quia hoc pertinet ad debitum officium prælati, vel doctoris, ſecundùm illud: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hac: illuminare omnes, quæ ſit* *Eph. 3. v. 8.*

Digitized by Google

837

diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo. In Prologo 1. Epiſt. ad Corinthios.

SAPIEN. Cap. 7. v. 7.

Inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ.

HOmo ad cognitionem veritatis pertingit dupliciter: vno modo per ea quæ ab alio accipit. Et ſic quidem quantùm ad ea quæ homo à Deo accipit, neceſſaria eſt oratio, vt patet *in textu*.

Quantùm verò ad ea quæ accipit ab homine, neceſſarius eſt auditus, ſecundùm quod accipit ex voce loquentis: & lectio ſecundùm quod accipit ex eo quod per ſcripturas eſt traditum.

Meditationis neceſſitas. Alio modo neceſſarium eſt quòd adhibeat proprium ſtudium; & ſic requiritur meditatio. 2. 2. q. 80 *art. 3. ad quartum.*

SAPIEN Cap. 7. v. 8.

Diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.

CItatur *Supra. Pſalm.* 1. *v.* 2.

SAPIEN. Cap. 7. v. 11.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

SCilicet cum diuina Sapientia, quæ conſiſtit in contemplatione Dei: & ſic ad beatitudinem nihil aliud requiritur. 1. 2. *q.* 4. *art.* 8. *ſed contra.*

Idem locus citatur *Contra Gentiles Lib.* 1. *cap.* 40. *& Lib.* 3. *cap* 63.

SAPIEN. Cap. 7. v. 13.

Quam ſine fictione didici &c.

CItatur ſupra *Numeror. cap. 4. v. 12. Et ſapientiæ cap. 6. v. 21.*

SAPIEN. Cap. 7. v. 14.

Sapientia eſt infinitus theſaurus hominibus.

EXplicatur ſupra *Sapientiæ cap. 6. v. 21.*

SAPIEN. Cap. 7. v. 17.

Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram.

EXplicatur ſupra *Lib. 2. paralip. cap. 1. v. 12. & Eccle. 9. v. 1.*

SAPEN. Cap. 7. v. 21.

Omnium artifex docuit me ſapientia.

CItatur infra *Eccl. cap. 24. v. 26. & Contra Gentiles lib. 1. cap. 93.*

SAPIEN. Cap. 7. v. 22.

Eſt in illa Spiritus intelligentiæ.

CItatur *Lib. 2. contra Gentiles cap. 49. & 3. p. q. 72. art. 2. ad ſecundum.*

SAPIEN. Cap. 7. v. 24.

Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.

DIcendum quod diuina ſapientia non dicitur mobilis quia in ſe moueatur: ſed in quantum procedit in effectus. Et iſta proceſſio non eſt propriè motus, ſed quandam ſimilitudinem motus habet. In motu enim locali

proceſſiuo, illud quod eſt in vno loco, fit poſtmodum in alio, & ſic deinceps quouſque compleatur motus. Similiter autem diuina ſapientia quæ eſt exemplar rerum, facit ſimilitudinem ſuam in creatura ſecundùm ordinem: Quia priùs efficiuntur in participatione diuinæ ſimilitudines creaturæ ſuperiores, & poſterius inferiores: vnde in hoc habet ſimilitudinem motus. *Lib. 1. ſent. diſt. 8 q. 3. art. 1. Tom 6. vid. 1. p. q 9. art. 1. ad ſecundum.*

SAPIEN. *Cap 7. v. 24.*

Attingit vbique propter ſuam munditiam.

CItatur infra *Eccl. cap. 24. v. 26. & contra Gentiles lib. 1. cap. 70.*

SAPIEN. *Cap. 7. v. 25.*

In ea nihil inquinatum incurrit.

ARguitur, natura humana non eſt potior quàm angelica: ſed Angelis non eſt collata confirmatio liberi arbitrij ante ſtatum gloriæ; ergo nec hominibus conferri debet.

Dicendum quòd aliquis poteſt confirmari in bono dupliciter: vno modo ſimpliciter, ita ſcilicet quòd in ſe ſufficiens ſuæ firmitatis principium, quòd omnino peccare non poſſit: & ſic beati ſunt confirmati in bono.

Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc quod eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quòd non de facili poſſunt à bono defle-cti Non tamen per hoc ita retrahuntur à malo, quin omnino peccare non poſſint, niſi diuinâ prouidentiâ cuſtodiente.

Ad argum. R. quòd dona gratiæ non ſequuntur ordinem naturæ de neceſſitate. Et ideo quamuis humana natura non ſit angelica dignior: tamen alicui homini collata eſt major gratia quàm alicui Angelo; ſicut beatæ Virgini, & homini Chriſto.

Confirmatio autem in bono Beatæ Virgini competebat; quia mater erat diuinæ ſapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit, vt patet *in textu*. Similiter Apoſtolos decuit; quia erant quaſi fundamentum & baſis totius Eccleſiaſtici ædificij: vnde eos firmos eſſe oportuit. *In quaſt. diſp. q. 24. de verit. art. 9. ad ſecundum.*

SAPIEN. *Cap. 7. v. 25.*

Nihil inquinatum in illam incurrit.

VIdetur quòd materia corporis Chriſti non debuerit eſſe aſſumpta de fœmina; ſexus enim maſculinus eſt nobilior quàm ſexus fœmineus: ſed maximè decuit vt Chriſtus aſſumeret id quod eſt perfectum in humana natura; ergo videtur quòd non debuerit de fœmina carnem aſſumere, ſed magis de viro, ſicut & Eua de coſta viri formata eſt.

2. Quicumque ex fœmina concipitur, vtero fœminæ includitur: ſed Deo, qui *Cœlum & terram imples*, non competit quòd paruo fœminæ vtero includatur; ergo videtur quòd non debuerit concipi de fœmina. *Hier 23 v. 24.*

3. Illi qui concipiuntur ex fœmi-

Digitized by Google

na, quandam immunditiam patiuntur. Vnde dicitur, *Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo; aut apparere mundus natus de muliere*? Sed in Chriſto nulla immunditia eſſe debuit; ipſe enim eſt Dei ſapientia, de qua dicitur *in textu, nihil inquinatum in illam incurrit*; ergo non videtur quòd debuerit carnem aſſumere de fœmina.

Iob. 25. v. 4.

Sed contra eſt quod dicitur, *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.*

Gal. 4. v. 4.

Dicendum quòd licet filius Dei carnem humanam aſſumere potuerit de quacumque materia voluiſſet, conuenientiſſimum tamen fuit vt de fœmina carnem acciperet. *Primò* quidem, quia per hoc tota humana natura nobilitata eſt. *Secundò*, quia per hoc veritas incarnationis aſtruitur. *Tertiò*, quia per hunc modum completur omnis diuerſitas generationis humanæ.

Chiſtus natus de fœmina propter tria.

Nam primus homo productus eſt de limo terræ, ſine viro & fœmina. Eua verò producta eſt ex viro ſine fœmina. Alij verò homines naſcuntur ex viro & fœmina. Vnde hoc quartum quaſi Chriſto proprium relinquebatur, vt produceretur ex fœmina ſine viro.

Quadruplex modus generationis humanæ.

Ad 1 R. quòd quia ſexus maſculinus eſt nobilior quàm fœmineus, ideo naturam humanam in maſculino ſexu aſſumpſit. Ne tamen ſexus fœmineus contemneretur, congruum fuit vt carnem aſſumeret de fœmina.

Ad 2. R. quòd Dei filius ſic in vtero mulieris includitur, quòd etiàm extra ſit.

Ad 3. R. quòd in conceptione viri ex fœmina non eſt aliquid immundum, inquantum eſt opus Dei. Vnde dicitur, *Quod Deus creauit, tu ne commune dixeris*, id eſt, immundum.

Act. 10. v. 15. 838

Eſt tamen ibi aliqua immunditia ex peccato proueniens, prout cum libidine quis concipitur ex commixtione maris & fœminæ; quod tamen in Chriſto non fuit.

Si tamen aliqua eſſet ibi immunditia, ex ea non inquinaretur Dei Verbum; quod nullo modo mutabile, vel alterabile. 3 *p. q.* 31. *art.* 4.

Idem locus explicatur de puritate Beatæ Virginis. 3. *p. q.* 27. *art.* 2 *ad ſecundum. Et lib.* 3. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 3. *art.* 1. *in corpore.*

Idem locus explicatur de puritate carnis Chriſti. 3. *p. q.* 31. *art.* 7. *ad primum.*

SAPIEN. *Cap.* 7. *v.* 26.

Eſt ſpeculum ſine macula.

DEus dicitur ſpeculum propter hoc quòd res omnes repræſentantur in ipſo. *In quæſt. diſp. q.* 7. *de verit. art.* 1. *ad decimum quartum, Et q.* 12. *art.* 6. *in corpore.*

SAPIEN. *Cap.* 7. *v.* 27.

Sapientia Dei per nationes in animas ſanctas ſe transfert.

SApientia ſe transfert in animam dupliciter: *Vno modo* vt ipſamet Dei ſapientia animam inhabitet; & ſic hominem ſanctum facit, & Dei amicum. *Alio modo* ſolùm quantùm ad effectum: & ſic non oportet quòd ſanctum faciat, vel Dei amicum. Et ſic transfert

Digitized by Google

ſe in mentem malorum quos Prophetas conſtituit. *In quæſt. diſp. q. 12. de verit. art. 5. ad primum. vid. art. 8. ad ſextum*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 4. v. 38. lib. 2. Paralip. cap. 1. v. 12. & Cantic. cap. 4. v. 7. vid. 1. 2. q. 106. art. 1. ad tertium. 2. 2. q. 45. art. 6. ad ſecundum. & q. 172. art. 2. ad primum.*

SAPIEN. *Cap. 7. v. 17.*

Neminem diligit Deus niſi eum qui cum ſapientia inhabitat.

ARguitur ſine, ſapientia non poteſt aliquis eſſe in ſtatu ſalutis, vt patet *in textu*; Et infra
Sap. 9. v. 19. *Per ſapientiam ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi, Domine, à principio*: ſed vſus vini impedit ſapien-
Eccl. 2. v. 3. tiam; dicitur enim, *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt transferrem animum meum ad ſapientiam*; ergo potus vini eſt vniuerſaliter illicitus.

Rom. 14 v. 21 2. Apoſtolus dicit, *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur*: Sed ceſſare à bono virtutis eſt vitioſum; & ſimiliter fratribus ſcandalum ponere; ergo vti vino eſt illicitum.

Sed contra eſt quòd Apoſtolus
1. Tim. 5. v. 23. dicit, *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Et dicitur,
Eccl 31. v. 36. *Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum.*

Dicendum quòd nullus cibus vel potus ſecundùm ſe conſideratus eſt illicitus, ſecundùm ſententiam Domini dicentis, *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* v. 11. Matt. 15
Et ideo bibere vinum ſecundùm ſe loquendo, non eſt illicitum.

Poteſt tamen reddi illicitum per accidens: quandoque quidem ex conditione bibentis; quia vino de facili læditur; vel quia ex ſpeciali voto obligatur ad vinum non bibendum. *Vinum bibere quando licet.*

Quandoque autem ex modo bibendi; quia ſcilicet menſuram in bibendo excedit.

Quandoque autem ex parte aliorum, qui ex hoc ſcandalizantur.

Ad 1. R. quòd ſapientia poteſt haberi dupliciter: vno modo ſecundùm modum communem, prout ſufficit ad ſalutem. Et ſic non requiritur ad ſapientiam habendam quòd aliquis à vino omnino abſtineat; ſed quòd abſtineat ab immoderato vſu vini.

Alio modo, ſecundùm quendam perfectionis gradum. Et ſic requiritur in aliquibus ad perfectè ſapientiam percipiendam, quòd omnino à vino abſtineant, ſecundùm conditionem quarundam perſonarum & locorum.

Ad 2. R. quòd Apoſtolus non ſimpliciter dicit bonum eſſe abſtinere à vino; ſed in caſu in quo ex hoc aliqui ſcandalizantur. *2. 2. q. 149. art. 3.*

Idem locus citatur *12. q. 68. art. 2, ſed contra & 2. 2. q. 45. art. 5. ſed contra.*

SAPIEN. *Cap. 7. v. 30.*

Sapientiam non vincit malitia.

CItatur *Lib. 3. ſent. diſt. 22. q. 2. ad tertium. Contra Gentiles lib. 1. cap. 71. & lib. 3 ſent. ad Annibaldum*

baldum Diſt. 1. *art.* 2 *ſed contra.*

SAPIEN. *Cap.* 8. *v.* 1.

Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

OMnia ſunt ſubjecta diuinæ prouidentiæ, vt patet *in textu.* 1 *p. q.* 22. *art.* 2.

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm.* 83. *v* 8. *& infra Eccl. cap.* 24. *v.* 40. *Vid.* 1. 2. *q.* 110. *art.* 2. *in corpore.* 22. *q.* 23. *art.* 2. *in corpore. & Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 97.

SAPIEN. *Cap.* 8. *v.* 2.

Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea &c.

ARguitur, videtur *per textum* quòd amor non ſit in concupiſcibili; nam concupiſcilis cùm ſit pars appetitus ſenſitiui, non poteſt tendere in ſapientiam, quæ non comprehenditur ſenſu.

Ad argum. R. quòd auctoritas illa loquitur de amore intellectiuo, vel rationali. 1. 2. *q.* 26. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus citatur infra *Eccl. cap.* 24. *v.* 26.

SAPIEN. *Cap.* 8. *v.* 7.

Sobrietatem docet, & prudentiam, & iuſtitiam & virtutem.

PAtet *per textum* quòd virtutes morales non ſunt à natura. Er iterum dicit Sapiens, *Non poſſum eſſe continens, niſi Deus dederit.* Sap. 8. v. 21.

Dicendum quòd quædam ſunt virtutes cardinales, quæ ordinant in bonum ſocietatis diuinæ, quod eſt per gratiam ſeu gloriam. Et quia hoc bonum eſt ſupra facultatem naturæ; ideo hæ virtutes non à natura, ſed à Deo ſunt in nobis.

Quædam autem ſunt virtutes cardinales, quæ ordinant in bonum ſocietatis terrenæ, quod noſtræ naturæ commenſuratum eſt. Et de his diſtinguendum eſt; quia poſſunt conſiderari dupliciter, ſecundùm eſſe imperfectum, quantùm ad earum principia; & ſic ſunt à natura. Vel ſecundùm eſſe perfectum, ſiue earum conſummationem; & ſic ſunt in nobis ab aſſuefactione. *Lib.* 3. *ſent. ad Annibaldum Diſt.* 33. *art.* 3. *ſimile* 1. 2. *q.* 63. *art* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ſed contra. q.* 1. *de virtut. in communi art.* 10. *ſed contra & art.* 12. *ſed contra.* Virtutes Cardinales duobus modis cõſiderantur.

Idem locus citatur 1 2 *q.* 57. *art.* 5 *ſed contra.* 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. *ſed contra. q.* 47. *art.* 5. *ſed contra. q.* 58. *art.* 3. *ad primum. & art.* 5. *ad primum. q.* 123. *art.* 2. *ad primum. &* 3. *p. q.* 89 *art.* 1. *ſed contra. Vid. Lib.* 3. *ſent. diſt.* 33. *art.* 2. *q.* 3. *ſed contra.*

SAPIEN. *Cap.* 8. *v.* 8.

Signa & monſtra ſcit antequam fiant.

DEus cognoſcit ſingularia contingentia futura; aliàs ſcientia Dei vera non eſſet & perfecta, ſi non hoc modo res eueniunt ſicut Deus eas euenire cognoſcit. Deus autem cùm ſit cognitor totius eſſe, cujus eſt principium; cognoſcit vnumquemque effectum, non ſolùm in ſe, ſed etiam in ordine ad quaſlibet ſuas cauſas proximas.

Ordo autem contingentium ad ſuas cauſas proximas, eſt vt con- Deus cognoſ-

cit contingẽtia futura. tingenter ex eis proueniant ; cognoſcit igitur Deus aliqua euenire, & contingenter euenire. Sic igitur diuinæ ſcientiæ certitudo & veritas, rerum contingentiam non tollit. *Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 67.

SAPIEN. *Cap.* 8. *v.* 16.

Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa; non enim habet amaritudinem conuerſatio illius.

CItatur ſupra *Sapientia cap.* 6. *v.* 21. *vid.* 1. 2. *q.* 33. *art.* 3. *ad primum. q.* 35. *art.* 5. *ſed contra.* 2. 2. *q.* 9. *art.* 4. *ad ſecundum. q.* 28. *art.* 2. *ſed contra. q.* 45. *art.* 3. *ad tertium. Et q.* 179. *art.* 1. *ad tertium.*

SAPIEN. *Cap.* 8. *v.* 21.

Non poſſum eſſe continens, niſi Deus det.

ARguitur, nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: ſed incontinentiam nullus poteſt ex ſeipſo vitare; vt patet *in textu*; ergo incontinentia non eſt peccatum.

Ad argum. R. quòd homo poteſt vitare peccatum, & facere bonum; non tamen ſine diuino âuxilio, ſecundùm illud, *Sine me nihil poteſtis facere.* Vnde per hoc quòd homo indiget diuino auxilio ad hoc quòd ſit continens, non excluditur quin incontinentia ſit peccatum. 22. *q.* 156. *art.* 2. *ad primum.* *Ioan.* 15 *v.* 5.

Idem locus citatur *Lib.* 1. *ſent. diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad primum. &* 1. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad ſecundum. vid. ſupra ſapientia cap.* 8. *v.* 7.

SAPIEN. *Cap.* 9. *v.* 5. *&* 10.

Infirmus homo & exigui temporis, & cognitio obſcurata.

EXplicatur ſupra *Iob cap.* 40. *v.* 4.

SAPIEN. *Cap* 9. *v.* 10.

Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis.

PEr gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem, ſecundùm illud, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* *Ioan.* 14. *v.* 23.

Mitti autem perſonam diuinam ad aliquem per inuiſibilem gratiam, ſignificat nouum modum inhabitandi illius perſonæ, & originem eius ab alia.

Vnde cùm tam filio quàm ſpiritui ſancto conueniat & inhabitare per gratiam, & ab alio eſſe; vtrique conuenit inuiſibiliter mitti. Miſſio quid ſignificat.

Patri autem licet conueniat inhabitare per gratiam, non tamen ſibi conuenit ab alio eſſe, & per conſequens, nec mitti. 1. *p. q.* 43. *art.* 5.

SAPIEN. *Cap.* 9. *v.* 14.

Cogitationes hominum ſunt timidæ, & incerta prouidentiæ noſtra.

ARguitur, effectus non poteſt eſſe firmior ſuâ cauſâ ſed cauſa dans firmitatem ſuo voto eſt deliberatio; cùm ergo deliberatio humana non habeat neceſſariam firmitatem, vt patet *in textu*; videtur quòd votum non obliget de neceſſitate ad obſeruandum.

Voti deſcriptio.

Dicendum quòd votum eſt quidam promiſſionis contractus inter Deum & hominem. Vnde cùm contractus bonæ fidei inter homines factus obliget ad neceſſariam obſeruationem; multò fortiùs votum quo homo Deo aliquid promittit, in his duntaxat ad quæ votum ſe extendit: In illis autem ad quæ votum non ſe extendit, obligatio voti non habet locum. Et ideo qui votum ritè factum prætermittit, mortaliter peccat; quia fidem quam cum Deo inijt, frangit.

Ad argum. R. quòd quamuis deliberatio ſit cauſa variabilis, tamen rectitudo legis naturalis quæ dictat quod promittitur Deo eſſe ſeruandum, eſt inuariabilis; & hoc dat neceſſariam obligationem voto *Lib. 4. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 3.*

Idem locus citatur ſupra *Pſalm. 90. v. 11. vid. 12. q. 57. art. 5 ad tertium q. 109. art. 9. in corpe. 2. 2. q. 47. art. 5. ad ſecundum. q. 52. art. 1. ad primum. & lib. 3. ſent. ad Annibaldum diſt. 35. art. 4. ad ſecundum.*

SAPIEN. *Cap. 9. v. 15.*

Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.

Arguitur, perfectius eſſe habet anima in corpore, quàm à corpore ſeparata; ſicut pars in toto perfectior eſt, quàm per ſe exiſtens: ſed anima intellectiua cùm eſt in corpore non poteſt intelligere ſine phantaſmatibus; ergo nec ſeparata à corpore ſine eis intelligere poterit.

Ad argum. R. quòd anima habet eſſe perfectius in corpore, quàm ſeparata, inquantum eſt forma, non autem inquantum eſt intellectus: niſi fortè coniungatur tali corpori, quod eſt omnino animæ ſubditum, in nullo intellectum diſtrahens, ſicut erit corpus glorioſum. *Lib. 4. ſent diſt. 50. q. 1. art. 1. ad quintum. ſimile diſt. 49. q. 1. art. 4. in corpore.*

Corpus quod corrumpitur &c. Arguitur, anima rationalis creata eſt propter beatitudinem: hoc autem conſiſtit in cognitione Dei; cùm ergo per corpus retardetur animæ cognitio, vt patet *in textu*; videtur quòd anima corpori vniri non debuerit.

Ad argum. R. quòd corpus impedit animam à cognitione, ratione corporis, quæ ſecuta eſt ex peccato, & non ratione naturæ. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. Diſt. 2. art. 3. ad primum.*

Idem locus citatur *Lib. 4. ſent. diſt. 44. q. 3. art. 3. q. 3. in corpore. in quaſt. diſp. q. de ſpiritual. creaturis art. 2. ad ſeptimum. q. de anima art. 2. ad decimum quintum. q. de charitate art. 7. ad decimum quintum. q. 18. de veritate art. 8. ad ſeptimum. Quodlib. 1. art. 1. in corpore. 1. p. q. 94. art. 2. ad ſecundum, & ſupplem. q. 70. art. 3. in corpore.*

SAPIEN. *Cap. 9. v. 16.*

Quæ in cælis ſunt quis inueſtigabit?

In cœlis dicuntur Angeli eſſe, ſecundùm illud, *Angeli eorum in cœlis &c.* ergo non poſſunt ſubſtantiæ immateriales per inueſtigationem humanam cognoſci. *1. p. q. 88. art. 1. ſed contra.* *Matth. 18 v. 10.*

Digitized by Google

SAPIEN. *Cap.* 9. *v.* 19.

Per ſapientiam ſan cti ſunt, qui tibi placuerunt ab initio.

CItatur ſupra *Sapientiæ cap.* 7. *v.* 28. *& infra Eccl. cap.* 24. *v.* 40.

SAPIEN. *Cap.* 10. *v.* 2.

Eduxit illum à delicto ſuo.

ARguitur, ſi homo in ſtatu innocentiæ fuit immortalis, aut hoc habuit per naturam, aut per gratiam: ſed non per naturam; quia cùm natura eadem maneat ſecundùm ſpeciem, nunc quoque eſſet immortalis.

Similiter nec per gratiam; quia primus homo gratiam per pœnitentiam recuperauit, vt patet *in textu*; ergo immortalitatem recuperaſſet, quod patet eſſe falſum; non ergo homo erat immortalis in ſtatu innocentiæ.

Ad argum R quòd vis illa præſeruandi corpus à corruptione, non erat animæ humanæ naturalis, ſed per donum gratiæ. Et quamuis gratiam recuperauerit ad remiſſionem culpæ, & meritum gloriæ; non tamen ad amiſſæ immortalitatis effectum. Hoc enim reſeruabatur Chriſto, per quem naturæ defectus in melius reparandus erat. *1. p. q. 97. art. 1. ad tertium.*

SAPIEN. *Cap.* 11. *v.* 17.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

SEd omnes homines peccant per res ſenſibiles hujus mundi; ergo iuſtum eſt vt per eaſdem puniantur. *Lib. 4. ſent. Diſt. 44. q. 3. art. 2. q. 2 ſed contra.*

Per quæ peccat quis. Hoc quod dicitur, *Per quæ peccat quis &c.* Non eſt neceſſarium niſi in principalibus inſtrumentis peccandi. Quia enim homo in anima peccat & corpore, in vtroque punitur. Non autem oportet quòd in quo loco quis peccat, in eodem puniatur; cùm alius ſit locus qui viatoribus & damnatis debetur.

Vel dicendum quòd hoc intelligitur de pœnis, quibus homo punitur in via, ſecundùm quod quælibet culpa ſuam pœnam habet annexam, prout quiſque inordinatus animus ſibiipſi eſt pœna. *Lib. 4. ſent. diſt. 44. q. 3. art. 2. q. 3 ad quartum.*

Idem locus citatur ſupra *Geneſis cap. 3. v. 17. Numeror. cap. 16. v. 26. Iob. cap. 18. v. 5. & v. 18. & infra Sapientiæ cap. 16. v. 29. ſed contra. Vid. quodlib. 7. art. 12.*

SAPIEN. *Cap.* 11 *v.* 12.

Omnia in numero, & pondere, & menſura diſpoſuiſti.

NVmerus non eſt ſine multitudine; ergo à Deo procedit multitudo. *In quæſt. diſput. q. 3. de potentia art 16. ſed contra.*

Omnia in numero &c. Arguitur, cùm bonum ſit communicatiuum ſui, infinita bonitas non debet ponere terminum ſuæ communicationi: ſed prædeſtinatis diuina bonitas ſe maximè communicat; ergo non eſt eius ſtatuere certum prædeſtinatorum numerum.

Ad argum. R. quòd bonitas diuina non communicat ſeipſam,

Digitized by Google

841

niſi ſecundùm ordinem ſapientiæ; hic eſt enim optimus communicandi modus. Ordo autem diuinæ ſapientiæ requirit vt omnia ſint facta, *In numero & pondere & menſura*. Et ideo conuenit diuinæ bonitati vt ſit certus prædeſtinatorum numerus. *In quæſt. diſp. q. 6. de veritate art. 4. ad ſeptimum.*

Omnia in numero & pondere. Nullum infinitum habet pondus & menſuram determinatam; ergo omnia quæ ſunt facta à Deo ſunt finita, & ita gratia Chriſti non eſt infinita. *In quæſt. diſp. q. 29. art. 3. ſed contra. Vid. 1. p. q. 7. art. 4. & 3. p. q. 7. art. 11. ſed contra.*

Omnia in numero &c. Natura lucis dicitur eſſe ſine numero, & pondere, & menſura, non ſimpliciter, ſed per comparationem ad corporalia; quia virtus lucis ad omnia corporalia ſe extendit, inquantum eſt qualitas actiua primi corporis alterantis, ſcilicet cœli. *1. p. q. 5. art. 5. ad quintum.*

Omnia in numero &c. Menſura refertur ad ſubſtantiam rei limitatam ſuis principijs: numerus ad ſpeciem, pondus ad ordinem. *1. p. q. 45. art. 7. in corpore. Vid. 1. p. q. 5. art. 5.*

Omnia in numero &c. Arguitur, omne finitum per additionem finiti poteſt peruenire ad quantitatem cujuſcumque finiti; ſi igitur gratia Chriſti eſſet finita, poſſet alterius hominis gratia tantùm creſcere, quòd perueniret ad æqualitatem gratiæ Chriſti, contra quod

Iob. 28. v. 7. dicitur, *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*; ergo gratia Chriſti eſt infinita.

Ad argum. R. quòd minus per augmentum poteſt peruenire ad quantitatem majoris, in his quæ habent quantitatem vnius rationis. Sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Chriſti ſicut quædam virtus particularis ad vniuerſalem.

Vnde ſicut virtus ignis quantumcumque creſcat, non poteſt adæquare virtutem ſolis: ita gratia alterius hominis quantumcumque creſcat, non poteſt adæquare gratiam Chriſti. *3. p. q. 7. art. 11. ad tertium.*

Omnia in numero &c. Menſura vnicuique formæ præfigitur per comparationem ad ſuum finem: ſicut non eſt major grauitas quàm grauitas terræ; quia non poteſt eſſe inferior locus loco terræ. *3. p. q. 7. art. 12. in corpore.*

Idem locus citatur *Contra Gentiles lib. 2. cap. 26. & 83. & 1. 2. q. 100. art. 7. ſed contra.*

SAPIEN. *Cap. 11. v. 24.*

Miſereris omnium Domine; quia omnia potes.

ARguitur, inter omnia etiam dæmones continentur qui ſunt Dei creaturæ; ergo dæmonum pœna finietur.

Ad argum. R. quòd Deus quantùm in ipſo eſt miſeretur omnibus. Sed quia eius miſericordia ſapientiæ ordine regulatur, inde eſt quòd ad quoſdam non ſe extendit, qui ſe miſericordiæ fecerunt indignos; ſicut dæmones & damnati, qui ſunt in malitia obſtinati.

Tamen poteſt dici quòd etiam in eis miſericordia locum habet, inquantum citra condignum puniuntur; non quòd à pœna totaliter abſoluantur, *Supplem. q. 99.*

art. 2. ad primum.

Idem locus citatur *Lib. 1. ſent. ad Annibaldum diſt. 42. art. 4 ſed contra.*

SAPIEN. *Cap. 11. v 25.*

Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.

DEus omnes creaturas diligit quantùm ad aliquem motum quo communicat eis bonitatem ſuam. Sed illas dicitur ſimpliciter diligere, quibus ſeipſum videndum communicat, *Ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. lib. 3. ſent. diſt. 10. q. 1. art. 5. ad primum. ſimile diſt. 32. q. 1. art. 2. 1. p. q. 20. art. 2. & 22. q. 25. art. 3.*

Ioan. 14. v. 21

Diligis omnia quæ ſunt. Videtur quòd malis non ſit eleemoſyna danda, per id quod dicitur, *Da miſericordi, & non ſuſcipias peccatorem.* Et iterum, *Benefac humili, & non des impio.*

Eccl. 12. v. 4. Eccl 12. v. 6.

2. Proditor Domini ſui reputaretur, qui de rebus à Domino ſibi conceſſis, hoſtem Domini ſui nutriret: ſed omnis peccator eſt hoſtis Domini; ergo non debet ei eleemoſyna de rebus à Deo nobis conceſſis dari.

Sed contra eſt, *Eſtote filii patris veſtri qui in cœlis eſt qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*: ſed hoc non dicitur niſi propter imitationem; ergo debemus & bonis & malis dare.

Matt. 5. v. 45.

Malis eleemoſyna danda.

Dicendum quòd ſic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores. Et quia exhibitio beneficij dilectioni correſpondet; ideo peccatori ad ſuſtentationem naturæ debet eleemoſynam facere, ſi indigeat; cùm præcipiatur nobis benefacere amicis & inimicis.

Sed ad fouendum eorum malitiam, non debemus eis aliquid dare. Vel ſi conſtaret quòd de eo quod eis datur, in peccatum abuterentur, non deberet eis dari aliquid; niſi neceſſitas extrema expoſceret. Et hoc modo intelligenda eſt auctoritas inducta. Vnde patet ſolutio ad primum.

Ad 2. R. quòd peccator, etſi ſit inimicus Dei quantùm ad culpam, non tamen quantùm ad naturam; quia Deus nihil odit eorum quæ fecit. *Lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 6. q. 2.*

Diligis omnia quæ ſunt &c Deus omnes homines diligit, & etiam omnes creaturas, inquantum vult omnibus aliquod bonum: non tamen quodcumque bonum vult omnibus. Inquantum igitur quibuſdam non vult hoc bonum quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare. *1. p. q. 23. art. 3. ad primum.*

Nihil odiſti eorum quæ feciſti. Videtur quòd Deus ſit cauſa peccati; dicit enim Apoſtolus de quibuſdam, *Tradidit Deus eos in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt.* Rom. 1. v. 28.

2. Dicitur, *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum*: ſed tentatio ſolet dici prouocatio ad peccandum; cùm ergo creaturæ non ſint factæ niſi à Deo; videtur quòd Deus ſit cauſa peccati, prouocans hominem ad peccandum. Sap. 14. v. 1.

3. Quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa effectus: ſed Deus eſt cauſa liberi arbitrij, quod eſt cauſa peccati, ergo Deus eſt cauſa peccati.

4. Omne malum opponitur bo-

842

no : ſed non repugnat diuinæ bonitati quòd ipſe ſit cauſa mali pœnæ ; de iſto enim malo dicitur quod, *Deus eſt creans malum.* Et, *Si eſt malum in ciuitate quod Deus non fecerit*; ergo etiam diuinæ bonitati non repugnat quòd Deus ſit cauſa culpæ.

Eſa. 45. v. 7. *Amos. 3. v. 6.*

Sed contra eſt quod dicitur *in textu* : odit autem Deus peccatum, ſecundùm illud, *Odio eſt Deo impius, & impietas eius*; ergo Deus non eſt cauſa peccati.

Sap. 14. v. 9.

Dicendum quòd homo dupliciter eſt cauſa peccati, vel ſui, vel alterius. Vno modo directè, inclinando ſcilicet voluntatem ſuam, vel alterius ad peccandum.

Alio modo indirectè, dum ſcilicet non retrahit aliquos à peccato ; vnde dicitur ſpeculatori, *Si non dixeris impio morte morieris, ſanguinem eius de manu tua requiram.*

Ezech. 3. v. 18.

Deus autem non poteſt eſſe directè cauſa peccati, vel ſui, vel alterius ; quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine qui eſt in Deum ſicut in finem. Deus autem omnia inclinat & conuertit in ſeipſum ſicut in vltimum finem. Vnde impoſſibile eſt quòd ſit ſibi, vel alijs cauſa diſcedendi ab ordine qui eſt in ipſum. Vnde non poteſt directè eſſe cauſa peccati.

Deus non eſt cauſa peccati

Similiter etiam neque indirectè : contingit enim quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad euitandum peccata ; quòd ſi præberet, non peccarent. Sed hoc totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & iuſtitiæ ; cùm ipſe ſit ſapientia & iuſtitia Vnde non imputatur ei quòd alius peccet, ſicut cauſa peccati.

Sicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis nauis ex hoc quòd non gubernat nauem : niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens gubernare. Et ſic patet quòd Deus nullo modo eſt cauſa peccati.

Ad 1. R. Deum tradere aliquos in reprobum ſenſum, inquantum non prohibet eos, quin ſuum ſenſum reprobum ſequantur : ſicut dicimur exponere illos, quos non tuemur.

Ad 2 R. quòd cùm dicitur, *Creaturæ factæ ſunt in odium*, hæc præpoſitio, *in*, non ponitur cauſaliter, ſed conſecutiuè : non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum ; ſed hoc conſecutum eſt propter inſipientiam hominum.

Vnde ſubditur, *Et in muſcipulam pedibus inſipientium* ; qui ſcilicet per ſuam inſipientiam vtuntur creaturis ad aliud, quàm ad quod factæ ſunt.

Ad 3. R. quòd effectus cauſæ mediæ procedens ab ea, ſecundùm quod ſubditur ordini cauſæ primæ ; reducitur etiam in cauſam primam. Sed ſi procedat à cauſa media, ſecundùm quod exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam.

Sicut ſi miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum ſicut in cauſam. Et ſimiliter peccatum quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum ſicut in cauſam.

Ad 4. R. quòd pœna opponitur bono eius qui punitur, qui priuatur quocumque bono : ſed culpa opponitur bono ordinis, qui eſt in

Deum. Vnde directè opponitur bonitati diuinæ: & propter hoc non eſt ſimilis ratio de culpa & pœna. *1. 2. q. 79. art. 1.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap. 1. v. 31. bis. Geneſ. cap 39. v. 21. lib. 1. Regum cap. 26. v. 19. lib. 3. Regum cap. 22. v. 22. & Pſalm. 31. v. 7. vid. lib. 2. ſent. diſt. 26. q. 1. art. 1. ad ſecundum. In quæſt. diſp. q. de charitate art. 2. ad vigeſimum primum. Et art. 7. ad ſecundum. Contra Gentiles lib. 1. cap. 75 96. & 97. & lib. 3. cap. 150. & lib. 3. ſent. ad Annibaldum diſt. 32. art. 1.*

SAPIEN. *Cap. 11. v. 26.*

Quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes.

CItatur *Lib. 2. ſent ad Annibaldum diſt. 1. art. 2. ſed contra.*

SAPIEN. *Cap. 11. v. 27.*

Parcis omnibus; quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.

CItatur *Lib. 4. ſent. diſt. 46. q 2. art. 1. q. 3. ſed contra.*

SAPIEN. *Cap. 12. v. 10.*

Naturalis eſt malitia ipſorum.

MAlitia eorum dicitur naturalis, inquantum erat in conſuetudinem reducta, prout conſuetudo eſt altera natura. *In quæſt. diſp. q. de virtutibus in corpore art. 8 ad decimum quartum. ſimile 1. p. q. [illegible]. art. 4. ad ſecundum.*

SAPIEN. *Cap. 12. v. 13.*

Eſt Deo cura de omnibus.

NOmine curæ vel ſolicitudinis prouidentia ſignatur; ergo prouidentia Dei ad omnia ſe extendit. *Lib. 1. ſent. diſt. 39. q. 2. art. 1. ſed contra vid. in quæſt. diſp. q 5 de verit. art. 3. ſed contra*

Idem locus explicatur ſupra *Iob cap 22. v. 14.*

SAPIEN. *Cap. 12. v. 17.*

Virtutem oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute conſummatus.

ESt neceſſaria creaturarum conſideratio, non ſolùm ad veritatis inſtructionem; ſed etiam ad errores excludendos. Errores namque qui circa creaturam ſunt, interdum à fidei veritate abducunt, ſecundùm quod veræ Dei cognitioni repugnant. *Creaturarum conſideratio neceſſaria propter quatuor.*

Hoc autem multipliciter contingit: *primò* quidem ex hoc quòd creaturarum naturam ignorantes, in hoc peruertuntur quandoque, quòd id quod non poteſt niſi ab alio eſſe, primam cauſam & Deum conſtituunt, nihil vltra creaturas quæ videntur, æſtimantes: ſicut fuerunt illi qui corpus quodcumque Deum æſtimauerunt, de quibus dicitur, *Qui ignem aut ſpiritum, aut aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam. aut ſolem & lunam, deos putauerunt.* *Sap. 13. v. 2.*

Secundò, ex hoc quòd illud quod Dei ſolius eſt, creaturis aliquibus aſcribunt; quod etiam ex errore circa creaturas contingit. Quòd enim natura rei alicujus non patitur, et non attribuitur, niſi quia eius natura ignoratur: ſicut ſi homini attribueretur habere tres pedes. Quod autem ſolius Dei eſt, natura creaturæ non patitur; ſicut quod ſolius hominis eſt, non patitur rei alterius natura.

Ex

Digitized by Google

843

Ex hoc ergo quòd natura creaturæ ignoratur, prædictus error contingit. Et contra hunc errorem dicitur, *Incommunicabile nomen lignis & lapidibus impoſuerunt*. Sap. 14. v. 21. In hunc errorem labuntur qui rerum creationem, vel futuorum cognitionem, vel miraculorum operationem alijs cauſis quàm Deo aſcribunt.

Tertiò verò ex hoc, quòd diuinæ virtuti in creaturas operanti aliquid detrahitur per hoc quòd creaturæ natura ignoratur: ſicut patet in his qui duo rerum principia conſtituunt, & qui res non ex diuina voluntate, ſed ex neceſſitate naturæ à Deo procedere aſſerunt. Et illi etiam qui res vel omnes, vel quaſdam diuinæ prouidentiæ ſubtrahunt. Aut eum non poſſe præter ſolitum curſum operari negant; hæc enim omnia diuinæ derogant poteſtati: contra quos dicitur, *Quaſi nihil poſſit facere omnipotens, æſtimabant eum*. Iob. 22. v. 17. Et *in textu, virtutem oſtendis &c.*

Quartò, homo qui per fidem in Deum ducitur ſicut in vltimum finem, ex hoc quòd ignorat naturas rerum, & per conſequens gradum ſui ordinis in vniuerſo; aliquibus creaturis ſe putat eſſe ſubjectum, quibus ſuperior eſt; vt patet in illis qui voluntates hominum aſtris ſupponunt: contra quos dicitur, *A ſignis cæli nolite metuere, quæ gentes timent*. Hier. 10 v. 2. Et in illis qui Angelos creatores animarum exiſtimant, & animas hominum eſſe mortales, & ſi quæ ſimilia hominum derogant dignitati.

Error ergo circa creaturas redundat in falſam de Deo ſcientiam; & hominum mentes à Deo abducit, in quem fides dirigere nititur; dum ipſas quibuſdam alijs cauſis ſupponit. Et ideo illis qui circa creaturas errant, pœnas ſicut infidelibus ſcriptura comminatur dicens. *Quoniam intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius deſtrues illos, & non ædificabis eos.* Pſal. 27. v. 5. *Contra gentiles lib. 2. cap. 3.*

Idem locus citatur *Quodlibeto 4. art. 2. in corpore.*

Sapien. Cap. 12. v. 18.

Cum magna reuerentia diſponis nos, ſubeſt enim tibi cùm volueris, poſſe.

Citatur ſupra *Pſalm.* 113. *v.* 11. *& Eccle.* 9. *v.* 11. *vid. q.* 6 *de verit. art.* 4. *ad octauum. Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 112. 22. *q.* 158. *art.* 1. *ad quartum. Et lib.* 1. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 42. *art.* 3. *ad quartum.*

Sapien. Cap. 13. v. 1.

Ex his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere qui eſt.

Conſideratio creaturarum vtilis eſt ad fidei inſtructionem. *Primò* quidem, quia ex factorum meditatione diuinam ſapientiam vtcumque poſſumus & admirari & conſiderare. Ea enim quæ arte fiunt, ipſius artis ſunt repræſentatiua, vtpote ad ſimilitudinem artis facta: Deus autem ſuâ ſapientiâ res in eſſe produxit, *Omnia in Sapientia feciſti*. Pſ. 103. v. 24. Vnde ex factorum conſideratione diuinam Sapientiam colligere poſſumus, ſicut in rebus factis per quandam communicationem ſuæ ſimilitudinis im-

Eccli. 1. v. 10. preſſam; dicitur enim. *Effudit Sapientiam ſuper omnia opera ſua.* Vnde cùm diceret, Pſal. 138 v. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam*; & adjungeret diuinæ illuminationis auxilium, cùm dicit, *Nox illuminatio mea &c.* Ex conſideratione diuinorum operum ſe adjutum ad diuinam ſapientiam cognoſcendam confitetur dicens, Pſ. 138. v. 14. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.*

Conſideratio creaturarum vtilis eſt ad fidei inſtructionem propter quatuor.

Secundò, hæc conſideratio in admirationem altiſſimæ Dei virtutis ducit, & per conſequens in cordibus hominum reuerentiam Dei parit: oportet enim quòd virtus facientis eminentior rebus factis intelligatur. Et ideo dicitur, *Si virtutem & opera eorum* (ſcilicet cœli & ſtellarum, & elementorum mundi, Sap. 13. v. 4. *Mirati ſunt* (ſcilicet Philoſophi) *Intelligant quoniam qui fecit hæc, fortior eſt illis.* Et dicitur Rom. 1. v. 20. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ex hac autem admiratione Dei timor procedit & reuerentia. Vnde dicitur, Hier 10 v. 6. *Magnum eſt nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te, ô rex gentium?*

Tertiò, hæc conſideratio animos hominum in amorem diuinæ bonitatis accendit: quicquid enim bonitatis & perfectionis in diuerſis creaturis particulariter diſtributum eſt, totum in ipſo vniuerſaliter eſt adunatum, ſicut in fonte totius bonitatis. Si igitur creaturarum bonitas, pulchritudo, & ſuauitas, ſic animos hominum allicit, ipſius Dei fons bonitatis, riuulis bonitatum in ſingulis creaturis repertis, diligenter comparata animas hominum inflammatas totaliter ad ſe trahet. Vnde dicitur, *Delectaſti me, Domine, in factura tua, & in omnibus operibus manuum tuarum exultabo.* Pſal. 91. v. 5.

Et de filijs hominum dicitur, Pſal 35. v. 9. *Inebriabuntur ad vbertate domus tuæ*, quaſi totius creaturæ, *Et ſic torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te eſt fons vitæ.* Et dicitur *in textu* contra quoſdam, *Ex his quæ videntur bona*, ſcilicet creaturis, quæ ſunt bona per quandam participationem. *Non potuerunt intelligere qui eſt*, ſcilicet verè bonus, imò ipſa bonitas.

Quartò, hæc conſideratio homines in quandam ſimilitudinem diuinæ perfectionis conſtituit: Deus enim cognoſcendo ſeipſum, in ſe omnia alia intuetur. Cùm igitur Chriſtiana fides hominem de Deo principaliter inſtruit, & per lumen diuinæ reuelationis eum creaturarum cognitorem facit; fit in homine quædam diuinæ ſapientiæ ſimilitudo. Hinc eſt quod dicitur, 1. Cor. 3. v. 18. *Nos verò omnes reuelatâ facie gloriam Dei ſpeculantes in eandem imaginem transformamur.* Sic igitur patet quòd conſideratio creaturarum pertinet ad inſtructionem fidei Chriſtianæ. Et ideo dicitur. Eccl. 42. v. 15. *Memor ero operum Domini, & quæ vidi annuntiabo in ſermonibus Domini opera eius. Contra Gentiles lib. 2. cap. 2.*

SAPIEN. *Cap.* 13. *v.* 2.

Solem & lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt.

PRimum quòd pertinet ad amorem Dei eſt, *Non habebis deos alienos.* Exod. 20 v. 3. Et ad huius intellectum

ſciendum eſt, quòd antiqui multipliciter hoc præceptum tranſgrediebantur; quidam enim colebant
Pſal. 95. v. 5. dæmonia. *Omnes dii gentium dæmonia.* Hoc autem eſt maximum omnium peccatorum, & horribile.

Nunc quoque multi tranſgrediuntur hoc præceptum, omnes ſcilicet qui diuinationibus & ſortilegijs intendunt: hæc enim fieri non poſſunt, quin aliquod pactum cum diabolo contrahatur.

Alij colebant cœleſtia corpora, credentes aſtra eſſe deos, vt patet *in textu.* Et ideo Moyſes prohibuit Iudæis, quòd non leuarent oculos, nec adorarent ſolem & lunam & ſtellas.

Alij verò colebant inferiora e-
Deut. 4. v. 19. lementa, *Aut ignem, aut ſpiritum*
Sap. 13. v. 2. *deos putarunt.* In quorum errorem inciderunt homines, qui inferioribus malè vtuntur, nimis ea dili-
Eph. 5. v. 5. gentes, *Aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus.*

Alij errantes colebant homines, vel alios, vel ſeipſos; quodquidem contigit ex tribus: *primò* ex
Sap. 14. v. 15. carnalitate, *Acerbo luctu dolens pater rapti citò ſibi filii, fecit imaginem; & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia.*

Idololatriæ cauſæ. *Secundò*, ex adulatione; cùm enim quidam aliquos, quos non
Sap. 14. v. 17. potuerunt honorare in præſentia, curauerunt in abſentia honorare, faciendo ſcilicet eorum imagines, & colendo loco eorum; *Quem honorare volebant, fecerunt, vt illum qui aberat, tanquam præſentem colerent.* Tales ſunt quicumque diligunt & venerantur homines pluſquam Deum.

Tertiò, ex præſumptione; quidam enim ex præſumptione fecerunt ſe vocari deos; ſicut patet de *Nabuchodonoſor qui ſolus volebat* *Iudith. 3. v. 13.*
dici Deus ab his nationibus quæ potuiſſent potentiâ Holophernis ſubiugari. Et hoc faciunt, qui plus ſuo ſenſui, quàm Dei præceptis credunt; iſti enim ſe pro dijs colunt. Sequentes etiam delectationes carnis, corpus ſuum pro Deo colunt, *Quorum* *Philip. 3. v. 9.*
Deus venter eſt. Opuſc. de 10. præceptis cap. 10.

Idem locus citatur ſupra *Sapientiæ. cap. 12. v. 17.*

SAPIEN. *Cap. 13. v. 4.*

Si virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis,

Explicatur ſupra *Sapientiæ cap. 13. v. 1.*

SAPIEN. *Cap 13. v. 5.*

A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.

Citatur *Lib. 4. ſent. diſt.* 48. *q. 3. art. 3. in corpore. Et ſupplem. q. 91. art. 3. in corpore.*

SAPIEN. *Cap. 13. v. 11.*

Si quis artifex faber de ſylua lignum rectum ſecuerit &c.

Videtur quòd cauſa idololatriæ non fuerit ex parte hominis; in homine enim nihil eſt niſi vel natura, vel virtus, vel culpa: ſed cauſa idololatriæ non potuit eſſe ex parte naturæ hominis; quia potiùs naturalis ratio

Digitized by Google

hominis dictat quòd ſit vnus Deus, & quòd non ſit mortuis cultus diuinus exhibendus, neque rebus inanimatis.

Similiter etiam nec idololatria habet cauſam in homine ex parte
Matt.7. virtutis; *Quia non poteſt arbor bo-*
v.18. *na malos fructus facere.*

Neque etiam ex parte culpæ;
Sap. 1 · quia, *Infandorum idolorum cultura*
v. 27. *omnis mali cauſa eſt, & initium & finis*; ergo idololatria non habet cauſam ex parte hominis.

2. Ea quæ ex parte hominis cauſantur, omni tempore in hominibus inueniuntur: non autem ſemper fit idololatria; ſed in ſecunda ætate legitur eſſe adinuenta, vel à Nembroth, qui *(vt dicitur)* cogebat homines ignem adorare, vel à Nino qui imaginem patris ſui Beli adorari fecit. Iudæi verò dicunt quòd Iſmaël primus ſimulachrum de luto fecit. Ceſſauit etiam in ſexta ætate idololatria magna ex parte; ergo idololatria non habuit cauſam ex parte hominis.

Sed contra eſt quod dicitur,
Sap 14. *Superuacuitas hominum*, hæc ſcili-
v. 14. cet, *Idola adinuenit in orbe terrarum.*

Idololatriæ cauſa duplex.

Dicendum quòd idololatriæ eſt duplex cauſa; vna quidem diſpoſitiua. Et hæc fuit ex parte hominum. Et hoc tripliciter. *Primò* quidem, ex inordinatione affectus, prout ſcilicet homines aliquem hominem vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem diuinum ei impenderunt.

Ex parte hominis triplex.

Secundò, propter hoc quòd homo naturaliter de repræſentatione delectatur. Et ideo homines rudes à principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expreſſiuè factas, diuinitatis cultum eis impenderunt, vt patet *in textu.*

Tertiò, propter ignorantiam veri Dei, cujus excellentiam homines non conſiderantes, quibuſdam creaturis propter pulchritudinem ſeu virtutem, diuinitatis cultum exhibuerunt.

Alia autem cauſa idololatriæ fuit conſummatiua ex parte dæmonum, qui ſe colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando reſponſa, & aliqua quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo. Vnde dicitur, *Om-* Pſ. 95.
nes dii gentium dæmonia. v. 5.

Ad 1 R. quòd cauſa diſpoſitiua idololatriæ fuit ex parte hominis naturæ defectus, vel per ignorantiam intellectus, vel per inordinationem affectus. Et hoc etiam ad culpam pertinet.

Dicitur autem idololatria eſſe cauſa, initium, & finis omnis peccati; quia non eſt aliquod genus peccati quod interdum idololatriam non producat, vel expreſſè inducendo per modum cauſæ, vel occaſionem præbendo per modum initij, vel per modum finis, inquantum peccata aliqua aſſumebantur in cultum idolorum; ſicut occiſiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia hujuſmodi.

Et tamen aliqua peccata poſſunt idololatriam præcedere, quæ ad ipſam hominem diſponunt.

Ad 2. R. quòd in prima ætate non fuit idololatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum. In ſexta autem ætate

idololatria eſt excluſa per virtutem & doctrinam Chriſti, qui de diabolo triumphauit. 2. 2. *q* 94. *art.* 4.

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 3.

Tu pater gubernas omnia prouidentiâ.

IPſa executio prouidentiæ gubernatio dicitur. *Lib.* 1. *ſent. diſt.* 39. *q.* 2. *art.* 1. *Vid.* 1. *p. q.* 22. *art.* 1. *&* *q.* 103. *art.* 1. *&* *lib.* 1. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 39. *q.* 2. *art.* 2.

Idem locus citatur ſupra *Iob cap.* 22. *v.* 14.

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 9.

Simul odioſunt Deo impius & impietas eius.

CItatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 26. *v.* 19. *&* *lib.* 3. *Regum cap.* 22. *v.* 22. *Sapientiæ cap.* 11. *v.* 25. *&* 2. 2. *q.* 55. *art.* 1. *ſed contra.*

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 11.

Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.

ARguitur, illis rebus vtendum eſt, quibus tendentes ad beatitudinem adiuuamur: ſed creaturis tendentes ad beatitudinem impedimur, vt patet *in textu*; ergo creaturis non eſt vtendum.

Ad argum. R. quòd hoc non eſt ex creaturis, ſed ex parte noſtri abuſus; & propter hoc ſignanter dicitur, *Inſipientium. lib.* 1. *ſent. ad Annibald. Diſt.* 1. *art.* 4. *ad primum. ſimile lib.* 1. *ſent. diſt.* 1. *q.* 3. *art.* 1. *ad ſecundum. In quæſt. diſp. q.* 5. *de verit art.* 1. *ad ſextum. & lib.* 2. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 1. *q.* 2 *art.* 2. *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap.* 1. *v* 27. *&* 31. *Iob. cap.* 22. *v.* 14. *& ſapientiæ cap.* 11. *v.* 25. *vid. Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 141. *&* 2 2. *q.* 9. *art.* 4. *in corpore.*

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 14.

Superuacuitas hominum idola adinuenit in orbe terrarum.

EXplicatur ſupra *Sapientiæ cap.* 13. *v.* 11.

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 15.

Acerbo luctu dolens pater, rapti citò ſibi filii fecit imaginem &c.

EXplicatur ſupra *Sapientia cap.* 13. *v.* 2. *vid.* 2 2. *q* 94. *art.* 4.

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 17.

Quem honorare volebant, fecerunt. vt illum qui aberat, tanquam præſentem colerent.

EXplicatur ſupra *Sapientiæ cap.* 13. *v.* 2.

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 21.

Incommunicabile nomen lignis & lapidibus impoſuerunt.

IBi loquitur de nomine deitatis; ergo hoc nomen (*Deus*) eſt nomen incommunicabile propriè loquendo, id eſt, ſecundùm totam ſignificationem nominis Per ſimilitudinem autem communicabile eſt, id eſt, ſecundùm aliquid

Digitized by Google

eorum quæ includuntur in nominis ſignificatione. *1. p. q.* 13. *art.* 9.

Incommunicabile nomen lignis & lapidibus impoſuerunt.

Arguitur, Deus eſt nomen incommunicabile *per textum*; ergo pari ratione videtur eſſe inconueniens quòd hoc nomen (*Deus*) prædicetur de homine, loquendo de Chriſto.

Dicendum quòd ſuppoſitâ veritate vtriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet & humanæ, & vnione in perſona & hypoſtaſi; hæc eſt vera & propria, *homo eſt Deus*; ſicut & iſta, *Deus eſt homo.* Hoc enim nomen (*homo*) poteſt ſupponere pro qualibet hypoſtaſi humanæ naturæ; & ita poteſt ſupponere pro perſona Filij Dei, quam dicimus eſſe hypoſtaſim humanæ naturæ.

Manifeſtum eſt autem quòd de perſona filij Dei verè & propriè prædicatur hoc nomen (*Deus*). Vnde relinquitur quòd hæc ſit vera & propria (*homo eſt Deus.*)

Ad argum. R. quòd idololatræ attribuebant nomen deitatis lapidibus & lignis, ſecundùm quod in ſua natura conſiderantur; quia putabant in illis aliquid numinis eſſe.

Nos autem non attribuimus nomen deitatis Chriſto ſecundùm humanam naturam; ſed ſecundùm ſuppoſitum æternum, quod eſt etiam per vnionem ſuppoſitum humanæ naturæ. 3. *p q.* 16. *art.* 2

Idem locus explicatur ſupra *Sapientiæ cap.* 12. *v.* 17. *vid.* 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *ad primum.*

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 22.

In magno viuentes in ſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

Citatur 22. *q.* 29. *art.* 2. *ad tertium.*

SAPIEN. *Cap.* 14. *v.* 27.

Infandorum idolorum cultura, omnis mali principium eſt & origo.

Arguitur. *Fides eſt fundamentum virtutum*, vt dicitur: ſed infidelitas fidei opponitur; ergo infidelitas debet computari inter vitia capitalia, præcipuè propter *textum*. Rom. 11. v. 20.

Ad argum. R. quòd fides eſt fundamentum, inquantum habet in ſe rationem cognitionis; quia ex cognitione affectio quodammodo generatur. Sed infidelitas eſt priuatio cujuſdam cognitionis: & ideo per ſe non poteſt cauſare affectionem, ſed per accidens: ſicut remouens cognitionem qua prohibeat peccatum per modum quo ignorantia eſt cauſa peccati. Fides eſt fundamentum virtutum.

Et hoc modo dicitur idolorum cultura omnium malorum origo eſſe: ſed iſte non eſt modus, quo alia vitia ex capitalibus oriuntnr. *Lib.* 2. *ſent. diſt.* 42. *art.* 3. *ad ſeptimum.*

Idem locus explicatur ſupra *Sapientiæ cap.* 13 *v.* 11.

Digitized by Google

846

SAPIEN Cap. 16. v. 12.

Neque herba neque malagma ſanauit eos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia.

Pſ. 106. v. 20. MIſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.

Ex peccato primi hominis humanum genus duo incurrerat, ſcilicet mortem, & infirmitatem. Mortem, propter ſeparationem à vitæ principio, de quo dicitur,
Pſal. 35. v. 10. *Apud te eſt fons vitæ.* Et qui ſeparatur ab hoc principio, de neceſſitate moritur. Et hoc factum eſt per primum hominem; vnde dicitur,
Rom. 5. v. 12. *Per vnum hominem peccatum in mudum intrauit, & per peccatum mors.*

Infirmitatem verò propter deſtitutionem gratiæ, quæ eſt hominis ſanitas, quæ petitur,
Hier. 17. v. 14. *Sana me Domine, & ſanabor.* Et ideo dicitur,
Pſal. 6. v. 3. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.*

Ad hoc autem ſufficiens remedium haberi non poterat, niſi ex Verbo Dei, quod
Eccli. 1. v. 5. *Eſt fons ſapientiæ in exc lſis*, & per conſequens vitæ; quia
Eccl. 7. v. 13. *Sapientia vitam tribuit poſſeſſori*. Ipſum etiam eſt virtus Dei; & ideo eſt efficax ad infirmitatem tollendum vt patet *in textu*.

Sed quia hæc medicina tantæ eſt efficaciæ, vt omnes ſanare poſſit,
Luca. 6. v. 19. *Virtus exibat de illo & ſanabat omnes.* Ideo ab hac vniuerſali medicina, & prima, aliæ particulares medicinæ procedunt, vniuerſali medicinæ conformes, quibus mediantibus virtus vniuerſalis medicinæ proueniat ad infirmos.

Et hæc ſunt ſacramenta, in quibus ſub tegumento rerum viſibilium, diuina virtus ſecretiùs operatur ſalutem.

Sic ergo in verbis propoſitis tria tanguntur, ſcilicet confectio medicinæ, ſanatio ab infirmitate, & liberatio à morte. Confectio medicinæ tangitur in hoc quod dicit, *Miſit Verbum ſuum*; quod quidem referendum eſt, & ad Verbi incarnationem, & ad ſacramentorum inſtitutionem, in quibus accedit Verbum ad elementum, & fit ſacramentum; vt ſic ſit conformitas ſacramenti ad Verbum incarnatum: *Sanctificatur enim creatura ſenſibilis per verbum Dei & orationem.* 1. Tim. 4. v. 5.

Sanatio autem ab infirmitate peccati & reliquiarum eius, tangitur in hoc quod dicitur, *Et ſanauit eos*; quæ quidem ſanatio per ſacramenta fit. Vnde dicitur, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, quantùm ad peccata: *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*, quantùm ad peccatorum reliquias. Pſ. 102. v. 3.

Liberatio autem à morte tangitur, in hoc quod dicitur, *Et eripuit eos de interitionibus eorum.* Et quia interitus in mortem violentam ſonare videtur; ideo congruè ad pœnalem mortem referri poteſt; quia ratio pœnæ eſt vt contra voluntatem ſit; ſicut ratio vt ſit voluntaria. Et ideo culpa ad infirmitatem reducitur, pœna ad mortem; quia via ad pœnam eſt culpa, ſicut infirmitas ad mortem.

Non ſolùm autem ſeparatio animæ à corpore, mors dici poteſt; ſed etiam omnes præſentis

847

quæ circa humanitatem Chriſti acta ſunt, diuinâ diſpoſitione geſta creduntur. Et hæc eſt ſubjectio ſeruitutis, ſecundùm quod omnis creatura Deo ſeruit, eius ordinationi ſubjecta, vt patet *in textu.* Et ſecundùm hoc etiam filius Dei dicitur, *Formam ſerui accepiſſe.*

Phil. 2. *v.* 7.

Tertiam etiam ſubjectionem attribuit ſibi ipſi dicens, *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Et hæc eſt ſubjectio obedientiæ; vnde dicitur quòd, *Factus eſt obediens patri vſque ad mortem.* 3. *p. q.* 20. *art.* 1 *in corpore.*

Ioan. 8 *v.* 29. *Phil* 2. *v.* 8.

SAPIEN. *Cap.* 16. *v.* 29.

Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcet.

ARguitur, nullus debet alteri præbere occaſionem peccandi: ſed ingratus beneficium recipiens ſumit occaſionem ingratitudinis; ergo non eſt ingrato beneficium dandum.

2. *In quo quis peccat, per hoc & torquetur*: ſed ille qui ingratus eſt beneficio accepto peccat contra beneficium; ergo eſt beneficio priuandus.

Sap. 11. *v.* 17.

Sed contra eſt quod dicitur quòd, *Altiſſimus benignus eſt ſuper ingratos & malos*: ſed per eius imitationem nos filios eſſe oportet; ergo non debemus ingratis beneficia ſubtrahere.

Luca 6. *v.* 35

Dicendum quòd circa ingratum duo conſideranda ſunt: *primò* quidem quid eſt quod ipſe dignus ſit pati: & ſic certum eſt quòd meretur beneficij ſubtractionem.

Alio modo, conſiderandum eſt quid oporteat beneficum facere. Primò namque non debet eſſe facilis ad ingratitudinem iudicandam; quia frequenter aliquis qui non reddidit, gratus eſt; quia fortè non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi.

Ingratus quo modo tractandus.

Secundò debet tendere ad hoc quòd de ingrato gratum faciat. Quòd ſi non poteſt primo beneficio facere, fortè faciet ſecundo.

Si verò ex beneficijs multiplicatis ingratitudinem augeat, & peior fiat; debet à beneficiorum exhibitione ceſſare. Et ſic *textus* loquitur, id eſt, quantùm ad id quod ingratus dignus eſt pati.

Ad 1. R. quòd ille qui ingrato beneficium exhibet, non dat ei occaſionem peccandi, ſed magis gratitudinis & amoris. Si verò ille qui accipit, ingratitudinis exinde occaſionem ſumat, non eſt danti imputandum.

Ad 2. R. quòd ille qui beneficium dat, non ſtatim ſe debet exhibere punitorem ingratitudinis, ſed priùs pium medicum, vt ſcilicet iteratis beneficijs ingratitudinem ſanet. 22. *q.* 107. *art.* 4.

SAPIEN. *Cap.* 17. *v.* 10.

Semper præſumit ſæua perturbata conſcientia.

CItatur 2. 2. *q.* 21. *art.* 3. *ad primum.*

SAPIEN. *Cap.* 18. *v.* 24.

In veſte Aaron erat deſcriptus orbis terrarum.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 28. *v.* 4.

Libri Sapientiæ Finis.

X

LIBER ECCLESIASTICI
CAPVT. I. *Verſ.* 1.

Omnis Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.

ARguitur, de ratione temporis eſt quòd habeat prius & poſterius; de ratione verò æternitatis eſt quòd ſit tota ſimul: ſed æuum non eſt æternitas; dicitur enim *in textu* quòd ſapientia æterna eſt ante æuum; ergo non eſt totum ſimul, ſed habet prius & poſterius, & ita eſt tempus.

Ad argum. R. quòd æuum eſt totum ſimul, non tamen eſt æternitas; quia compatitur ſecum prius & poſterius. *1. p. q. 10. art. 5. ad ſecundum.*

ECCLI. *Cap.* 1. *v.* 3.

Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigabit?

CItatur ſupra *Iob cap.* 40. *v.* 4.

ECCLI. *Cap.* 1. *v.* 4.

Primò omnium creata eſt ſapientia.

HÆc auctoritas ſecundùm Aug. intelligitur de ſapientia creata, quæ eſt in natura angelica; quæ tamen ſecundùm ipſum non priùs creata eſt tempore, ſed dignitate.

Secundùm verò Hilarium intelligitur de ſapientia increata, quæ eſt filius Dei; quæquidem ſimul dicitur & creata & genita, vt patet, vt omnis imperfectio à natiuitate filij Dei excludatur.

In creatione enim attenditur imperfectio ex parte creati, inquantum de nihilo in eſſe educitur. Sed perfectio ex parte creantis, qui abſque ſui immutatione creaturas producit. *Prou.* 8. *v.* 24.

In natiuitate verò eius eſt contrario; quia importatur perfectio ex parte nati, inquantum accipit naturam generantis: ſed imperfectio ex parte generantis ſecundùm modum inferioris generationis; inquantum generat cum ſui immutatione, vel diuiſione ſuæ ſubſtantiæ.

Et ideo ſimul filius Dei & creatus, & genitus dicitur; vt per creationem excludatur generantis mutatio; & ex natiuitate geniti imperfectio; & ex vtroque vnus intellectus conſtituatur perfectus. *In quæſt. diſp. q.* 3. *de potentia art.* 18. *ad decimum ſeptimum. Simile* 1. *p. q.* 41. *art.* 3. *ad quartum.*

Digitized by Google

848

ECCLI. *Cap.* I. *v.* 5.

Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.

EXplicatur ſupra *Sapientiæ cap.* 16. *v.* 11. *vid. lib.* 1. *ſent. diſt.* 34. *q.* 2. *ad ſecundum, Et* 3. *p. q.* 10. *art.* 4. *in corpore.*

ECCLI. *Cap.* I. *v.* 9.

Ipſe creauit ſapientiam in ſpiritu ſancto.

QVòd dicitur ſapientiam eſſe creatam, *primò* quidem poteſt intelligi non de ſapientia quæ eſt filius Dei; ſed de ſapientia quam Deus indidit creaturis, vt patet *in textu.*

Eccl 24. *v.* 14. Poteſt etiam referri ad naturam creatam aſſumptam à filio, vt ſit ſenſus, *Ab initio & ante ſecula creata ſum*, id eſt, præuiſa ſum creaturæ vnirj.

Vel per hoc quòd ſapientia & creata & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis inſinuatur. In generatione enim quod generatur, accipit naturam generantis, quod pefectionis eſt.

Sed in generationibus quæ ſunt apud nos, generans ipſe mutatur, quod imperfectionis eſt. In creatione verò creans non mutatur, ſed creatum non recipit naturam creantis.

Dicitur ergo ſimul filius creatus & genitus, vt ex creatione accipiatur immutabilitas patris; ex generatione vnitas naturæ in patre & filio.

Eccli. 24 *v.* 5. *Col.* 1. *v.* 15. Quòd verò filius dicitur, *Primogenitus creaturæ*; non ex hoc eſt quòd filius ſit in ordinatione creaturarum; ſed quia filius eſt à patre, & à patre accipit, à quo ſunt & accipiunt creaturæ: ſed filius accipit à patre eandem naturam, non autem creaturæ.

Vnde & filius non ſolùm primogenitus dicitur, ſed etiam vnigenitus, propter ſingularem modum accipiendi. *Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 8.

Idem locus citatur ſupra *Leuit. cap.* 20. *v.* 8. *vid.* 1. *p. q.* 41. *art.* 3. *ad quartum.*

ECCLI. *Cap* I. *v.* 10.

Et effudit illam ſuper omnia opera ſua.

ARguitur, acquirere ſcientiam ab homine docente, videtur eſſe nobilius quàm acquirere à rebus ſenſibilibus; quia in anima hominis docentis ſunt ſpecies intelligibiles in actu; in rebus autem ſenſibilibus ſunt ſpecies intelligibiles ſolùm in potentia.

Sed Chriſtus accipiebat ſcientiam experimentalem ex rebus ſenſibilibus; ergo multò magis poterat accipere ſcientiam addiſcendo ab hominibus.

Ad argum. R. quòd ille qui addiſcit ab homine, non accipit immediate ſcientiam à ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt in mente ipſius; ſed mediantibus vocibus ſenſibilibus, tanquam ſignis intelligibilium conceptionum.

Sicut autem voces ab homine formatæ, ſunt ſigna intellectualis ſcientiæ ipſius: ita creaturæ à Deo conditæ, ſunt ſigna ſapientiæ eius, vt patet *in textu.* Chriſti ſcientiã experimentalis.

Sicut igitur dignius eſt doceri à Deo, quàm ab homine: ita dignius eſt accipere ſcientiam per

Digitized by Google

ſenſibiles creaturas, quàm per hominis doctrinam. 3 *p. q. 12. art.* 3. *ad ſecundum.*

Idem locus citatur ſupra *Sapientiæ cap.* 13. *v.* 1. *q.* 29. *de verit. art.* 3. *in corpore. Et contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 87.

ECCLI. *Cap.* 1. *v.* 25.

Radix ſapientiæ eſt timere Dominum.

Iob. 28. *v.* 28. ARguitur, nihil eſt principium ſuijpſius: *Sed timor Dei ipſe eſt ſapientia*; ergo videtur quòd timor Dei non ſit initium ſapientiæ.

2. Principio non eſt aliquid prius: ſed fides præcedit timorem; ergo.

Pſ. 110. *v.* 10. Sed contra eſt quod dicitur, *Initium ſapientiæ timor Domini.*

Dicendum quod initium ſapientiæ poteſt aliquid dici dupliciter: vno modo quia eſt initium ipſius ſapientiæ quantùm ad eius eſſentiam. Alio modo quantùm ad eius effectum. Sicut initium artis ſecundùm eius eſſentiam ſunt principia, ex quibus procedit ars: initium autem artis ſecundùm eius effectum, eſt vnde incipit ars operarj. Sicut ſi dicamus quòd principium artis ædificatiuæ eſt fundamentum; quia ibi incipit ædificator operari.

Cùm autem ſapientia ſit cognitio diuinorum, aliter conſideratur à nobis, & aliter à Philoſophis. Quia enim vita noſtra ad diuinam fruitionem ordinatur & dirigitur ſecundùm quandam participationem diuinæ naturæ, quæ eſt per gratiam: ſapientia ſecundùm nos non ſolùm conſideratur vt eſt cognoſcitiua Dei, ſicut apud Philoſophos, ſed etiam vt eſt directiua humanæ vitæ; quæ non ſolùm dirigitur ſecundùm rationes humanas, ſed etiam ſecundùm rationes diuinas.

Sic ergo initium ſapientiæ ſecundùm eius eſſentiam, ſunt prima principia ſapientiæ, quæ ſunt articuli fidei. Et ſecundùm hoc fides dicitur ſapientiæ initium. *Sapientiæ initium duplex.*

Sed quantùm ad effectum, initium ſapientiæ eſt, vnde ſapientia incipit operari: & hoc modo timor eſt initium ſapientiæ.

Aliter tamen timor ſeruilis, & aliter timor filialis: timor enim ſeruilis eſt ſicut principium extra diſponens ad ſapientiam, inquantum aliquis timore pœnæ diſcedit à peccato, & habilitatur per hoc ad ſapientiæ effectum, ſecundùm illud, *Timor Domini expellit peccatum.* *Timor duplex.* *Eccl.* 1. *v.* 27.

Timor autem caſtus vel filialis, eſt initium ſapientiæ ſicut primus ſapientiæ effectus. Cùm enim ad ſapientiam pertineat quòd humana vita reguletur ſecundùm rationes diuinas, hinc oportet ſumere principium vt homo Deum reuereatur, & ſe ei ſubijciat. Sic enim conſequenter in omnibus ſecundùm Deum regulabit.

Ad 1. R. quòd timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per ſapientiam Dei regulatam, ſicut radix ad arborem, vt patet *in textu.* Et ideo ſicut radix virtute dicitur eſſe tota arbor; ita timor Dei dicitur eſſe ſapientia.

Ad 2. R. quòd alio modo fides eſt principium ſapientiæ, & alio modo timor. Vnde dicitur, *Timor Dei initium dilectionis eſt.* *Eccl.* 25. *v.* 16.

849

Initium autem fidei, agglutinandum eſt ei. 22. q. 19. art. 7.

ECCLI. *Cap. 1. v. 27.*

Timor Domini expellit peccatum.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap. 15. v. 27. & Eccleſiaſtici cap. 1. v. 25. vid. lib. 3. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 5. ad ſecundum.*

ECCLI. *Cap. 1. v. 28.*

Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.

ARguitur, ad iuſtitiam homo peruenit per viam timoris, vt patet *in textu*: ſed per timorem homo non mouetur in Deum, ſed magis in pœnas; ergo motus liberi arbitrij qui requiritur ad iuſtificationem impij, non eſt motus in Deum.

Ad argum. R. quòd timor ſeruilis qui habet oculum ad pœnam, tantùm requiritur ad iuſtificationem vt diſpoſitio præcedens, non autem vt intrans ſubſtantiam iuſtificationis; quia ſimul cum charitate eſſe non poteſt; ſed introeunte charitate timor diſcedit. Vnde dicitur, *Timor non eſt in charitate.*

Timor duplex. 1. *an.* 4 *v.* 18.

Timor autem filialis qui timet ſeparationem includitur virtute in motu amoris; eiuſdem enim rationis eſt deſiderare conjunctionem amati, & timere ſeparationem. *In quaeſt. diſp. q. 28. de verit. art. 4. ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerbior. cap. 28. v. 1.*

ECCLI. *Cap. 2. v. 8. & 9.*

Qui timetis Dominum, credite illi.

PRæcepta legis ſunt de actibus virtutum: ſed de actibus fidei, ſpei & charitatis dantur præcepta in lege diuina; vt patet de fide *in textu*, & de ſpe, *Qui timetis Dominum, ſperate in illum*; & de charitate, *Qui timetis Dominum diligite* illum; ergo fides, ſpes, & charitas ſunt virtutes in Deum ordinantes. 1. 2. *q. 62. art. 1. ſed contra.*

Eccli. 2. v. 9.

ECCLI. *Cap. 2. v. 10.*

Qui timetis Dominum, credite illi.

ARguitur, effectus non præcedit cauſam: ſed timor præcedit fidem, vt patet *in textu*; ergo timor non eſt effectus fidei.

Ad argum. R. quòd timor Dei non poteſt vniuerſaliter præcedere fidem; quia ſi omnino eius ignorantiam haberemus, quantùm ad præmia vel pœnas, de quibus per fidem inſtruimur; nullo modo eum timeremus.

Sed ſuppoſitâ fide de aliquibus articulis fidei, putà de excellentia diuina, ſequitur timor reuerentiæ: ex quo ſequitur vlteriùs vt homo intellectum ſuum Deo ſubijciat ad credendum omnia quæ ſunt promiſſa à Deo. Vnde ibi ſequitur, *E non euacuabitur merces veſtra. 2. 2. q. 7. art. 1. ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 20. v. 2.*

ECCLI. *Cap. 2. v. 23.*

Secundùm magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt.

Nonite- ratur baptiſ- mus ſed pœnitē- tia propter qua- tuor.

MAgnitudo Dei eſt infinita; ergo & miſericordia; non ergo coarctatur per vnam pœnitentiam, vt poſt modum ad ſe conuerſis non pateat. Cauſa autem quare iteratur pœnitentia & non baptiſmus, quadruplex eſt *Prima* eſt, quia pœnitentia non imprimit characterem ſicut baptiſmus; character enim indelebilis eſt.

Secunda, quia baptiſma eſt contra morbum non iterabilem, ſcilicet originale peccatum: pœnitentia autem contra actuale peccatum quod iteratur.

Tertia cauſa eſt, quia baptiſmus habet totam efficaciam à paſſione Chriſti ſine actu noſtro; & ideo quia paſſio eſt vna tantùm, & baptiſmus vnus: ſed pœnitentia etiam requirit actum noſtrum; & ideo ratione eius iterationem ſuſcipit.

Quarta quia baptiſma eſt generatio ſpiritualis: ſed pœnitentia eſt quædam ſanatio ſpiritualis. Simul autem aliquid generatur; ſed pluries curari ſiue ſanati poteſt, quandiu in hac vita viuit. *Lib. 4. ſent. diſt* 14. *q.* 1. *art.* 4. *q* 3.

ECCLI. *Cap 3. v. 22.*

Altiora te ne quæſieris.

VErum eſt ex confidentia propriarum virium; ſed ex confidentia diuini auxilij, poſſumus eleuata ſupra noſtrum poſſe ſpeculari. *In diuiſione textus prologi libri 1. ſent.*

Altiora te ne quæſieris. Quæ ſunt altiora hominis cognitione, non ſunt ab homine per rationem inquirenda: ſunt tamen à Deo reuelata ſuſcipienda per fidem. Vnde *Ibidem* ſubditur, *Plurima ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*: 1. *p. q.* 1. *art.* 1. *ad primum. vid. lib. 1. Contra Gentiles cap.* 5.

ECCLI. *Cap. 3. v. 27.*

Cor durum habebit malè in nouiſſimo.

ARguitur, idem effectus non attribuitur cauſis contrarijs: ſed cauſa excæcationis dicitur eſſe malitia hominis, ſecundùm illud *Excæcauit eos malitia eorum.* Et Sap. 2. v. 21.
etiam diabolus, ſecundùm illud, 2 Cor. 4.
Deus huius ſeculi excæcauit mentes v. 4.
infidelium; quæ quidem cauſæ videntur eſſe contrariæ; ergo Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis.

Sed contra eſt quod dicitur, *Exæca cor populi huius, & aures* Eſa. 6. v. 10.
eius aggraua. Et dicitur, *Cuius* Rom. 9.
vult miſeretur, & quem vult indurat. v. 18.

Dicendum quòd excæcatio & obduratio duo important; quorum vnum eſt motus animi humani inhærentis malo, & auerſi à diuino lumine. Et quantùm ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati.

Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ; ex qua ſequitur quòd mens diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè viuendum. Et quantùm ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis & obdurationis.

Digitized by Google

Eſt autem conſiderandum quòd Deus eſt cauſa vniuerſalis illuminationis animatum, ſecundùm illud, *Erat lux vera*, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ſicut ſol eſt vniuerſalis cauſa illuminationis corporum; aliter tamen, & aliter. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ.

Ioan. 1. *v.* 9.

Quomodo differunt ſol & Deus in illuminando.

Sol autem, licet quantùm eſt de ſe, omnia corpora illuminet: ſi quod tamen impedimentum inueniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum: ſicut patet de domo, cujus feneſtræ ſunt clauſæ. Sed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol; non enim ſuo iudicio agit, vt lumen interius non immmitat; ſed cauſa eius eſt ſolùm ille qui clauſit feneſtram.

Deus autem proprio iudicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obſtaculum inuenit. Vnde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt, non ſolùm ille qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus, qui ſuo iudicio gratiam non apponit.

Et per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggrauationis aurium, & obdurationis cordis: quæ quidem diſtinguuntur ſecundùm effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono ſapientiæ, & affectum emollit igne charitatis.

Et quia ad cognitionem intellectus maximè deſeruiunt duo ſenſus, ſcilicet viſus & auditus; quorum vnus deſeruit inuentioni, ſcilicet, viſus; alius diſciplinæ ſcilicet auditus: ideo quantùm ad viſum, ponitur excæcatio; quantùm ad auditum aurium, aggrauatio; quantùm ad affectum, obduratio.

Nota quòd cùm excæcatio & induratio ex parte ſubtractionis gratiæ ſint quædam pœnæ; ex hac parte eis homo non fit deterior: ſed deterior factus per culpam, hæc incurrit ſicut & cæteras pœnas.

Ad argum. R. quòd malitia eſt cauſa excæcationis meritoria; ſicut culpa eſt cauſa pœnæ. Et hoc etiam modo diabolus excæcare dicitur, inquantum inducit ad culpam. 1. *2. q. 79. art. 3.*

ECCLI. *Cap. 3. v. 33.*

Ignem ardentem extingit aqua.

EXplicatur ſupra *Geneſis. cap. 7. 2. 17.*

ECCLI. *Cap. 4. v. 7.*

Congregationi pauperum affabilem te facito.

CItatur *2. 2. q.* 114 *art.* 1. *ſed contra.*

ECCLI. *Cap. 4. v.* 10.

In iudicando eſto pupillis miſericors.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 23. v. 3.*

ECCLI. *Cap. 4. v. 30.*

Non contradicas verbo veritatis vllo modo.

ARguitur, non aliquis magis tenetur alteri, quàm ſibi ipſi: ſed laudabile eſt, ſi patienter

Digitized by Google

homo ſuos detractores toleret; ergo non peccat aliquis, ſi detractionibus aliorum non reſiſtat.

2. Quandoque aliquis qui detrahit, verba veritatis dicit: ſed non eſt contradicendum verbo veritatis, vt patet *in textu*; ergo aliquis non debet illos detractores impedire.

3. Nullus debet impedire id quod eſt in vtilitatem aliorum: ſed detractio frequenter eſt in vtilitatem aliorum contra quos detrahitur; ergo.

Dicendum quòd ſecundùm Apoſtolum, *Digni ſunt morte, non ſolùm qui peccata faciunt, ſed etiam qui facientibus peccata conſentiunt.* Rom. 1. v. 32.

Homo peccat dupliciter.

Quod quidem contingit dupliciter: vno modo directè, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè, quando ſcilicet non reſiſtit, cùm reſiſtere poſſit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, ſed propter aliquem humanum timorem.

Contra detractores.

Dicendum eſt ergo quòd ſi aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire: vnde fit particeps peccati eius. Et ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio propter odium eius cui detrahitur; non minus peccat quàm detrahens, & quandoque magis.

Si verò non placeat ei peccatum, ſed ex timore vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem; peccat quidem, ſed multò minùs quàm detrahens, & plerumque venialiter.

Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale, vel propter hoc quòd alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum quod audiens nouit conſequens, vel propter radicem qua timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatum mortale.

Ad 1. R. quòd detractiones ſuas nullus audit; quia ſcilicet mala quæ dicuntur de aliquo, eo audiente, non ſunt detractiones, propriè loquendo, ſed contumeliæ. Poſſunt tamen ad notitiam alicuius detractiones contra ipſum factæ aliorum relationibus peruenire. Et tunc ſui arbitrij eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum. Et ideo in hoc poteſt commendari eius patientia, quòd patienter proprias detractiones ſuſtinet.

Non autem eſt ſui arbitrij quòd patiatur detrimentum famæ alterius: & ideo in culpam ei vertitur ſi non reſiſtit, cùm poſſit reſiſtere: eadem ratione qua tenetur aliquis, *Subleuare aſinum alterius iacentem ſub onere.* Deut. 22. v. 4.

Ad 2. R. quòd non ſemper aliquis debet reſiſtere detractori arguendo eum de falſitate: & maximè ſi quis ſciat verum eſſe quod dicitur. Sed debet eum verbis redarguere de hoc quòd peccat, fratri detrahendo, vel ſaltem oſtendere quòd ei detractio diſpliceat per triſtitiam faciei; quia vt dicitur, *Ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Prou. 25. v. 23.

Ad 3. R. quòd vtilitas quæ ex detractione prouenit, non eſt ex intentione detrahentis, ſed ex Dei ordina-

Digitized by Google

851

ordinatione, qui ex quolibet malo elicit bonum. Et ideo nihilominus eſt detractoribus reſiſtendum; ſicut & raptoribus, vel oppreſſoribus aliorum: quamuis ex hoc oppreſſis vel ſpoliatis per patientiam meritum creſcat. 2. 2. *q.* 73. *art.* 4.

ECCLI. *Cap.* 5. *v.* 2.

Altiſſimus patiens redditor eſt.

CItatur 2. 2. *q.* 136. *art.* 5. *ad primum.*

ECCLI. *Cap.* 5. *v.* 5.

De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu.

HOc docet quòd ſemper debet homo dolere ad peccatorum propitiationem habendam. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 4. *ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 10, *v.* 12.

ECCLI. *Cap.* 5. *v.* 8.

Ne tardes conuerti ad Dominum.

CItatur 3. *p. q.* 68. *art.* 3. *ſed contra.*

ECCLI. *Cap* 5. *v.* 17.

Denotatio peſſima ſuper bilinguem ſuſurratori autem odium & inimicitia.

CItatur *Lib.* 2. *Paralip. cap.* 19. *v.* 2.

ECCLI. *Cap.* 6. *v.* 5.

Lingua Eucharis in bono homine abundabit.

CItatur 2. 2. *q.* 177. *art.* 1. *ſed contra.*

ECCLI. *Cap.* 6. *v.* 15.

Amico fideli nulla eſt comparatio.

EXplicatur ſupra *Lib.* 2. *paralip. cap.* 19. *v.* 2.

ECCLI. *Cap.* 6. *v.* 23.

Sapientia doctrinæ ſecundùm nomen eius.

CItatur 2. 2. *q.* 45. *art.* 2. *ad ſecundum.*

ECCLI. *Cap.* 6. *v.* 26.

Subijce humerum tuum, & porta Sapientiam, & non acidieris in vinculis eius.

ILlud quod interdicitur in ſacra ſcriptura, peccatum eſt: ſed acedia eſt hujuſmodi, vt patet *in textu*; ergo eſt peccatum. 2. 2. *q.* 35. *art.* 1. *ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Leuit. cap.* 19. *v.* 17.

ECCLI. *Cap.* 6. *v.* 34.

Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam.

SCilicet humiliter audiendo. 2. 2. *q.* 162. *art.* 3. *ad primum.*

ECCLI. *Cap.* 6. *v.* 35.

In multitudine presbyterorum prudentium ſta.

EXplicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 3. *v.* 5.

Digitized by Google

ECCLI. *Cap. 7. v. 6.*

Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.

AD iudicium faciendum tria requiruntur; *Primò* quidem poteſtas ſubditos coercendi, vt patet *in textu*.

Secundò, requiritur rectitudinis zelus, vt ſcilicet aliquis non ex odio vel liuore, ſed ex amore iuſtitiæ iudicium proferat, ſecundùm illud, *Quem diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.*

Prou. 3. v. 12.

In iudice tria requiruntur.

Tertiò, requiritur ſapientia, ſecundùm quam formatur iudicium: vnde dicitur, *Iudex ſapiens iudicabit populum ſuum.* 3. p. q. 59. art. 1. in corpore.

Eccli. 10 v. 1.

Idem locus explicatur ſupra *Iob cap. 36. v. 17. vid. ſupplem. q. 90. art. 1.*

ECCLI. *Cap. 7. v. 19.*

Vindicta carnis impii ignis eſt & vermis.

EXplicatur ſupra *Iudith cap. 16. v. 21.*

ECCLI. *Cap. 7. v. 26.*

Filiæ tibi ſunt? Serua corpus illarum.

CItatur ſupra *Eccle. cap. 7. v. 5.*

ECCLI. *Cap. 7. v. 29.*

Gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris.

CItatur 2. 2. q. 26. art. 10. ad tertium.

ECCLI. *Cap. 7. v. 38.*

Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.

CItatur ſupra *Eccle. cap. 7. v. 5.*

ECCLI. *Cap. 8. v. 18.*

Cum audace non eas in via, ne fortè grauet mala ſua in te.

NVllius ſocietas eſt declinanda niſi propter peccatum; ergo audacia *per textum* eſt peccatum. *2. 2. q. 127. art. 1. ſed contra. Vid. 22. q. 170. art. 1. ad primum.*

ECCLI. *Cap. 9. v. 14.*

Non derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi.

DIlectio quantò eſt diuturnior, tantò eſt fortior, vt patet *in textu*. 2. 2. q. 26. art. 9. *in corpore.*

ECCLI. *Cap. 9. v. 18.*

Longè eſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non viuificandi.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap. 24. v. 11.*

ECCLI. *Cap. 10. v. 1.*

Iudex ſapiens iudicabit populum ſuum.

EXplicatur ſupra *Eccli. cap. 7. v. 6.*

Digitized by Google

852

ECCLI. *Cap.* 10. *v.* 9.

Auaro nihil eſt ſcelestius, &c.

AVctoritates illæ loquuntur de auaritia ex parte boni cui ſubditur appetitus : vnde & pro ratione ſubditur quod, *Auarus animam ſuam habet venalem*; Quia videlicet animam ſuam, id eſt, vitam ſuam exponit periculis pro pecunia, Et ideo ſubdit, *Quoniam in vita ſua proiecit*, id eſt, contempſit, *intima ſua*, vt ſcilicet pecuniam lucretetur. 2. 2. *q.* 118. *art.* 5. *ad primum.*

ECCLI. *Cap.* 10. *v.* 14.

Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 15. *v.* 17. *Iob. cap.* 15. *v.* 2. Et *Prouerb. cap.* 6. *v.* 12. *vid. q.* 8. *de malo art.* 2. *ſed contra.* 2. 2. *q.* 162. *art.* 3. *ad tertium. art.* 5. *in corpore. Et art.* 7. *ad ſecundum.*

ECCLI. *Cap.* 10. *v.* 15.

Initium peccati ſuperbia.

EXplicatur ſupra *Geneſis. cap.* 3. *v.* 1. *vid. lib.* 2. *ſent. diſt.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *& diſt.* 42. *q.* 2 *art.* 1. *ad ſeptimum. quæſt.* 3. *de malo art.* 15. *ad quartum.* 1. 2. 84. *art.* 2. *bis.* 2. 2. *q.* 162. *art.* 5. *in corpore. Et q.* 170. *art.* 2. *ad primum. lib.* 2. *ſent. ad Annibaldum. diſt.* 5. *art.* 2. *ſed contra. & lib.* 3. *diſt.* 31. *in fine.*

ECCLI. *Cap.* 11. *v.* 2.

Non laudes virum in ſpecie ſua.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 9. *v.* 24.

ECCLI. *Cap.* 11. *v.* 14.

Bona & mala, vita & mors, paupertas & oneſtas à Deo ſunt.

NOn eſt vnum primum & per ſe malorum principium : ſed primum omnium principium eſt vnum primum bonum ; in cujus effectibus conſequitur malum per accidens. Hinc eſt quod dicitur, *ego Dominus, & non eſt alter Deus formans lucem, & creans tenebras ; faciens pacem, & creans malum; Ego Dominus faciens omnia hæc.* Hoc patet etiam *in textu.* Et, *contra malum bonum eſt, & contra virum iuſtum eſt peccator: & ſic intuere in omnia opera altiſſimi, duo contra duo, & vnum contra vnum.* (*Eſa.* 45. *v.* 6.; *Eccli.* 33. *v.* 15.)

Dicitur autem Deus facere mala, vel create, inquantum creat ea quæ ſecundùm ſe bona ſunt ; & tamen alijs ſunt nociua : ſicut lupus quamuis in ſua ſpecie quoddam bonum naturæ ſit ; tamen ouj eſt malus : & ſimiliter ignis aquæ, inquantum eſt hujuſmodi corruptiuus. Et per ſimilem modum eſt cauſa malorum in omnibus quæ pœnæ dicuntur. Vnde dicitur, *Si eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit ? Contra Gentiles lib.* 2. *cap.* 41. (*Amos.* 3. *v.* 6.)

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas, vtraque à Deo ſunt. Arguitur, in exterioribus diuitijs non conſiſtit virtus ; ergo honeſtas non eſt idem virtuti.

Ad argum. R. quòd quia ſecundùm vulgarem opinionem excellentia diuitiarum facit hominem dignum honore ; inde eſt quòd quandoque nomen honeſtatis ad exteriorem proſperitatem

transfertur. 22. *q.* 145. *art.* 1. *ad quartum.*

Paupertas, & honeſtas, id eſt, diuitiæ *à Deo ſunt*. Arguitur, diuitiæ ſub bono vtili continentur: ſed diuitiæ habent rationem honeſtatis, vt patet *in textu*. Et, *pondus ſuper ſe tollit qui honeſtiori*, id eſt, ditiori *ſe communicat*; ergo honeſtum non differt ab vtili.

Eccli. 13. *v.* 2.

Ad argum. R. quòd diuitiæ vocantur nomine honeſtatis ſecundùm opinionem multorum qui diuitias honorant. Vel inquantum ordinantur organicè ad actus virtutum. 2. 2. *q.* 145. *art.* 3. *ad ſecundum.*

ECCLI. *Cap.* 11. *v.* 23.

Facile eſt in conſpectu Dei ſubitò honeſtare pauperem.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1 *Regum. cap* 7. *v* 3. *& Prouerb. cap.* 4. *v.* 18. *vid.* 3. *p. q* 5'. *art.* 4 *ad primum.*

ECCLI. *Cap.* 11. *v.* 30.

Ante mortem ne laudes hominem.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 9. *v.* 24.

ECCLI. *Cap.* 11. *v.* 33.

Contra malum bonum eſt, & contra virum iuſtum eſt peccator.

EXplicatur ſupra *Eccli. cap.* 11. *v.* 14.

ECCLI. *Cap.* 12 *v.* 3.

Altiſſimus odio habet peccatores.

CItatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 29. *v.* 19.

ECCLI. *Cap.* 12. *v.* 4. & 6.

Da miſericordi, & ne ſuſpicias peccatorem; bene fac humili, & non des impio.

VIdetur *per textum* quòd non ſit magis propinquioribus eleemoſyna facienda; nam quandoque contingit quòd noſtri propinqui ſunt peccatores & impij.

Sed contra eſt quòd Apoſtolus dicit, *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

1. *Tim.* 5 *v.* 8.

Dicendum quòd illi qui ſunt nobis magis conjuncti, quaſi quadam ſorte nobis obuenit, vt eis magis prouidere debeamus.

Eſt tamen circa hoc diſcretionis ratio adhibenda ſecundùm differentiam conjunctionis, & ſanctitatis, & vtilitatis: nam multo ſanctiori magis indigentiam patienti, & magis vtili ad commune bonum, eſt magis eleemoſyna danda, quàm perſonæ propinquiori; maximè ſi non ſit multùm conjuncta, cujus cura ſpecialis nobis non immineat; & ſi magnam neceſſitatem non patiatur.

Ad argum. R. quòd peccatori non eſt ſubueniendum, inquantum eſt peccator, id eſt, vt per hoc in peccato foueatur; ſed inquantum homo eſt, id eſt, vt natura ſuſtentetur. 22. *q.* 32. *art.* 9. *ſimile* 22 *q.* 31. *art.* 2. *ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Sapientiæ cap.* 11. *v.* 25.

Digitized by Google

353

Eccli. *Cap* 12. *v.* 16.

Inimicus ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine.

Explicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 27. *v.* 4.

Eccli. *Cap.* 13. *v.* 2.

Pondus ſuper ſe tollit qui honeſtiori ſe communicat.

Explicatur ſupra *Eccli cap.* 11. *v.* 14.

Eccli. *Cap* 13. *v.* 19.

Omne animal diligit ſimile ſibi.

Arguitur, in Angelis eſt perfecta dilectio; nihil ergo eis ſubtrahendum eſt quòd ad perfectionem dilectionis pertineat. Sed quòd ſint plures vnius ſpeciei pertinet ad perfectionem dilectionis; quia omnia animalia vnius ſpeciei naturaliter ſe inuicem diligunt, vt patet *in textu*, ergo in Angelis ſunt plures vnius ſpeciei.

Ad argum. R. quòd cùm affectio ſequatur cognitionem; quantò cognitio eſt vniuerſalior, tantò affectio eam ſequens magis reſpicit commune bonum: & quantò cognitio eſt magis particularis, tantò affectio ipſam ſequens magis reſpicit priuatum bonum. Vnde & in nobis priuata dilectio ex cognitione ſenſitiua exoritur; dilectio vero communis & abſoluti boni ex cognitione intellectiua.

Angelorum inter ſe dilectio. Quia ergo Angeli, quantò ſunt altiores, tantò habent ſcientiam magis vniuerſalem: ideo eorum dilectio maximè reſpicit commune bonum. Magis ergo diligunt ſe inuicem, ſi ſpecie differunt, quod magis pertinet ad perfectionem vniuerſi, quàm ſi in ſpecie conuenirent, quod pertineret ad bonum priuatum vnius ſpeciei. *In quæſt. diſp. q. de ſpiritual. creaturis art.* 8. *ad quintum.*

Omne animal diligit ſimile ſibi. Arguitur, ſimilitudo eſt ratio dilectionis, vt patet *in textu*: ſed major eſt ſimilitudo hominis ad proximum ſuum, quàm ad Deum; ergo non eſt iſte ordo in charitate, vt primò diligatur Deus.

Ad argum. R. quòd in dilectione cujus principale objectum eſt ipſe diligens, neceſſe eſt quòd magis diligatur id quod eſt diligenti ſimilius; ſicut accidit in dilectione naturali. Sed in dilectione charitatis principale objectum eſt ipſe Deus: vnde magis diligendum eſt ex charitate quod magis eſt vnum cum Deo, cæteris paribus. *In quæſt. diſp. q. de charitate art.* 9. *ad quintum.*

Omne animal diligit ſimile ſibi. Vnumquodque diligit ſibi ſimile, vt patet *in textu*: ſed intantum aliquid eſt melius, inquantum eſt Deo ſimilius: ergo meliora magis diliguntur à Deo. 1. *p. q.* 20. *art.* 4. *ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Deuter. cap.* 10. *v.* 19. *lib.* 3. *Regum cap.* 10 *v.* 5. *Eccle. cap.* 1. *v.* 9. *& prouerb. cap.* 13. *v.* 10. *vid. lib.* 4. *ſent. diſt.* 48. *q.* 2. *art.* 1. *ſed contra.* 1. *p. q.* 96. *art.* 3. *ad ſecundum. Et ſupplem. q.* 91. *art.* 1. *ſed contra.*

ECCLI. *Cap. 14. v. 5.*

Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit?

EXplicatur ſupra *Lib. 3. Regum cap. 19. v. 10. & Eccle. cap. 6. v. 2.*

ECCLI. *Cap. 14. v. 22.*

Beatus vir qui in ſapientia morabitur.

EXplicatur ſupra *Sapientia cap. 6. v. 21.*

ECCLI. *Cap. 15. v. 3.*

Cibabit illum pane vitæ & intellectus.

CItatur ſupra *Prouerb. cap. 9. v. 2.*

ECCLI. *Cap. 15. v. 5.*

Impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus:

SEd ſapientia & intellectus quidam habitus ſunt; ergo aliqui habitus homini à Deo infunduntur. *1. 2. q. 51. art. 4. ſed contra.*

Idem locus citatur ſupra *Lib. 2. Paralip. cap. 1. v. 12.*

ECCLI. *Cap. 15. v. 9.*

Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

AD dæmones non pertinet glorificare Deum, vt patet *in textu.* Vnde Chriſtus, *Non ſinebat dæmonia loqui; quoniam ſciebant eum. 3. p. q. 44. art. 1. ad tertium.* *Marci. 1. v. 34.*

ECCLI. *Cap. 15. v. 14.*

Deus fecit hominem & reliquit eum in manu conſilii ſui.

ARguitur, non reliquiſſet Deus hominem in manu conſilij ſui, ſi ſemper in voluntate operaretur; ergo non operatur in voluntate hominis operante.

Ad argum. R. quòd Deus non dicitur hominem dereliquiſſe in manu conſilij ſui, quin in voluntate operetur: ſed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus, vt non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium naturæ non dedit, cùm per ſuam formam ſit determinata ad vnum. *In quæſt. diſp. q. 3. de potentia art. 7. ad duodecimum.*

Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui. In hoc quod dicitur Deum hominem ſibi reliquiſſe; non excluditur homo à diuina prouidentia: ſed oſtenditur quòd non præfigitur ei virtus operatiua determinata ad vnum, ſicut rebus naturalibus; quæ aguntur tantùm, quaſi ab altero directæ in finem: non autem ſeipſa agunt quaſi ſe dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur & eligunt. Vnde ſignanter dicit, *In manu conſilii ſui.* Homo regitur à diuina prouidentia.

Sed quia ipſe actus liberi arbitrij reducitur in Deum ſicut in cauſam, neceſſe eſt vt ea quæ ex libero arbitrio fiunt, diuinæ prouidentiæ ſubdantur: prouidentia enim hominis continetur ſub prouidentia Dei, ſicut cauſa particularis ſub cauſa vniuerſali.

854

Hominum autem iuſtorum quodam excellentiori modo Deus habet prouidentiam, quam impiorum, inquantum non permittit contra eos euenire aliquid quod finaliter impediat ſalutem eorum: nam, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Rom. 8. v. 28.

Sed ex hoc ipſo quòd impios non retrahit à malo culpæ, dicitur eos dimittere; non tamen ita quòd totaliter ab eius prouidentia excludantur; alioquin in nihilum deciderent, niſi per eius prouidentiam conſeruarentur. 1. *p. q.* 22. *art.* 2. *ad quartum. Simile in quæſt. diſp. q.* 5. *de verit. art.* 5. *ad quartum.*

Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui. Arguitur, non eſt aliquid faciendum contra inſtitutionem diuinam: ſed hoc habet diuina inſtitutio vt homo ſuo conſilio regatur, vt patet *in textu*; ergo non tenetur vnus homo alteri obedire.

Ad argum. R. quòd Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui; non quia liceat ei facere omne quod velit; ſed quia ad id quod faciendum eſt non cogitur neceſſitate naturæ, ſicut creaturæ irrationales: ſed libera electione ex proprio conſilio procedente.

Et ſicut ad alia facienda debet procedere proprio conſilio; ita etiam ad hoc quòd obediat ſuis ſuperioribus. 22. *q.* 104. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap.* 3. *v.* 1. *leuit. cap.* 24. *v.* 12. *Deuter. cap.* 30. *v.* 15. *Eccle. cap.* 9. *v.* 11. & *prouerb. cap.* 21. *v.* 1.

Idem locus citatur *In quæſt. diſp. q.* 4. *de malo art.* 1. *ad primum.* Et *q.* 6. *art.* 1. *ſed contra.* 1. 2. *q.* 2. *art.* 5. *in corpore. q.* 10 *art.* 4. *ſed contra q.* 91. *art.* 4. *ad ſecundum.* & *q.* 109. *art.* 8. *ad tertium.*

ECCLI. *Cap.* 15. *v.* 16.

Si volueris ſeruare mandata, ſeruabunt te.

Citatur *In quæſt. diſp. q.* 3. *de malo art.* 0. *ad primum.*

ECCLI. *Cap.* 15. *v.* 17.

Appoſuit tibi ignem & aquam &c.

Explicatur ſupra *Deuter. cap.* 30. *v.* 15.

ECCLI. *Cap.* 16. *v.* 16.

Non dicas à Deo abſcondar.

Deus ſingularia cognoſcit, vt patet *in textu.* Alias ſequeretur Deum eſſe inſipientiſſimum, cùm homines ea cognoſcant. Et quamuis id quo intellectus diuinus intelligit immateriale ſit, eſt tamen & materiæ & formæ ſimilitudo, ſicut primum principium productiuum vtriuſque. *Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 65.

ECCLI *Cap.* 17. *v.* 1.

Deus de terra creauit hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum.

Citatur ſupra *Geneſis. cap.* 1. *v.* 31.

mines habendus eſt, etiam prælato debemur. Et hæc correptio ad prælatos taliter fieri debet, vt non aliquid reuerentiæ ſubtrahatur. Et ideo dicitur, *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem.* *1.Tim.5, v.1.*

Ad 1. R. quòd Paulus in faciem Petro coram omnibus reſtitit. Hoc autem excedit modum fraternæ correptionis, quæ prælatis à ſubditis debetur. Non enim prælati à ſubditis coram multitudine, ſed humiliter in priuato corripiendi ſunt, niſi immineret periculum fidei; tunc enim prælatus minor fieret, ſi in infidelitatem laberetur, & ſubditus fidelis major

Ad 2 R. quòd quamuis præſumptuoſum ſit quòd aliquis ſimpliciter ſe alteri præferat in bonitate, præcipuè ſancto viro: tamen non eſt præſumptuoſum quantùm ad illud de ſe meliora ſentire. *Lib. 4. ſent. diſt. 19. q. 2. art. 2. q 3.*

Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo. Vt ſcilicet ei proſit exemplo, & verbo: ſed hoc impeditur per infamiam; ergo quilibet tenetur repellere infamiam.

Dicendum quòd vtrumque, ſcilicet & contemptus famæ, & appetitus poteſt eſſe laudabile & vitioſum. Fama enim non eſt neceſſaria homini propter ſeipſum, ſed propter proximum ædificandum. Appetere ergo famam propter proximum, charitatis eſt: appetere verò propter ſeipſum, ad inanem gloriam pertinet. E conuerſo, contemptus famæ ratione ſui ipſius, humilitatis eſt; ratione verò proximi, ignauia & crudelitas.

Illi ergo quibus incumbit ex officio, vel ex ſtatu perfectionis, aliorum ſaluti prouidere, peccant niſi infamiam propriam iuxta poſſe repellant. Alij verò quibus magis cuſtodia ſuæ propriæ ſalutis imminet, poſſunt ſuæ humilitati prouidentes, famam vel infamiam contemnere.

Sed cùm infamia dupliciter repellatur, ſcilicet occaſionem ſubtrahendo, & linguas detrahentium compeſcendo; primo modo omnes tenentur infamiam vitare: alias ſine ſcandalo actiuo tranſiri non poſſet; quod ſemper peccatum eſt. Sed ſecundo modo non tenentur, niſi quatenus debet aliquis ſaluti proximorum prouidere. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum. *Quodlib. 10. art 13.* *Quomodo fama conſeruanda.*

Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo. Vtrum aliquis poſſit prædicare propriâ auctoritate, ita vt liceat prædicare ſine licentia prælati; & videtur quòd ſic: quia prædicare eſt bonum alij facere: *Sed debemus bonum operari ad omnes.* *Gal. 6 v. 10.*

Item hoc probatur *per textum.* Sed contra, *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* *Rom. 10 v. 15.*

Dicendum quòd nullus quantumcumque ſcientiæ magnæ, vel quantumcumque ſanctitatis, niſi miſſus à Deo, vel à prælato, prædicare poteſt; quia nullum agens natum eſt agere, niſi ſupra debitam materiam: prædicatio autem & exhortatio, & doctrina, ſi ſit publica reſpiciens totam Eccleſiam, & cura publica Eccleſiæ commiſſa eſt prælatis. Et ideo nullus debet aliquid exercere quod *Non licet prædicare ſine auctoritate prælati.*

requirat auctoritatem publicam, niſi auctoritate prælati.

Ad 1 R. quòd cuilibet licet facere bonum ſibi proportionatum, non autem quodcumque bonum.

Ad 2. R. quòd mandauit Deus monere proximum priuatâ monitione & familiari. *Quodlib. 12. art. 27.*

Idem locus explicatur ſupra *Eccle. cap. 1. v. 15.*

Eccli. *Cap. 17. v. 14.*

In vnamquamque gentem præpoſuit rectorem.

Videtur quòd lex vetus non debuit dari ſoli populo Iudæorum; lex enim vetus diſponebat ad ſalutem, quæ futura erat per Chriſtum: ſed ſalus illa non erat futura ſolùm in Iudæis, ſed in omnibus gentibus, ſecundùm illud,

Eſa. 49. v. 6. *Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & faces Iſraël conuertendas; dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ*: ergo lex vetus debuit dari omnibus gentibus, & non vni populo tantùm.

Act 10. v. 34. 2. Sicut dicitur, *Non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & facit iuſtitiam; acceptus eſt illi*; Non ergo magis vni populo, quàm alijs viam ſalutis debuit aperire.

Gal. 3. v. 19. 3. Lex data eſt per Angelos, vt dicit Apoſtolus: ſed miniſteria Angelorum Deus non ſolùm Iudæis, ſed omnibus gentibus ſemper exhibuit, vt patet *in textu*. Omnibus etiam gentibus temporalia bona largitur, quæ minùs ſunt curæ Deo, quàm ſpiritualia bona; ergo etiam legem omnibus populis debuit dare.

Sed contra eſt quod dicitur, *Quid ergo ampliùs Iudæo? multum quidem per omnem modum: primum quidem; quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Et dicitur, *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* *Rom. 3. v. 1.* *Pſ. 149. v. 10.*

Dicendum quòd Deus & legem, & alia beneficia ſpecialia illi populo exhibuit, propter promiſſionem eorum patribus factam, vt ex eis Chriſtus naſceretur. Decebat enim vt ille populus, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali ſanctificatione polleret, ſecundùm illud quod dicitur, *Sancti eritis; quoniam ego ſanctus ſum.* Cur lex vetus Iudæis data. *Leu. 19 v. 2.*

Nec etiam fuit propter meritum ipſius Abrahæ, vt talis promiſſio ei fieret, vt ſcilicet Chriſtus ex eius ſemine naſceretur; ſed ex gratuita Dei electione & vocatione. Vnde dicitur, *Qui ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe.* *Eſa. 41. v. 2.*

Sic ergo patet quòd ex ſola gratuita electione, Patres promiſſionem acceperunt, & populus ex eis progenitus legem accepit. Secundùm illud, *Audiſtis verba illius de medio ignis; quia dilexit patres, & elegit ſemen eorum poſt illos.* *Deut. 4. v. 11.*

Ad 1. R. quòd quamuis ſalus futura per Chriſtum eſſet omnibus gentibus præparata; tamen oportebat ex vno populo Chriſtum naſci, qui propter hoc præ alijs prærogatiuas habuit.

Ad 2. R. quòd acceptio perſonarum locum habet in his, quæ ex debito dantur. In his verò quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio perſonarum locum Acceptio perſonarū

856

explicatur. non habet: non enim eſt p. rum acceptor, qui ex libera. de ſuo dat vni, & non alteri. ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſttribueret æqualiter ſecundùm merita perſonarum, eſſet perſonarum acceptor.

Salutaria autem beneficia Deus humano generi conferr ex ſua gratia: vnde non eſt perſouarum acceptor, ſi quibuſdam præ alijs conferat.

Ad 3. R. quòd beneficia gratiæ ſubtrahuntur homini propter culpam. Sed beneficia naturalia non ſubtrahuntur; inter quæ ſunt miniſteria Angelorum, quæ ipſe naturarum ordo requirit, vt ſcilicet per media gubernentur infima, & etiam corporalia ſubſidia, quæ non ſolùm hominibus, ſed etiam iumentis Deus adminiſtrat, ſecundùm illud, *Homines & iumenta* *Pſal.* 35. *v.* 7. *ſaluabis Domine.* 1. 2. *q.* 98. *art.* 4.

ECCLI. *Cap.* 17. *v.* 18.

Eleemoſyna viri gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.

EXplicatur infra *Eccli. cap.* 29. *v.* 13.

ECCLI. *Cap.* 17. *v.* 26.

A mortuo, quaſi nihil, perit confeſſio.

VIdetur quòd confeſſio non poſſit eſſe informis, dicitur, enim *A mortuo perit confeſſio*, vt patet in textu: ſed ille qui non habet charitatem eſt mortuus; quia ipſa eſt animæ vita; ergo abſque charitate non poteſt eſſe confeſſio.

2. Confeſſio diuiditur contra attritionem & ſatisfactionem: ſed contritio & ſatisfactio numquam poſſunt extra charitatem fieri; ergo nec confeſſio.

3. In confeſſione oportet quod os cordi concordet, quia hoc ipſum nomen confeſſionis requirit: ſed ille qui adhuc manet in affectu peccati, ſi confitetur, non habet cor ori conforme; quia corde peccatum tenet, quod ore damnat; ergo talis non confitetur.

Sed contra, quilibet tenetur ad confeſſionem mortalium: ſed ſi aliquis ſemel confeſſus eſt, etiam in mortali exiſtens, non tenetur vlteriùs ad confitendum eadem peccata; quia cùm nullus ſciat ſe charitatem habere, nullus ſciret ſe confeſſum fuiſſe; ergo non eſt de neceſſitate confeſſionis quòd ſit charitate formata.

Dicendum quòd confeſſio eſt actus virtutis, & pars ſacramenti: ſecundùm autem quod eſt actus virtutis, eſt actus meritorius propriè; & ſic confeſſio non valet ſine charitate, quæ eſt principium merendi; ſed ſecundùm quod eſt pars ſacramenti, ſic ordinat confitentem ad ſacerdotem, qui habet claues Eccleſiæ, qui per confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit.

Et ſecundùm hoc confeſſio poteſt eſſe etiam in eo qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua pandere ſacerdoti, & clauibus Eccleſiæ ſe ſubijcere: & quamuis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: ſicut etiam in alijs Sacramentis eſt. Vnde non tenetur iterare confeſſionem, qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmo-

Digitized by Google

dum fictionem ſuam confiteri.

Ad 1. R. quòd auctoritas illa intelligenda eſt quantùm ad fructum confeſſionis percipiendum, quem nullus extra charitatem exiſtens percipit.

Ad 2. R. quòd contritio & ſatisfactio fiunt Deo; ſed confeſſio fit homini: & ideo de ratione contritionis & ſatisfactionis eſt, quòd homo ſit Deo per charitatem vnitus; non autem de ratione confeſſionis.

Ad 3. R. quòd ille qui peccata quæ habet, narrat, verè loquitur & ſic cor concordat voci vel verbis, quantùm ad ſubſtantiam confeſſionis; quamuis diſcordet à confeſſionis fine. *Lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 3. art. 4. & ſupplem. q. 9. art. 1.*

ECCLI. *Cap.* 17. *v.* 27.

Viuus & ſanus confiteberis.

ARguitur, non valet confeſſio niſi in vita, vt patet *in textu*; ergo ſimiliter non valet niſi in ſanitate.

Michea. 3. v. 4. 2. Dicitur, *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos*; ergo ſeram pœnitentiam Deus non exaudit. Sed nulla magis ſera eſt illâ quæ in morte incipit fieri; ergo illa non exauditur; ergo non eſt vera.

Luca. 13 v. 42. Sed contra, *Latronem in fine vitæ pœnituit*: & tamen latro ipſe ſtatim remiſſionem inuenit.

Ezech. 33 v. 12. Præt. dicitur, *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.*

Dicendum quòd de pœnitentia loqui poſſumus dupliciter; vno modo quantùm ad rei veritatem, [po]ſſibile eſt hominem in fi[ne vit]æ pœnitere; poteſt enim [homo] de peccato commiſſo dolere cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.

Alio modo quantùm ad manifeſtationem: & ſic veritas pœnitentiæ in fine non manifeſtatur. Incertum eſt enim vtrum taliter pœnitens ex ſolo timore pœniteat, vel ex amore Dei; qui ad veram pœnitentiam requiritur: & præcipuè cùm difficile ſit vt homo, cujus affectus ſemper fuit in peccatis; in momento iuſtitiam amplectatur. *Pœnitẽtia ſero-tina incerta eſt*

Sed quæ apud homines ſunt difficilia, Deo ſunt facilia. Vnde ex eius gratia contingit interdum in fine aliquos verè pœnitere.

Ad 1. R. quòd confiteri in vita, præceptum eſt; confiteri in ſanitate, conſilium.

Ad 2. R. quòd pœnitentia ſera vocatur ea quæ fit poſt mortem, non quæ in morte. Vel quæ fit ſolo timore pœnæ, non amore iuſtitiæ. *Lib. 4. ſent. ad Annibaldum diſt. 20. art. 1.*

ECCLI. *Cap.* 18. *v.* 1.

Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.

INtelliguntur ſecundùm vnam opinionem omnia ſimul creata non in ſpeciebus ſuis, ſed in materia informi. Sed ſecundùm alios dicuntur omnia creata ſimul etiam in formis proprijs: ſed tunc aliqua ante alia creata dicuntur, non duratione, ſed naturæ ordine, ſecundùm quod via generationis eſt incompletum ante completum. *Lib. 2. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 6.*

Digitized by Google

Simile 1. *p. q.* 74. *art.* 2. *ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap.* 1. *v.* 5.

Eccli. *Cap.* 18. *v.* 23.

Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.

ILle qui ante orationem animam ſuam non præparat, dimittendo ſi quid aduerſùm aliquem habet: vel aliàs ad deuotionem ſe non diſponendo, non facit quod in ſe eſt, vt exaudiatur à Deo: & ideo quaſi interpretatiuè tentat Deum.

Et quamuis hujuſmodi interpretatiua tentatio videatur ex præſumptione ſeu indiſcretione prouenire; tamen hoc ipſum ad irreuerentiam Dei pertinet, vt homo præſumptuosè & ſine debita diligentia ſe habeat in his quæ ad Deum pertinent. Dicitur enim,
1. Pet. 5. v. 6. *Humiliamini ſub potenti manu Dei.*
2. Tim. 2. v. 15. Et, *ſolicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo.*

Vnde etiam hujuſmodi, irreligioſitatis ſpecies eſt. 2. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm* 49. *v.* 22.

Eccli. *Cap.* 19. *v.* 1.

Qui ſpernit minima paulatim defluit.

ILle qui peccat venialiter videtur minima ſpernere; ergo paulatim diſponitur ad hoc quòd totaliter defluat per peccatum mortale. 1. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ſed contra. ſimile in quaſt. diſp. q.* 14. *de malo art.* 2. *ad ſecundum.*

Eccli. *Cap.* 19. *v.* 4.

Qui citò credit, leuis eſt corde.

CRedere homini abſque ratione probabili, eſt nimis citò credere; quia cognitio vnius hominis non eſt naturaliter ordinata ad cognitionem alterius, vt per ipſam reguletur: ſed hoc modo ordinata eſt ad veritatem primam. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2.

Qui citò credit &c. Eſſe credulum in vitium ſonat; quia deſignat ſuperfluitatem in credendo: ille autem qui credit Deo, non excedit modum in credendo; quia ei non poteſt nimis credi *In quaſt. diſp. q.* 14. *de verit. art.* 10. *ad ſextum.*

Qui citò credit &c. Arguitur, ille qui aſſentit alicui rei, credendo; aut habet cauſam ſufficienter inducentem ipſum ad credendum, aut ſi non habet ſufficiens inductiuum ad credendum, non videtur hoc ei eſſe meritorium; quia non eſt ei jam liberum credere. Si autem non habet ſufficiens inductiuum ad credendum, leuitatis eſt credere, vt patet *in textu*; & ſic non videtur eſſe meritorium; ergo credere nullo modo eſt meritorium.

Sed contra eſt quod dicitur, quòd, *Sancti per fidem adepti ſunt* Hebr. 11
repromiſſiones; quod non eſſet niſi v. 33.
credendo mererentur; ergo ipſum credere eſt meritorum.

Dicendum quòd actus noſtri ſunt meritorij, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo Quomodo actus noſtri

Sunt meritorij. per gratiam. Vnde omnis actus humanus qui ſubijcitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deum, poteſt meritorius eſſe.

Ipſum autem credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati diuinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam: & ſic ſubjacet libero arbitrio in ordine ad Deum: vnde actus fidei poteſt eſſe meritorius.

Ad argum. R. quòd ille qui credit, habet ſufficiens inductiuum ad credendum; inducitur enim auctoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ: & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei inuitantis. Vnde non leuiter credit, cùm habeat ſufficiens inductiuum ad credendum: & ideo non tollitur ratio meriti. 2. 2 *q. 2. art. 9.*

Eccli. *Cap. 19. v. 10.*

Audiſti verbum aduersùs proximum, commoriatur in te.

Verbum quod aduersùs fratrem audimus, ſic debet in nobis commorari, vt à nobis non procedat ad fratris infamiam: non tamen prohibetur quin procedat vlteriùs ad fratris emendationem. *In quaſt. diſp. q. de corre. fraterna art. 2. ad vigeſimum ſecundum.*

Eccli. *Cap. 19. v. 23.*

Eſt qui nequiter ſe humiliat.

Arguitur, virtus & vitium opponuntur: ſed humilitas quandoque ſonat in vitium, vt patet *in textu*; ergo humilitas non eſt virtus.

Humilitatis deſcriptio. Ad argum. R. quòd humilitas ſecundùm quod eſt virtus, in ſui ratione importat quandam laudabilem delectationem in ima. Hoc autem quandoque fit ſolùm ſecundùm ſigna exteriora ſecundùm fictionem; vnde hæc eſt falſa humilitas.

Quandoque autem fit ſecundùm interiorem motum animæ: & ſecundùm hoc humilitas propriè ponitur virtus; quia virtus non conſiſtit in exterioribus, ſed principaliter in interiori electione mentis. 2. 2. *q. 161. art. 1. ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm. 5. v. 11. & prouerb. cap. 26. v. 25.*

Eccli. *Cap. 19. v. 26.*

Ex viſu cognoſcitur vir.

Arguitur, quantò virtus cognoſcitiua eſt magis eleuata, tantò poteſt in aliquod majus: ſed virtus cognoſcitiua dæmonis eſt magis eleuata quàm virtus cognoſcitiua hominis; cùm ergo homo cogitationes cognoſcere poſſit alterius hominis per aliqua corporalia ſigna, vt patet *in textu*; conſequens videtur quòd dæmones vlteriùs cogitationes hominum in ſeipſis videant.

Ad argum. R. quòd dæmon meliùs cognoſcit cogitationes quàm anima alterius hominis; non quia videat eas in ſe, ſed quia videt eas per exteriora ſigna magis occulta. *In quaſt. diſp. q. 16. de malo art. 8. ad decimum tertium.*

Digitized by Google

858

Eccli. *Cap. 19. v. 27.*

Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.

Citatur ſupra *Leuit. cap. 19. v. 19. & lib. 3. Regum cap. 21. v. 27.*

Eccli. *Cap. 20. v. 6.*

Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ, & eſt tacens ſciens tempus aptum.

Eccli. 20 v. 31. Arguitur, dicitur, *Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Sed Chriſtus à principio ſuæ conceptionis plenè habuit ſapientiæ & gratiæ theſaurum. Niſi ergo hanc plenitudinem manifeſtaſſet per opera & verba, fuiſſet fruſtra ei data ſapientia & gratia, quod eſt inconueniens; quia Deus & natura nihil fruſtra faciunt.

Ad argum. R. quòd licet ſapientia abſcondita ſit inutilis: non tamen ad ſapientem pertinet vt quolibet tempore manifeſtet ſeipſum, ſed tempore congruo, vt patet *in textu.*

Sic ergo ſapientia Chriſto data non fuit inutilis; quia ſeipſum tempore congruo manifeſtauit: & hoc ipſum quòd tempore congruo abſcondebatur, eſt ſapientiæ iudicium. *3. p. q. 36 art. 4. ad ſecundum.*

Eccli. *Cap. 20. v. 7.*

Laſciuus & imprudens non obſeruant tempus.

Arguitur, clericus qui dicit matutinas de ſero, non obſeruat tempus; cum enim dies incipiat à media nocte, videtur quòd matutinas ſequentis diei dicat in die præcedenti; ergo videtur quòd hoc ad laſciuiam & imprudentiam pertineat; & ita videtur eſſe peccatum.

Sed contra, Deus clementior eſt quolibet homine: ſed homo non imputat debitori in culpam ſi debitum ſibi reddat ante tempus; ergo multò minùs Deus.

Dicendum quòd hîc conſideranda eſt intentio eius qui præuenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuſcumque horis canonicis. Si enim hoc facit propter laſciuiam, vt ſcilicet quietiùs ſomnolentiæ & voluptati vacet; non eſt abſque peccato. Eccleſiaſticũ officiũ quando recitandũ.

Si verò hoc faciat propter neceſſitatem, & licitarum honeſtarum occupationum; putà, ſi clericus, aut magiſter debet videre lectiones ſuas de nocte, vel propter aliquid aliud hujuſmodi; licitè poteſt de ſero dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus præuenire; quia melius eſt Deo vtrumque reddere, ſcilicet & debitas laudes, & alia honeſta officia, quàm quòd per vnum aliquid impediatur.

Ad argum. R. quòd, quantùm ad contractus, & alia hujuſmodi, dies incipit à media nocte: ſed quantùm ad Eccleſiaſticum officium, & ſolemnitatum celebrita-

res, incipit dies à veſperis. Vnde ſi aliquis poſt dictas veſperas & completorium, dicat matutinas; jam hoc pertinet ad diem ſequentem.

Quodlibeto 5. *art.* 28.

Idem locus citatur 2. 2 *q.* 54. *art.* 2. *ſed contra.*

Eccli. *Cap.* 20. *v.* 32.

Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?

Explicatur ſupra *Eccl. cap.* 20. *v.* 6.

Eccli. *Cap.* 21. *v.* 2.

Quaſi à facie colubri fuge peccatum.

Peccatum ſemper eſt fugiendum. Sed impugnatio peccati quandoque eſt vincenda fugiendo, quandoque reſiſtendo. Fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentiuum, ſicut eſt in luxuria. Vnde dicitur, *Fugite fornicationem.*

Acediæ & fornicationis pugna quomodo differunt.

1 Cor. 6. v. 18.

Reſiſtendo autem quando cogitatio perſeuerans tollit incentiuum peccati, quod prouenit ex aliqua leui apprehenſione. Et hoc contingit in acedia; quia quantò magis cogitamus de bonis ſpiritualibus, tantò magis nobis placentia redduntur, ex quo ceſſat acedia. 2. 2. *q.* 35. *art.* 1. *ad quartum.*

Quaſi à facie colubri &c. Manifeſtum eſt *per textum* quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari; ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere. 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *in corpore.*

Eccli. *Cap.* 23. *v.* 9.

Iurationi non aſſueſcat os tuum.

Videtur quòd iurare non ſit per ſe bonum; quia omnis actus cujus conſuetudo mala eſt, malus eſt: conſuetudo iurandi mala eſt, vt patet *in textu*: ergo iurare malum eſt.

2. Iurare ſimpliciter ſine additione cauſæ, eſt iurare pro nihilo, & hoc eſt aſſumere nomen Dei in vanum; ergo cùm hoc ſit per ſe malum, iurare eſt malum per ſe.

3. Iurare vniuerſaliter eſt prohibitum, *Ego autem dico non iurare omnino*; ergo vniuerſaliter eſt illicitum. *Matt. 5. v. 34.*

4. In ſortibus & iudicijs quæ fiunt per ignem & aquam, vel per duellum, expectatur diuinum teſtimonium; & propter hoc ſunt prohibita; quia ibi videtur eſſe quædam Dei tentatio: ſed iuramentum eſt inuocatio diuini teſtimonij; ergo eſt illicitum.

Sed contra, Angelus iuraſſe legitur, *Iurauit per viuentem in ſecula.* Similiter Apoſtolus, *Ego teſtem inuoco Deum in animam meam*: & tamen non peccauerunt; ergo iurare non ſemper eſt peccatum. *Apo 10 v 6. 1. Cor. 1. v. 24.*

Dicendum quòd ſicut in genere boni naturalis duo ſunt bonorum genera; quædam ſcilicet propter ſe appetenda, vt ſanari, quædam verò propter aliud tantùm, vt mederi: ita in genere boni moralis, quædam ſunt bona quæ propter ſe appetenda ſunt, vt actus virtutum; quædam non niſi propter aliud ex aliqua neceſſitate, vt curæ animatum;

359

rum; non quia malæ, ſed quia periculoſæ.

Ex hoc genere eſt iuramentum: eſt enim bonum quoddam periculoſum propter lubricum linguæ, & facilem contemptum & irreuerentiam nominis diuini: & ideo per ſe non eſt appetendum; ſed propter alterum, ſcilicet propter aliquam neceſſitatem, vel vtilitatem; non quia ſit in ſe malum, ſed quia eſt occaſio propinqua mali, id eſt, periculoſum.

Quãdo iurandum eſt.

Quia ergo ſe exponere rei periculoſæ paſſim & indifferenter malum eſt; ſed cum debita cautela, & ex neceſſitate aliqua, non eſt malum, ſed bonum: ideo quamuis iurare non ſit malum; quia tamen eſt periculoſum, ideo paſſim & ſine cauſa iurare eſt malum. Cum debita autem cautela & neceſſitate non eſt malum, ſed bonum & licitum.

Ad 1. R. quòd conſuetudo iurandi eſt mala, non quia iurare ſit in ſe malum, ſed quia eſt periculoſum; & ideo per accidens conſuetudo iurandi eſt mala.

Ad 2. R. quòd iurare ſimpliciter ſine additione cauſæ, non eſt iurare pro nihilo; nam quamuis non ponat de ſe cauſam iurandi, non tamen excludit eam. Iurare verò pro nihilo excludit cauſam iurandi. Vnde vbicumque contingit iurare, contingit ſimpliciter iurare; non tamen pro nihilo iurare.

Ad 3. R. quòd hîc prohibetur facilitas iurandi propter periculum, vt ſcilicet quis non ex quacumque cauſa iuret, & non ſimpliciter iuramentum.

Ad 4. R. quòd non eſt ſimile de ſortibus; quia ibi inducitur diuinum teſtimonium ad rem omnino incertam, & determinatur ei modus teſtificandi. Sed in iuramento certus eſt is qui iurat, licet non is cui iuratur. *Lib 3. ſent. ad Annibaldum diſt. 39. q. 2. art. 1.*

ECCLI. *Cap. 23. v. 11. & 13.*

Vir multùm iurans replebitur iniquitate.

ARguitur iuramentum ordinatur ad confirmationem ſeu certificationem: ſed quòd homo confirmet ſuum dictum, bonum eſt: ergo iuramentum eſt appetendum tanquam bonum.

Quandoiurãdũ eſt.

Dicendum quòd id quod non quæritur niſi ad ſubueniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea quæ ſunt per ſe appetenda; ſed inter ea quæ ſunt neceſſaria: ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubueniendum infirmitati.

Iuramentum autem quæritur ad ſubueniendum alicui defectui, quo ſcilicet vnus homo alteri diſcredit. Et ideo iuramentum eſt habendum non inter ea quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea quæ ſunt huic vitæ neceſſaria: quibus indebitè vtitur, quicumque eis vtitur vltra terminos neceſſitatis.

Ad argum. R. quòd ſicut medicina eſt vtilis ad ſanandum; & tamen quantò eſt virtuoſior, tantò majus nocumentum inducit, ſi non debitè ſumatur. Ita etiam iuramentum vtile quidem eſt ad confirmationem. Tamen quantò eſt magis venerandum, tantò eſt magis periculoſum, niſi debitè inducatur; quia vt dicitur, *Si fruſtrauerit*, id eſt, deceperit *fratrem,*

Digitized by Google

Eccli. 23 v. 13. *delictum ipſius ſupra ipſum erit.* Et *Si diſſimulauerit*, quaſi per ſimulationem iurando falſum, *Delinquit dupliciter* quia ſcilicet ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas. *Et ſi in vacuum iurauerit*, id eſt, ſine debita cauſa & neceſſitate, *non iuſtificabitur. 2. 2. q. 89. art. 5. ad tertium.*

ECCLI. *Cap. 23. v. 28.*

Oculi Domini multò plus ſunt lucidiores ſuper ſolem.

IN Deo non eſt habitualis cognitio, vt patet *in textu*; nam ſol ſemper eſt in actu lucendi. *Contra Gentiles lib. 1. cap. 56. & 66.*

ECCLI. *Cap. 23. v. 29.*

Domino Deo noſtro antequam crearentur nota ſunt omnia.

CItatur *q. 1. de veritate art. 5. ad vndecimum.*

ECCLI. *Cap 23. v. 32.*

Omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit.

CItatur *2. 2. q. 154. art. 8. in corpore.*

ECCLI. *Cap. 24. v. 5.*

Ego ex ore altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.

EXplicatur ſupra *Eccli. cap. 1. v. 9. vid. 1. p. q. 41. art. 3. ad quartum. Et Contra Gentiles lib. 4 cap. 6.*

ECCLI. *Cap. 24. v. 6.*

Sicut nebula texi omnem terram.

EXplicatur infra *Eccli. cap. 43. v. 24.*

ECCLI. *Cap. 24. v. 7.*

Ego in altiſſimis habito.

CItatur *Contra Gentiles lib. 3. cap 50. & infra Eccli. cap. 24. v. 16.*

ECCLI. *Cap. 24. v. 14.*

Ab initio & ante ſecula creata ſum.

HIc textus loquitur de diuina ſapientia; ſed filius Dei eſt Dei ſapientia; ergo ipſe eſt creatura.

Ad argum. R. quòd iſtud verbum, vel intelligitur de ſapientia creata, ſcilicet angelica natura, quæ eſt ante tempora ſecularia; etſi non duratione, tamen ordine naturæ.

Vel intelligitur de filio Dei, quantùm ad naturam aſſumptam; quæ etſi ante ſecula creata non fuerit, fuit tamen ab æterno præuiſa creari. *Lib. 3. ſent. diſt. 11. q. 1. art. 1. ad primum. vid. 1 p. q. 41. art. 3. ad quartum.*

Idem locus explicatur ſupra *Eccli. cap. 1. v 9.*

ECCLI. *Cap. 24. v. 26.*

Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.

INter cæteras doctrinas Chriſtianæ religionis, ſapientia principalior inuenitur quantùm ad Sapientiæ laudes.

quatuor, videlicet altitudine, pretioſitate, communitate, & fructuoſitate. Altitudine quidem cæteras antecellit; quia omnes aliæ ſcientiæ & doctrinæ verſantur circa ea quæ ſubſunt iudicio rationis. In diuina verò doctrina illa nobis traduntur, quæ vim humanæ rationis excedunt. Vnde dicitur,
Iob. 28. v. 21. *Abſcondita eſt ab oculis viuentium omnium*, ſcilicet quia eius myſteria naturalis intuitum cognitionis excellunt. Et ideo de eius altitu-
Eccl 24. v. 7. dine dicitur, *Ego in altiſſimis habito.* Habitant quidem in infimis omnes mechanicæ artes, quæ circa particularia, in quibus conſiſtit operatio, verſantur. In altis verò habitat ſcientia naturalis, quæ de ſenſibilibus vniuerſalem ſpeculationem habet. In altioribus verò commorantur aliæ Philoſophiæ ſcientiæ; quæ ſuâ conſideratione ſenſibilia tranſcendunt, intuitum tamen rationis ſequentes. Sed in altiſſimis habitat Chriſtianæ ſapientiæ doctrina, quæ intuitum ſuperat rationis.

Pretioſitate verò alias doctrinas excedit, propter eius veritatis puritatem; in qua non inuenitur aliqua permixtio falſi, nec alicujus iniqui, nec etiam alicujus vani; quæ plerumque aliarum ſcientiarum conſiderationibus permiſcentur. Vnde ex ore ſapientiæ dicitur,
Prou. 8. v. 7. *Veritatem meditabitur guttur meum.* Et poſtea ſubdit. *Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum.* Et ideo de eius pretioſitate dicitur,
Prou. 3. v. 15. *pretioſior eſt cunctis opibus; & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.*

Communitate verò cæteris præponitur; quia cùm aliarum ſcientiarum ſingulæ circa ſingula rerum genera occupentur; hæc doctrina circa omnia nos illuſtrat. In ipſa enim reuelantur diuina, docentur cœleſtia, & terreſtria iudicantur, & honeſta vitæ documenta traduntur; vt ſic impleri videatur quod dicitur, *Spiritualis* 1 Cor. 2. v. 15.
homo iudicat omnia. Et ideo de eius communitate dicitur, *Attin-* Sap. 7. v. 24.
git autem vbique propter ſuam munditiam.

Fructuoſitate verò alijs anteferetur; quia aliæ ſcientiæ fructum habere videntur in ſola intellectus illuſtratione: hæc verò doctrina & intellectum ſublimiter illuminat, & affectum dulciter accendit.

Ratione igitur altitudinis excellentiſſimum habet doctorem. Et ideo dicitur, *Omnium artifex* Sap. 7. v. 21.
docuit me ſapientia. Et ideo ſapientia loquitur dicens, *Tranſite ad me omnes &c.* Videlicet relictis errorum doctoribus à me doceamini veritatem.

Ratione verò tam pretioſæ pulchritudinis requirit deſideratiſſimum auditorem. Vnde ſubdit, *Qui concupiſcitis me.* Et ideo dicitur, *Hanc amaui & exquiſiui à iu-* Sap. 8. v. 2.
uentute mea; & quæſiui eam ſponſam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.

Ratione verò ſuæ communitatis habet materiam multiformem, vnde dicit, *A generationibus meis*, id eſt, à me doctis. Omnium namque generationum genera diuina ſapientia docet. Eſt enim quadruplex generatio. *Prima* quidem generatio diuinæ perſonæ, qua filius à patre ab æterno genitus eſt, de Generatio quadruplex.

Pſal. 2. v. 7. qua dicitur, *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ex qua quidem generatione datur intelligi etiam proceſſio diuini amoris, qui eſt ſpiritus ſanctus; Ioan. 3. v. 35. quia, *Pater diligit filium*, vt dicitur.

Secunda eſt generatio creaturæ qua temporaliter à Deo procedit, Gen. 2. v. 4. vt dicitur *Iſta ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt &c.* Specialiter quantùm ad hominem Deut. 32. v. 18. dicitur, *Deum qui te genuit dereliquiſti.*

Tertia eſt generatio naturæ aſſumptæ, qua filius Dei temporaliter de Virgine natus eſt. De qua Matt. 1. v. 1. dicitur, *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Et, Luca. 1. v. 35. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*

Quarta eſt generatio nouæ creaturæ, per quam in filios Dei regeneramur Eccleſiaſticis Sacramen- Ioan. 3. v. 5. tis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Quæ quidem regeneratio valet ad hæreditatem gloriæ capeſ- 1. Petr. 1. v. 4. ſendam, *Regenerauit nos in ſpem viuam & hæreditatem incorruptibilem. In prologo libri 1. ſentent. Ad Annibaldum.*

ECCL. Cap. 24. v. 21.

Quaſi balſamum non mixtum odor meus.

Chriſma eſt materia confirmationis.

CHriſma eſt conueniens materia confirmationis; quia in hoc Sacramento datur plenitudo ſpiritus ſancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem cùm ad perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones ſuas ad alios: antea verò quaſi ſingulariter ſibi ipſi viuit.

Gratia verò ſpiritus ſancti in oleo deſignatur: vnde Chriſtus dicitur eſſe vnctus oleo lætitiæ propter plenitudinem ſpiritus ſancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiæ hujus Sacramenti.

Admiſcetur autem balſamum, propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios. Vnde Apoſtolus dicit, *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* 2. Cor. 2. v. 15.

Et licet multa alia ſint odorifera: tamen præcipuè accipitur balſamum propter hoc quòd habet præcipuum odorem; & quia etiam incorruptionem præſtat. 3. *p. q. 72. art. 2. in corpore.*

ECCLI. Cap. 24. v. 23.

Flores mei fructus honoris & honeſtatis.

CItatur 1. *2. q.* 70. *art.* 1. *ad primum.*

ECCLI. Cap. 24. v. 24.

Ego mater pulchræ dilectionis.

CItatur ſupra *Pſalm.* 111. *v.* 1.

ECCLI. Cap. 24. v. 27.

Spiritus meus ſuper mel dulcis.

CItatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 19. *& lib.* 4. *ſent. diſt.* 49. *q.* 3. *art.* 5. *ſed contra.*

ECCLI. Cap. 24. v. 29.

Qui edunt me adhuc eſurient.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 18. *v.* 10. *Pſalm.* 83. *v.* 3. *& Eccle. cap.* 5. *v.* 9. *vid. lib.* 3. *ſent. diſt.* 31.

861

q. 2. *art.* 1. *q.* 2 *ad ſecundum* 1. 2. *q.* 33. *art.* 2. *in corpore. Et q.* 67. *art.* 4. *ad tertium.*

E c c l i. *Cap* 24. *v.* 40.

Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ deſluo. Ego quaſi fluuij Diorix, & ſicut aquæ ductus exiui de paradiſo. Dixi: rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.

INter multas ſententias, quæ à diuerſis de ſapientia prodierunt, quid ſcilicet eſſet vera ſapientia: vnam ſingulariter firmam & veram Apoſtolus protulit di-

1. Cor. 1. x. v4, cens; *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam; qui etiam nobis à Deo factus eſt ſapientia.*

Non autem hoc ita dictum eſt, quòd ſolus filius Dei ſit ſapientia; cùm pater, & filius, & ſpiritus ſanctus ſint vna ſapientia, ſicut vna eſſentia: ſed quia ſapientia quodam ſpeciali modo filio appropriatur, eo quod ſapientiæ opera cum proprietatibus filij plurimùm conuenire videntur. Per ſapientiam enim Dei manifeſtantur diuinorum abſcondita, producuntur creaturarum opera, nec tantùm producuntur, ſed etiam reſtaurantur & perficiuntur; illâ dico perfectione, qua vnumquodque perfectum dicitur, prout proprium finem attingit.

Quòd autem manifeſtatio diuinorum pertineat ad Dei ſapientiam, patet ex eo, quòd ipſe Deus per ſuam ſapientiam ſeipſum plenè & perfectè cognoſcit. Vnde ſi quid de ipſo cognoſcimus, oportet, quòd ex eo deriuetur; quia omne imperfectum à perfecto trahit originem. Hæc autem manifeſtatio ſpecialiter per filium facta inuenitur; ipſe enim eſt verbum patris, vnde ſibi manifeſtata dicentis patris conuenit, & totius Matt. 11.
Trinitatis. Vnde dicitur, *Nemo nouit patrem niſi filius, & cui filius voluerit reuelare.* v. 27.

Rectè ergo dicitur ex perſona filij, *Ego ſapientia effudi flumina.* Flumina iſta intelligo fluxus æternæ proceſſionis, qua filius à patre, & ſpiritus ſanctus ab vtroque ineffabili modo procedit. Iſta flumina olim occulta, & quodammodo confuſa erant; tum in ſimilitudinibus creaturarum, tum etiam in ænigmatibus ſcripturarum; ita vt vix aliqui ſapientes Trinitatis myſterium fide tenerent. Venit Filius Dei, & incluſa flumina quodammodo effudit, nomen Trinitatis publicando. *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* Matt. vlt. v. 19.

Secundum quod pertinet ad Dei ſapientiam, eſt creaturarum productio. Ipſe enim de rebus creatis, non tantùm ſpeculatiuam, ſed etiam operatiuam ſapientiam habet; ſicut artifex de artificiatis. Pſ. 103. v. 24
Vnde, *Omnia in ſapientia feciſti.* Prou. 8.
Et ipſa ſapientia loquitur, *Cum eo eram cuncta componens.* v. 30. Hoc etiam ſpecialiter filio attributum inuenitur, inquantum eſt imago Dei inuiſibilis, ad cujus formam omnia formata ſunt. Coloſſ. 1. v. 15. Vnde, *Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa.* Rectè ergo dicitur ex perſona filij, *Ego quaſi trames aquæ immenſæ deſluo*; in quo notatur & ordo creationis, & modus. Ordo, quia ſicut trames

Digitized by Google

à fluuio deriuatur; ita proceſſus temporalis creaturarum, æterno proceſſu perſonarum. Modus autem ſignatur quantum ad duo, ſcilicet ex parte creantis, qui cùm omnia impleat nulli tamen ſe commetitur: Quod notatur in hoc quod dicitur, *Immenſa*. Item ex parte creaturæ, quia ſicut rrames procedit extra alueum fluminis; ita creatura procedit à Deo extra vnitatem eſſentiæ, in qua ſicut in alueo fluxus perſonarum continetur.

Tertium quod pertinet ad Dei ſapientiam, eſt operum reſtauratio. Per idem enim debet res reparari, per quod facta eſt. Vnde quæ per ſapientiam condita ſunt, decet vt per ſapientiam reparentur. Vnde dicitur, *Per ſapientiam ſaluati ſunt, qui tibi placuerunt ab initio.* (*Sap.* 9. *v.* 19.) Hæc autem reparatio ſpecialiter per filium facta eſt, inquantum ipſe homo factus eſt; qui, reparato hominis ſtatu, quodammodo omnia reparauit, quæ propter hominem facta ſunt. Vnde, per eum *Reconcilians omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt.* (*Coloſſ.* 1. *v.* 16.) Rectè ergo ex ipſius filij perſona dicitur, *Ego quaſi fluuius dorix, & ſicut aqua ductus exiui de paradiſo.* (Legendũ fluuij dio. rix, id eſt, fluuij alueus.) Paradiſus iſte, gloria Dei patris eſt; de qua exiuit in vallem noſtræ miſeriæ; non quòd eam amitteret, ſed quia occultauit.

Et circa hunc exitum duo notantur, ſcilicet modus, & fructus. *Dorix* enim fluuius rapidiſſimus eſt, vnde deſignat modum, quo (quaſi impetu quodam amoris) noſtræ reparationis Chriſtus compleuit myſterium. Fructus autem deſignatur ex hoc, quod dicitur; *Sicut aqua ductus*: ſicut enim aquæ ductus ex vno fonte producuntur, diuiſim ad fœcundandam terram, ita de Chriſto profluxerunt diuerſarum gratiarum genera ad plantandam Eccleſiam ſecundùm quod dicitur, *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos &c.* (*Eph.* 4. *v.* 11.)

Quartum quod ad Dei ſapientiam pertinet, eſt perfectio qua res conſeruantur in ſuo fine; ſubtracto enim fine relinquitur vanitas, quam ſapientia non patitur ſecum. Vnde dicitur, *Quod ſapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* (*Sap.* 8. *v.* 1.) Suauiter autem vnumquodque tunc diſpoſitum eſt, quando in ſuo fine, quem naturaliter deſiderat, collocatum eſt. Hoc etiam ad filium ſpecialiter pertinet, qui cùm ſit verus, & naturalis Dei filius; nos in gloriam paternæ hæreditatis induxit. Vnde rectè dicitur; *Dixi, rigabo hortum plantationum.* Ad conſecutionem enim finis exigitur præparatio, per quam omne quod non competit fini, tollatur. Ita Chriſtus etiam vt nos in finem æternæ gloriæ induceret, ſacramentorum medicamenta præparauit, quibus à nobis peccati vulnus abſtergitur. Vnde duo notantur in verbis prædictis, ſcilicet præparatio quæ eſt per ſacramenta, & inductio in gloriam. Primum per hoc quod dicitur, *Rigabo hortum plantationum*; hortus enim iſte Eccleſia eſt: in quo ſunt plantationes diuerſæ, ſecundum diuerſos ſanctorum ordines; quos omnes manus omnipotentis plantauit. Iſte hortus irrigatur à Chriſto ſacramentorum riuis, qui ex eius latere profluxerunt. Et ideo etiam miniſtri Eccleſiæ qui ſacramenta diſ-

Digitized by Google

penſant rigatores dicuntur, *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Inductio autem in gloriam notatur in hoc quod ſequitur, *Et inebriabo partus mei fructum.* Partus ipſius Chriſti ſunt fideles Eccleſiæ, quos ſuo labore quaſi mater parturiuit. Fructus autem iſtius partus ſunt ſancti qui ſunt in gloria. Iſtos inebriat abundantiſſima ſui fruitione. De qua fruitione & inebrietate, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ* Et dicitur ebrietas, quia omnes menſuras rationis & deſiderij excedit. *In prologo libri.* 1. *ſentent. Tom.* 6.

1. *Cor.* 3. *v.* 6.

Legendum *prati.*

Pſal 35 *v.* 9.

Eccli. *Cap.* 24. *v.* 45.

Penetrabo omnes inferiores partes terræ.

Videtur quòd Chriſtus deſcenderit etiam ad infernum damnatorum, vt patet in textu; nam inter partes inferiores terræ computatur etiam infernus damnatorum; ſecundùm illud, *Introibunt in inferiora terræ*; ergo Chriſtus etiam vſque ad infernum damnatorum deſcendit.

Pſal. 62. *v.* 10.

2. Dicit Petrus quòd Deus *Chriſtum ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*: ſed dolores non ſunt in inferno patrum; neque etiam in inferno puerorum, qui non puniuntur pœnâ ſenſus, propter peccatum actuale; ſed ſolùm pœnâ damni propter peccatum originale; ergo Chriſtus deſcendit in infernum damnatorum, vel etiam purgatorium, vbi homines puniuntur pœnâ ſenſus pro peccatis actualibus.

Act. 2. *v.* 24.

3. Dicitur quòd Chriſtus his qui in carcere concluſi erant, ſpiritus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando: conſtat autem quòd increduli erant in inferno damnatorum; ergo Chriſtus ad infernum damnatorum deſcendit.

1. *Pet.* 3. *v.* 19 & 20.

4 Chriſtus ad infernum deſcendens, omnes iuſtos qui originali peccato aſtricti tenebantur, abſoluit: ſed inter illos erat etiam Iob, qui de ſeipſo dicit, *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea*; ergo Chriſtus etiam vſque ad profundiſſimum infernum deſcendit.

Iob. 17. *v.* 16.

Dicendum quòd dupliciter dicitur eſſe aliquid alicubi; vno modo per ſuum effectum Et hoc modo Chriſtus in quemlibet inferrorum deſcendit: aliter tamen & aliter.

Quomodo Chriſtus deſcendit ad inferos.

Nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum, quòd deſcendens ad inferos, eos de ſua incredulitate & malitia confutauit. Illis verò qui detinebantur in purgatorio, ſpem gloriæ conſequendæ dedit. Sanctis autem patribus, qui pro ſolo peccato originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudit.

Aliquid dupliciter eſt in loco.

Alio modo dicitur aliquid eſſe alicubi per ſuam eſſentiam: & hoc modo anima Chriſti deſcendit ſolùm ad locum inferni, in quo iuſti detinebantur; vt quos ipſe per gratiam interiùs viſitabat, ſecundùm diuinitatem, eos etiam ſecundùm animam viſitaret & loco.

Sic autem in vna parte inferni exiſtens, effectum ſuum aliqualiter ad omnes inferni partes deriuauit: ſicut & in vno loco terræ paſſus, totum mundum ſuâ paſ-

Digitized by Google

ſione liberauit.

Ad 1. R. quòd Chriſtus qui eſt Dei ſapientia, penetrauit omnes inferiores partes terræ; non localiter ſecundùm animam, omnes circumeundo; ſed effectum ſuæ potentiæ aliqualiter ad omnes extendendo. Ita tamen quòd ſolos iuſtos illuminauit; ſequitur enim, *Et illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

Ad 2. R. quòd duplex eſt dolor, vnus de paſſione pœnitentiæ, quem patiuntur homines pro peccato actuali, ſecundùm illud, *Dolores inferni circundederunt me.* Alius autem dolor eſt de dilatione ſperatæ gloriæ, ſecundùm illud, *Spes quæ differtur, affligit* animam. Quem quidem dolorem patiebantur ſancti patres in inferno.

Pſal. 17. v. 6. Dolor duplex. *Prou. 13. v. 12.*

Vtroſque autem dolores Chriſtus ſoluit ad inferos deſcendens: aliter tamen, & aliter. Nam dolores pœnarum ſoluit præſeruando ab eis: ſicut medicus dicitur ſoluere morbum, à quo præſeruat per medicinam. Dolores autem cauſatos ex dilatione gloriæ, actualiter ſoluit gloriam præbendo.

Ad 3. R. hæc verba non referri ad deſcenſum Chriſti ad inferos, ſed ad operationem diuinitatis eius, quam exercuit à principio mundi. Vt ſit ſenſus, quod his qui in carcere concluſi erant viuentes, ſcilicet in corpore mortali (quòd eſt quaſi quidam carcer animæ) ſpiritus ſuæ diuinitatis veniens prædicauit per internas inſpirationes, & etiam exteriores admonitiones per ora iuſtorum. *His*, inquam, *prædicauit, qui increduli fuerant aliquando*; Noë ſcilicet prædicanti, quando expectabant Dei patientiam, per quam differebatur pœna diluuij: vnde ſubdit, *In diebus Noë, cùm fabricaretur arca.*

Ad 4. R. quòd reſpectu altitudinis terræ, loca illa inferni, quæ ſuperiora ſunt alijs receptaculis inferni, hoc modo inferni profundiſſimi appellatione ſignificantur. *3. p. q. 52. art. 2. ſimile lib. 3. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 1.*

ECCLI. *Cap. 25. v. 5.*

Quæ in iuuentute tua non congregaſti, in ſenectute quomodo metes?

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Paralip. cap. 29. v. 1.*

ECCLI. *Cap. 25. v. 13.*

Quam magnus eſt qui inuenit ſapientiam & ſcientiam; ſed non eſt ſuper timentem Dominum.

EXplicatur ſupra *Lib. 2. paralip. cap. 30. v. 19.*

ECCLI. *Cap. 25. v. 16.*

Timor Domini initium dilectionis eſt.

CItatur ſupra *Eccli. cap. 1. v. 5. vid. 2. 2. q. 19. art. 8. ad primum.*

ECCLI. *Cap. 25. v. 17.*

Omnis plaga triſtitia cordis eſt, & omnis malitia nequitia mulieris.

SIcut nequitia mulieris alias nequitias ſuperat; ita triſtitia cordis omnem plagam exteriorem excedit. *1. 2. q. 35. art. 7. ſed contra.*

ECCLI.

353

ECCLI. *Cap. 26. v. 5.*

A tribus timuit cor meum, delaturam ciuitatis &c.

Citatur ſupra *Lib. 4. Regum. cap. 1. v. 10.*

ECCLI. *Cap. 26. v. 20.*

Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.

PRopter hæc verba probat S. Thomas non poſſe fieri diſpenſationem in voto ſolemni continentiæ. *Lib. 4. ſent. Diſt. 38. q. 1. art. 4. ad tertium. Et 2. 2. q.* 88 *art. 11. ſed contra.*

Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ, Arguitur, votum dignioris rei e ſteminentius; ergo votum continentiæ eſt eminentius quàm votum obedientiæ.

Ad argum. R. quòd ex verbo illo non habetur quòd continentia præferatur omnibus alijs actibus virtuoſis, ſed conjugali caſtitati. Vel etiam, exterioribus diuitijs auri & argenti, quæ pondere menſurantur.

Vel per continentiam intelligitur vniuerſaliter abſtinentia ab omni malo. 2. *2. q.* 185. *a.* 8. *ad 2. ſimile 2. 2. q. 155. art. 4. ad primum.*

ECCLI. *Cap. 26. v. 28.*

Non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum.

ARguitur, opponuntur prudentiæ non minùs illa quæ habent directam oppoſitionem ad ipſam (ſicut imprudentia & partes eius) quàm illa, quæ cum ipſa ſimilitudinem habent; ſicut aſtutia, & quæ ad ipſam pertinent: ſed hæc vitia prohibentur in lege, dicitur enim, *Non facies calumniam proximo tuo.* Et, *non habebis in ſacculo tuo diuerſa pondera, minus & maius*; ergo & de illis vitijs quæ directè opponuntur prudentiæ aliqua præcepta prohibitiua dari debuerunt. *Leu. 19 v. 13. Deut. 25 v. 13.*

2. In multis alijs rebus poteſt fieri fraus, quàm in emptione & venditione; inconuenienter ergo fraudem in ſola emptione & venditione lex prohibuit.

Dicendum quòd iuſtitia maximè reſpicit rationem debiti, quòd requiritur ad præceptum; quia iuſtitia eſt ad reddendum debitum alteri, Aſtutia autem quantùm ad executionem maximè committitur in his, circa quæ eſt iuſtitia. Et ideo conueniens fuit vt præcepta prohibitiua darentur in lege de executione aſtutiæ, inquantum ad iniuſtitiam pertinet; ſicut cùm dolo & fraude aliquis alicui calumniam ingerit, vel eius bona ſurripit. *Iuſtitiæ deſcriptio.* *Aſtutiæ deſcriptio.*

Ad 1. R. quòd illa vitia quæ directè opponuntur prudentiæ manifeſtâ contrarietate, non ita pertinent ad iniuſtitiam, ſicut executio aſtutiæ. Et ideo non ita prohibentur in lege ſicut fraus & dolus, quæ ad iniuſtitiam pertinent.

Ad 2. R. quòd omnis fraus vel dolus commiſſa in his quæ ad iniuſtitiam pertinent, poteſt intelligi eſſe prohibita in prohibitione calumniæ. Præcipuè autem ſolet fraus exerceri & dolus in emptione & venditione, vt patet *in textu.* Propter hoc ſpecialiter præcep- *Leu. 19. v. 13.*

Digitized by Google

tum prohibitiuum datur in lege de fraude, circa emptiones & venditiones commiſſa. 2. 2. *q.* 56. *art.* 2.

Eccli. *Cap.* 27. *v.* 6.

Vaſa figul probat fornax.

IN eiſdem verbis ſacræ ſcripturæ latet multiplex intellectus: vnde & ille ignis poteſt intelligi tribulatio præſens, vel pœna ſequens: & per vtramque venialia purgari poſſunt. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad tertium.*

Eccli. *Cap.* 27. *v.* 8.

Ante ſermonem non laudes virum.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 9. *v.* 24.

Eccli. *Cap.* 28. *v.* 2.

Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.

Ioan. 9. *v.* 31. ARguitur, dicitur, *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Quod conſonat ei quod dicitur,
Prou. 28 *v.* 9. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*: oratio autem execrabilis non impetrat aliquid à Deo.

2. Chryſoſt dicit, pater non libenter exaudit orationem quam filius non dictauit: ſed in oratione quam Christus dictauit, dicitur,
Matt. 6. *v.* 12. *Dimitte nobis debita noſtra &c.* quod peccatores non faciunt; ergo vel mentiuntur hoc dicentes, & ſic non ſunt exauditione digni: vel ſi non dicant, non exaudiuntur; quia formam orandi à Chriſto inſtitutam non ſeruant.

Dicendum quòd in peccatore duo ſunt conſideranda, ſcilicet natura quam diligit Deus, & culpa quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit inquantum peccator, id eſt, ſecundùm deſiderium peccati; in hoc à Deo non auditur ex miſericordia; ſed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc ampliùs ruere in peccata. Quomodo Deus exaudit peccatores.

Orationem verò peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit, non quaſi ex iuſtitia; quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia: obſeruatis tamen quatuor conditionibus, vt ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeueranter, Et ſic patet ſolutio ad primum argumentum.

Nota quòd peccator non poteſt piè orare, quaſi eius oratio ex habitu virtutis informetur. Poteſt tamen eius oratio eſſe pia quantùm ad hoc quod petit aliquid ad pietatem pertinens; ſicut ille qui non habet habitum iuſtitiæ, poteſt aliquid iuſtum velle. Et quamuis eius oratio non ſit meritoria, poteſt tamen eſſe impetratiua; quia meritum innititur iuſtitiæ; ſed impetratio innititur gratiæ.

Ad 2. R. quòd oratio dominica profertur ex perſona communi totius Eccleſiæ. Et ideo ſi aliquis nolens dimittere debita proximo dicat orationem dominicam, non mentitur; quamuis hoc quod dicit non ſit verum quantùm ad ſuam perſonam: eſt enim verum quantùm ad perſonam Eccleſiæ, extra quam eſt merito: & ideo fructu orationis caret.

Digitized by Google

864

Quandoque tamen aliqui peccatores parati ſunt debitoribus ſuis dimittere: & ideo ipſi orantes exaudiuntur, vt patet *in textu*. 22. *q.* 83. *art.* 16.

Eccli. *Cap.* 28. *v.* 11.

Vir peccator conturbabit amicos.

Citatur ſupra *Leuit. cap.* 19. *v.* 16.

Eccli. *Cap.* 28. *v.* 15.

Suſurro & bilinguis maledictus erit.

Bilinguis propriè dicitur ſuſurro. Cùm enim amicitia ſit inter duos, nititur ſuſurro ex vtraque parte amicitiam rumpere: & ideo duabus linguis vtitur ad duos, vni dicens malum de alio. 2. 2. *q.* 74. *art.* 1. *ad tertium.*

Eccli. *Cap.* 29. *v.* 10.

Multi non causâ nequitia non fænerati ſunt.

Explicatur ſupra *Deuter. cap.* 15. *v.* 2. & *pſalm.* 14. *v.* 5.

Eccli. *Cap.* 29. *v.* 13.

Perde pecuniam propter fratrem, pone theſaurum in præceptis altiſſimi, & proderit tibi magis quàm aurum.

Arguitur, dare corporale pro ſpirituali vitium eſt ſimoniæ: ſed hoc vitium eſt omnino vitandum; non ergo ſunt dandæ eleemoſynæ ad conſequendum ſpirituales effectus.

Eccli. 17 v. 18. Sed contra eſt quod dicitur, *Eleemoſyna viri, gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.*

Dicendum quòd eleemoſyna corporalis tripliciter poteſt conſiderari: vno modo ſecundùm ſuam ſubſtantiam; & ſecundùm hoc non habet niſi corporalem effectum, inquantum ſcilicet ſupplet corporales defectus proximorum. Eleemoſyna corporalis tripliciter cōſideranda.

Alio modo poteſt conſiderari ex parte cauſæ eius, inquantum ſcilicet aliquis eleemoſynam corporalem dat propter dilectionem Dei & proximi. Et quantùm ad hoc affert fructum ſpiritualem, vt patet *in textu*.

Tertio modo ex parte effectus: & ſic etiam habet ſpiritualem effectum, inquantum ſcilicet proximus, cui per corporalem eleemoſynam ſubuenitur, mouetur ad orandum pro benefactore. Vnde & ibidem ſubditur. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eccli. 29 v. 15.

Ad argum. R. quòd ille qui dat eleemoſynam, non intendit emere aliquid ſpirituale per corporale; quia ſcit ſpiritualia in infinitum corporalibus præeminere: ſed intendit per charitatis effectum ſpiritualem fructum promereri. 2. 2. *q.* 31. *art.* 4.

Eccli. *Cap.* 30. *v.* 4.

Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.

Videtur quòd poſt iudicium quod in præſenti tempore agitur, non reſtet aliud iudicium generale; poſt vltimam enim re-

Digitized by Google

tributionem præmiorum & pœnarum, fruſtra adhibetur iudicium: ſed in hoc præſenti tempore fit retributio præmiorum & pœnarum; dixit enim Dominus latroni in
Lucæ. 23 *v.* 43 cruce, *Hodie mecum eris in paradiſo*,
Lucæ 16. Et dicitur quòd, *Mortuus eſt diues*,
v. 22. *& ſepultus eſt in inferno*; ergo fruſtra expectatur finale iudicium.

Nahũ. 1. *v.* 9. Secundum aliam literam. 2. Dicitur, *Non iudicat Deus bis in idipſum*: Sed in hoc tempore Dei iudicium exercetur, & quantùm ad temporalia, & quantùm ad ſpiritualia; ergo.

3. Præmium & pœna reſpondent merito & demerito: ſed meritum & demeritum non pertinent ad corpus, niſi inquantum eſt animæ inſtrumentum; ergo nec præmium ſeu pœna non debetur corpori, niſi propter animam. Non ergo requiritur aliud iudicium in fine ad hoc quòd homo præmietur aut puniatur in corpore, præter illud quo nunc puniuntur aut præmiantur animæ.

Sed contra eſt quod dicitur,
Ioan. 12 *v.* 48. *Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die*; erit ergo quoddam iudicium in nouiſſimo die præter iudicium quod nunc agitur.

Cur erit iudiciũ finale. Dicendum quòd iudicium de aliqua re mutabili, perfectè dari non poteſt ante eius conſummationem: ſicut iudicium de aliqua actione qualis ſit, perfectè dari non poteſt, antequam ſit conſummata, & in ſe, & in ſuis effectibus; quia multæ actiones videntur eſſe vtiles, quæ ex effectibus demonſtrantur nociuæ.

Et ſimiliter de homine aliquo iudicium perfectè dari non poteſt, quoad eius vita terminetur; eo quod multipliciter poteſt mutari de bono in malum, aut è conuerſo: vel de bono in melius, aut de malo in peius. Vnde Apoſtolus dicit quòd, *Hominibus ſtatutum eſt* *Hebr.* 9.
ſemel mori, poſt hoc autem iudicium. *v.* 27.

Sciendum tamen quòd licet per mortem vita hominis temporaliter terminetur ſecundùm ſe, remanet tamen ex futuris ſecundùm quid dependens: vno quidem modo ſecundùm quod adhuc viuit in memorijs hominum, in quibus quandoque contra vtilitatem remanet bonæ famæ vel malæ.

Alio modo in filijs, qui ſunt quaſi aliquid patris, vt patet *in textu*: & licet ſequatur in textu, *Similem reliquit ſibi poſt ſe*; tamen multorum bonorum ſunt mali filij, & è contrario.

Tertio modo, quantùm ad effectum ſuorum operum, ſicut ex deceptione Arij & aliorum ſeductorum pullulat infidelitas vſque ad finem mundi. Et vſque tunc proficit fides ex prædicatione Apoſtolorum.

Quarto modo quantùm ad corpus quod quandoque honorificè traditur ſepulturæ, quandoque verò relinquitur inſepultum, & tandem incineratum omnino reſoluitur.

Quinto modo quantùm ad ea, in quibus homo ſuum affectum defixit, putà in quibuſcumque temporalibus rebus, quarum quædam citiùs finiuntur, quædam diutiùs durant.

Omnia autem hæc ſubduntur exiſtimationi iudicij diuini: & ideo de his omnibus perfectum & manifeſtum iudicium haberi non

865

poteſt, quandiu hujus temporis curſus durat.

Et propter hoc oportet eſſe finale iudicium nouiſſimo die, in quo perfectè id quod ad vnumquemque hominem pertinet, quocumque modo perfectè & manifeſtè iudicetur.

Ad argum. R. quòd poſt mortem, quantùm ad ea quæ ſunt animæ, homo ſortitur quendam immutabilem ſtatum. Et ideo quantùm ad præmium animæ non oportet vlteriùs differri iudicium.

Sed quia quædam alia ſunt ad hominem pertinentia, quæ toto temporis curſu aguntur, quæ non ſunt aliena à diuino iudicio; oportet iterum in fine temporis omnia hæc in iudicium adduci.

Licet enim homo ſecundùm hæc non mereatur neque demereatur; tamen pertinent ad aliquod eius præmium vel pœnam. Vnde oportet hæc omnia æſtimari in finali iudicio.

Ad 2. R. quòd Deus non iudicabit bis in idipſum, id eſt, ſecundùm idem: ſed ſecundùm diuerſa non eſt inconueniens Deum bis iudicare.

Ad 3. R. quòd licet præmium vel pœna corporis dependeat ex præmio vel pœna animæ; tamen quia anima non eſt mutabilis, niſi per accidens, propter corpus, ſtatim ſeparata à corpore, habet ſtatum immutabilem, & accipit ſuum iudicium.

Sed corpus remanet mutabilitati ſubjectum vſque ad finem temporis. Et ideo oportet quòd tunc recipiat ſuum præmium, vel pœnam in finali iudicio. 3. *p. q.* 59. *art.* 5.

ECCLI. *Cap.* 30. *v.* 8.

Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit preceps.

ALiquid dicitur eſſe puerile dupliciter: vno modo quia conuenit pueris: alio modo ſecundùm quandam ſimilitudinem. Et hoc modo peccata intemperantiæ puerilia dicuntur: peccatum enim intemperantiæ eſt peccatum ſuperfluæ concupiſcentiæ, quæ aſſimilatur puero quoad tria.

Primò quidem, quantùm ad id quod vterque appetit: ſicut enim puer, ita & concupiſcentia appetit aliquid turpe. Cujus ratio eſt, quia pulchrum in rebus humanis attenditur prout aliquid eſt ordinatum ſecundùm rationem. Puer autem non attendit ad ordinem rationis: & ſimiliter concupiſcentia non audit rationem. Intemperária puero comparata propter tria.

Secundò conueniunt quantùm ad euentum; puer enim ſi ſuæ voluntati dimittatur, creſcit in propria voluntate, vt patet *in textu.* Ita etiam & concupiſcentia, ſi ei ſatisfiat, majus robur accipit.

Tertiò, quantùm ad remedium quod vtrique præbetur: puer enim emendatur per hoc quòd coërcetur; vnde dicitur, *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: tu virgâ percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Et ſimiliter dum concupiſcentiæ reſiſtitur, reducitur ad debitum honeſtatis modum. *Prou.* 23. *v.* 13.

Quemadmodum ergo puerum oportet ſecundùm preceptum pædagogi viuere, ſic & concupiſcibile conſonare rationi. 22 *q.* 142. *art.* 2. *in corpore.*

ECCLI. *Cap.* 30. *v.* 16.

Non eſt cenſus ſupra cenſum ſalutis corporis.

ARguitur, in eo quod eſt optimum conſiſtit beatitudo; ergo *ex textu* conſiſtit in corporis ſalute.

Ad argum. R. quòd ſicut corpus ordinatur ad animam ſicut ad finem; ita bona exteriora ad ipſum corpus. Et ideo rationabiliter bonum corporis præfertur bonis exterioribus quæ per cenſum ſignificantur: ſicut & bonum animæ præfertur omnibus bonis corporis. *1. 2. q. 2. art. 5. ad primum.*

ECCLI. *Cap.* 30. *v.* 24.

Miſerere animæ tuæ placens Deo.

AD ſubueniendum ſibi in corporalibus natura ſatis inclinat: & ideo de hoc non oportuit dari præceptum; ſed ſolùm de ſubueniendo animæ, ad quam non ita multi inclinantur, vt patet in textu. *Lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 6. in corpore.*

Miſerere animæ tuæ placens Deo. Videtur quòd vita actiua ſit majoris meriti, quàm contemplatiua; meritum enim dicitur reſpectu mercedis: merces autem debetur
1. Cor. 3. v. 18. labori, ſecundùm illud, *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*: Sed vitæ actiuæ attribuitur labor, contemplatiuæ verò quies; ergo.

2. Greg. dicit quòd nullum ſacrificium eſt Deo magis acceptum, quàm zelus animarum; ſed per zelum animarum aliquis ſe conuertit ad ſtudia vitæ actiuæ; ergo videtur quòd vita contemplatiua non ſit majoris meriti quàm actiua.

Dicendum quòd radix merendi eſt charitas: cùm autem charitas conſiſtat in dilectione Dei & proximi; Deum diligere ſecundùm ſe eſt magis meritorium, quàm diligere proximum. Et ideo illud quod directiùs pertinet ad dilectionem Dei, magis eſt meritorium ex ſuo genere, quàm id quod directè pertinet ad dilectionem proximi propter Deum.

Vita autem contemplatiua directè & immediatè pertinet ad dilectionem Dei: vita autem actiua directiùs ordinatur ad dilectionem proximi; quia, *Satagit circa frequens miniſterium*, vt dicitur. Et ideo ex ſuo genere contemplatiua vita eſt majoris meriti quàm actiua. Quomodo differũt vita cõtemplatiua & actiua. Luca. 10 v. 4.

Poteſt tamen contingere quòd aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ; purà ſi propter abundantiam diuini amoris, vt eius voluntas impleatur propter ipſius gloriam; interdum ſuſtinet à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus ſeparari. Sicut Apoſtolus dicebat, *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Rom. 9. v. 3.

Ad 1 R. quòd labor exterior operatur ad augmentum præmij accidentalis. Sed augmentum meriti reſpectu præmij eſſentialis conſiſtit principaliter in charitate, cujus quoddam ſignum eſt labor exterior toleratus propter Chriſtum. Sed multò expreſſius eius ſignum eſt, quòd aliquis prætermiſſis omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, ſoli diuinæ contempla-

Digitized by Google

866

tioni vacare delectetur.

Nota quòd in ſtatu felicitatis futuræ homo peruenit ad perfectum: & ideo non relinquitur locus proficiendi per meritum. Si tamen relinqueretur, eſſet efficacius meritum propter majorem charitatem.

Sed contemplatio præſentis vitæ cum quadam imperfectione eſt, & adhuc habet quo proficiat: & ideo non tollit rationem merendi; ſed augmentum meriti facit propter majus exercitium charitatis diuinæ.

Ad 2. R. quòd ſacrificium ſpiritualiter Deo offertur, cùm aliquid ei exhibetur. Inter omnia autem bona hominis, Deus maximè acceptat bonum humanæ animę, vt hoc ſibi in ſacrificium offeratur.

Offerre autem debet aliquis Deo, primò quidem animam ſuam, vt patet *in textu*. Secundò autem animas aliorum, ſecundùm illud, *Apo 22. v. 17.* *Qui audit, dicat veni.*

Quantò autem homo animam ſuam, vel alterius propinquiùs Deo conjungit, tantò ſacrificium eſt Deo magis acceptum. Vnde magis acceptum eſt Deo quòd aliquis animam ſuam & aliarum applicet contemplationi, quàm actioni.

Per hoc ergo quod dicitur quod nullum ſacrificium eſt Deo magis acceptum, quàm zelus animarum; non præfertur meritum vitæ actiuæ merito vitæ contemplatiuæ: ſed oſtenditur magis eſſe meritorium, ſi quis offerat Deo animam ſuam & aliorum, quàm quæcumque alia exteriora dona. 2. 2. *q.* 182. *art.* 2.

ECCLI. *Cap.* 30. *v.* 24.

Triſtitiam longè expelle à te.

Videtur quòd non expediat continuè de peccato dolere; nam illud quod eſt de ſe malum & fugiendum, non eſt aſſumendum niſi quatenus eſt neceſſarium, vt medicina ad aliquid: ſicut patet de vſtione & ſectione vulneris: ſed triſtitia de ſe mala eſt, vt patet *in textu*; & ſubditur cauſa, *Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa*; ergo non debet ampliùs dolere de peccato, niſi quatenus ſufficit ad peccatum delendum: ſed ſtatim poſt primam contritionis triſtitiam peccatum deletum eſt, ergo non expedit vlteriùs dolere. *Eccl. 30. v. 25.*

Sed contra eſt, Actus in quibus conſiſtit beatitudo expedit ſemper continuare quantùm poſſibile eſt; ſed hujuſmodi eſt dolor de peccato, dicitur enim, *Beati qui lugent*; ergo expedit dolorem continuare quantùm poſſibile eſt. *Matt. 5. v. 5.*

Dicendum quòd hæc eſt conditio in actibus virtutum inuenta, quòd non poteſt in eis accipi ſuperfluum & diminutum: vnde cùm contritio (quantùm ad id quod eſt diſplicentia quædam in appetitu rationis) ſit actus pœnitiæ virtutis, numquam poteſt ibi eſſe ſuperfluum: & ſicut nec quantùm ad intenſionem, ita nec quantùm ad durationem; niſi ſecundùm quod actus vnius virtutis impedit actum alterius magis neceſſarium pro tempore illo. Vnde quantumcumque homo continuè in actibus hujus diſplicentiæ eſſe

poſſit, quod magis & melius eſt; dummodo actus aliarum virtutum vacet ſuo tempore ſecundùm quod oportet.

Sed paſſiones poſſunt habere ſuperfluum & diminutum, & quantùm ad intenſionem, & quantùm ad durationem: & ideo ſicut paſſio doloris, quam voluntas aſſumit, debet eſſe moderatè intenſa; ita debet moderatè durare; ne ſi nimis duret, homo in deſperationem & puſillanimitatem, & hujuſmodi vitia labatur.

Ad argum. R. quòd textus ille de triſtitia ſeculi loquitur.

Vel loquitur de triſtitia quæ eſt paſſio qua moderatè vtendum eſt, ſecundùm quod expedit ad finem ad quem aſſumitur. *Lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 4. q. 2. & ſupplem. q. 4. art. 2.*

ECCLI. *Cap.* 30. *v.* 25.

Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.

HÆc auctoritas intelligitur de immoderata triſtitia, quæ animum abſorbet; hujuſmodi enim triſtitia immobilitat animum & impedit fugam mali 1. *2. q. 39. art. 3. ad primum.*

Multos occidit triſtitia. Arguitur, virtutes perfectiſſimè ſunt in patria: ſed ibi non eſt patientia; quia nulla ſunt ibi mala toleranda,
Eſa. 49. v. 10. ſecundùm illud, *Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus, neque ſole*; ergo patientia non eſt
Apo 7. v. 16. virtus.

2. Nulla virtus in malis poteſt inueniri; quia virtus eſt quę bonum facit habentem: ſed patientia quandoque in malis hominibus inuenitur, ſicut patet in auaris, qui multa mala patienter tolerant vt pecunias congregent; ſecundùm illud, *Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia*; ergo *Eccle. 5. v. 10.*
patientia non eſt virtus.

3. Fructus à virtutibus differunt: *Gal. 5. v. 22.*
ſed patientia ponitur inter fructus, vt patet; ergo patientia non eſt virtus.

Dicendum quòd virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conſeruant bonum rationis contra impetus paſſionum. Inter alias autem paſſiones triſtitia efficax eſt ad impediendum bonum rationis, vt patet *ex textu.* Et *Seculi triſtitia mortem operatur.* *2. Cor. 7. v. 10.*

Vnde neceſſe eſt habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conſeruetur contra triſtitiam, ne ſcilicet ratio triſtitiæ ſuccumbat: hoc autem facit patientia. Vnde manifeſtum eſt patientiam eſſe virtutem.

Ad 1. R. quòd virtutes morales non remanent ſecundùm eundem actum in patria quem habent in via, ſcilicet per comparationem ad bona præſentis vitæ, quæ non remanebunt in patria; ſed per comparationem ad finem qui erit in patria.

Sicut iuſtitia non erit in patria circa emptiones & venditiones, & alia quæ pertinent ad præſentem vitam; ſed in hoc quod eſt ſubditum eſſe Deo.

Similiter actus patientiæ in patria non erit in ſuſtinendo aliqua; ſed in fruitione bonorum, in quæ peruenire volebamus patiendo.

Ad 2. R. quòd patientes propriè dicuntur qui malunt mala non commit-

committendo ferre, quàm non ferendo committere. In illis autem qui mala ſuſtinent vt mala faciant, nec miranda, nec laudanda eſt patientia, quæ nulla eſt; ſed miranda duritia, neganda patientia.

Ad 3. R. quòd patientia quantùm ad habitum ponitur virtus: quantùm autem ad delectationem quam habet in actu, ponitur fructus & præcipuè quantùm ad hoc quòd per patientiam animus præſeruatur ne obruatur triſtitiâ. 2. 2. q. 136. art. 1.

Idem locus explicatur ſupra *Eccle. cap. 7. v. 5 & Eccli. cap. 30. v. 24.*

ECCLI. Cap. 31. v. 1.

Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.

Explicatur ſupra *Pſalm.* 1. *v.* 2.

ECCLI. Cap. 31. v. 8.

Beatus diues qui poſt aurum non abijt.

Explicatur ſupra *Lib. 1. paralip. cap. 29. v. 1. Vid. Quodlib. 3. art. 13. & contra Gentiles lib. 3. cap. 127.*

ECCLI. Cap. 31. v. 10.

Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus facere mala & non fecit.

Nihil quod eſt laudabilitatis ei ſubtrahendum eſt qui magnus eſt & laudabilis nimis: ſed poſſe facere malum & non facere eſt laudabilitatis; ergo Deo conuenit. Dicendum quod aliquid eſt laudabile inferiori naturæ, quod in ſuperiori vituperabile eſſet: ſicut eſſe ferox in cane & leone eſt laudabile, ſed in homine vituperabile: ita & non peccare, cùm poſſit eſſe laus hominis; ſed blaſphemia Dei, ſi de ipſo dicatur. *Lib. 1. ſent. diſt. 42. q. 2. art. 1. Tom. 6.*

Nulla ratio laudabilitatis ſubtrahenda à bonis Angelis: ſed hæc eſt ratio laudis in hominibus quòd non peccent cùm peccare poſſint.

Dicendum quod laudabilitas non dependet eſſentialiter à poteſtate peccandi, ſed à voluntate adhærente bono: Aliàs virtuoſus in quo eſt minor mobilitas ad peccandum, eſſet minùs laudabilis in actu ſuo, quàm carens virtute & bonum operans: ſed poteſtas peccandi eſt ſignum laudabilitatis reſpectu laudantium, in quantum oſtendit non coactè voluntatem bono adhærentem. *Lib. 2. ſent. diſt. 7. q. 1. art. 1. Tom. 6.*

Idem locus citatur ſupra *Lib. 3. Regum cap. 21. v. 21.*

ECCLI. Cap. 31. v. 25.

Si coactus fueris in edendo multùm, ſurge è medio, & vome, & refrigerabit te.

Citatur ſupra *Prouerb. cap. 2. v. 14.*

ECCLI. Cap. 31. v. 36.

Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum.

Citatur ſupra *Sapientiæ cap. 7. v. 28.*

ECCLI. *Cap. 32. v. 9.*

Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem.

ARguitur, ille qui baptizatur quandoque non intelligit verba, putà ſi ſurdus aut puer: fruſtra autem ad talem ſermo dirigitur, vt patet *in textu*; ergo inconuenienter dicitur, *Ego te baptizo*, ſermone directo ad eum qui baptizatur.

Ad argum. R. quòd verba quæ proferuntur in formis ſacramentorum, non pronuntiantur ſolùm causâ ſignificandi, ſed etiam causâ efficiendi; inquantum habent efficaciam ab illo Verbo per quod facta ſunt omnia. Et ideo conuenienter diriguntur non ſolùm ad homines non intelligentes, ſed etiam ad creaturas inſenſibiles; vt *Exorcizo te creatura ſalis. 3. p. q. 96. art. 5. ad tertium.*

ECCLI. *Cap 33. v. 15.*

In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos &c.

EXplicatur ſupra *Pſalm. 90. v. 11.*

ECCLI. *Cap. 33. v. 15.*

Contra malum bonum eſt, & contra vitam mors, ſic & contra virum iuſtum peccator.

ARguitur, contrariorum effectuum contrariæ ſunt cauſæ: ſed in rebus inuenitur contrarietas, vt patet *in textu*; ergo ſunt contraria principia, vnum boni, & aliud mali.

Ad argum. R. quòd contraria conueniunt in genere vno, & etiam conueniunt in ratione eſſendi. Et ideo licet habeant cauſas particulares contrarias; tamen oportet deuenire ad vnam primam cauſam communem. *1. p. q. 49. art. 3. ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 31. vid. in quæſt. diſp. q. 3. de potentia art. 6. ad decimum tertium.*

ECCLI. *Cap. 33. v. 28.*

Seruo maleuolo tortura & compedes

EXplicatur ſupra *Prouerbior. cap. 13. v. 24.*

ECCLI. *Cap 33. v. 31.*

Seruus ſi eſt tibi fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.

OStendit ſapiens tria circa Dominum & ſeruum, ſcilicet quod requiratur ex parte ſerui. Item qualis debet eſſe affectus Domini ad ſeruum. Item qualis vſus ſerui. Ex parte ſerui requiritur fidelitas, in qua eſt bonum ſerui; quia & quod eſt & omnia ſua debet dare domino. *Fidelis ſeruus & prudens &c.* Et dicit, ſi eſt fidelis; quia fidelitas apud paucos eſt, *Virum fidelem quis inueniet?* *Matt. 24 v. 45.* Seruorũ & dominorũ qualitates

Talis ergo ſeruus debet haberi à Domino ſicut amicus in affectu. Vnde dicit, *Sit tibi ſicut anima tua.* Hoc enim eſt proprium amicorum, vt eorum anima vna ſit in nolendo & volendo. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*; in quo datur intelli- *Prou. 20 v. 6.*

gi quòd eſt quidam conſenſus inter dominum & ſeruum; quia ſeruus fidelis tranſit in amicum.

Vſus eius eſt vt tractet quaſi frater; nam frater eſt & quantùm ad generationem naturæ; quia eodem auctore, *Nunquid non vnus pater omnium noſtrum? Nunquid non vnus Deus?*
Mal. 2. v. 10.

Et quantùm ad generationem gratiæ, quæ eſt eadem, *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, non eſt Iudeus, neque græcus, non eſt ſeruus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Omnes vos fratres eſtis. In prologo Epiſt. ad Philemonem.*
Gal. 3. v. 17.
Matt. 23 v. 8.

ECCLI. *Cap.* 34. *v.* 2.

Quaſi qui comprehendit ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia.

ARrguitur, nihil apprehenditur niſi ſecundùm quod habet rationem veri; ſicut nihil appetitur niſi ſecundùm quod habet rationem boni: ſed creaturæ viſibiles comparantur mendacio, vt patet *in textu*; ergo creaturæ ſunt magis incognitæ quàm notæ.

Creatura nihil eſt niſi in comparatione ad Deũ.

Ad argum. R. quòd creatura viſibilis non habet veritatem niſi ſecundùm quod accedit ad primam veritatem; ſecundùm verò quod ab ea recedit habet falſitatem.

Aliquid ergo comparatur Deo dupliciter, vel ſecundùm commenſurationem; & ſic creatura Deo comparata inuenitur quaſi nihil.

Vel ſecundùm conuerſionem ad Deum à quo eſſe recipit; & ſic hoc ſolum eſſe habet quo comparatur ad Deum. *In quæſt. diſp. q.* 2. *de verit. art.* 3. *ad decimum ſeptimum.*

ECCLI. *Cap.* 34. *v.* 4.

Ab immundo quis mundabitur?

ARguitur, peccator omnis eſt immundus; ergo ab eo nullus poteſt mundari; ergo videtur quòd per malos res ſacramenti non conferatur.

Ad argum. R. quòd actio non attribuitur inſtrumento propriè, ſed principali agenti. Vnde propriè & per ſe loquendo, iſte malus miniſter non eſt qui mundat, ſed Chriſtus, de quo dictum eſt, *Hic eſt qui baptizat. Lib. 4. ſent. diſt.* 5. *q.* 2. *art.* 2. *ad primum. ſimile* 3. *p. q.* 64 *art.* 5. Ioan. 1. v. 33.

Idem locus citatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 43.

ECCLI. *Cap.* 34 *v.* 9.

Qui tentatus non eſt, qualia ſcit?

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 3. *v.* 1.

ECCLI. *Cap.* 34. *v.* 21.

Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.

EXplicatur ſupra *Prouerb. cap.* 3. *v.* 9.

ECCLI. *Cap.* 34. *v.* 23.

Dona iniquorum non probat altiſſimus.

VIdetur quòd in Chriſto fuerit peccatum; dicitur enim *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longè à ſalute mea verba delictorum meorum?* Sed hæc verba dicuntur ex perſona ipſius Chriſti, vt patet ex hoc quòd ipſe ea in cruce protulit; ergo videtur quòd in Chriſto fuerint delicta.

Pſal. 21. *v.* 2.

2. Dicit Apoſtolus quòd, *In Adam omnes peccauerunt*; quia ſcilicet in eo originaliter fuit in Adam; ergo.

Rom. 5. *v.* 12.

3. Dicitur, *Eum qui non nouerat peccatum*, ſcilicet Chriſtum, *Pro nobis peccatum feciſſe*: ſed illud verè eſt, quod à Deo factum eſt; ergo in Chriſto verè fuit peccatum.

1.*Cor.* 5. *v.* 21.

Sed contra eſt quod ipſe dicit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Ioan. 8. *v.* 46.

Dicendum quòd Chriſtus ſuſcepit defectus noſtros, vt pro nobis ſatisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobaret, & vt nobis fieret exemplum virtutis. Secundùm quæ tria manifeſtum eſt, quod defectum peccati aſſumere non debuit.

Chriſtus non habuit peccatũ propter tria.

Primò quidem, quia peccatum nihil operatur ad ſatisfactionem; quinimo virtutem ſatisfactionis impedit, vt patet *in textu*.

Similiter etiam ex peccato non demonſtratur veritas humanæ naturæ; quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus eſt cauſa; ſed magis eſt contra naturam, per ſeminationem diaboli introductum.

Tertiò, quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit; cùm peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Chriſtus nullo modo aſſumpſit defectum peccati, nec originalis, nec actualis; ſecundùm illud quod dicitur, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.*

1.*Pet.* 2. *v.* 22.

Ad 1. R. quòd dupliciter dicitur aliquid de Chriſto; vno modo ſecundùm proprietatem naturalem & hypoſtaticam; ſicut dicitur quòd Deus factus eſt homo, & quòd paſſus eſt pro nobis.

De Chri aliq dupl ter c tur.

Alio modo, ſecundùm proprietatem perſonalem & habitudinalem, prout ſcilicet aliqua dicuntur de ipſo in perſona noſtra, quæ ſibi ſecundùm ſe nullo modo conueniunt; vt quando Chriſtus & Eccleſia vna perſona æſtimatur.

Et ſecundùm hoc Chriſtus ex perſona membrorum ſuorum loquens dicit, *Verba delictorum meorum*; non quòd in ipſo capite delicta fuerint.

Ad 2. R. quòd non eodem omni modo Chriſtus fuit in Adam & in alijs patribus quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam ſecundùm ſeminalem rationem, & ſecundùm corpulentam ſubſtantiam; quia ſcilicet cùm ſit in ſemine & viſibilis corpulentia, & inuiſibilis ratio; vtrumque currit ex Adam.

Sed Chriſtus viſibilem carnis ſubſtantiam de carne Virginis ſumpſit; ratio verò conceptionis eius, non à ſemine virili, ſed longè aliter ac deſuper venit. Vnde non fuit in Adam ſecundùm ſeminalem rationem, ſed ſolùm ſecun-

Quomodo Chriſtus ex Adã fuit.

dùm corpulentam ſubſtantiam.

Et ideo Chriſtus non accepit actiuè ab Adam humanam naturam, ſed ſolùm materialiter: actiuè verò à ſpiritu ſancto. Sicut & ipſe Adam materialiter ſumpſit corpus ex limo terræ: actiuè autem à Deo.

Et propter hoc Chriſtus non peccauit in Adam, in quo fuit ſolùm ſecundùm materiam.

Ad 3. R. quòd Deus fecit Chriſtum peccatum; non quidem vt in ſe peccatum haberet, ſed quia fecit eum hoſtiam pro peccato.
Oſe. 4. *v.* 8. Sicut & dicitur, *Peccata populi mei comedent*, ſcilicet Sacerdotes, qui ſecundùm legem comedebant hoſtias pro peccato oblatas.

Et ſecundùm hunc modum dicitur quòd *Dominus poſuit in eo* *Eſa.* 53. *v.* 6. *iniquitatem omnium*; qui ſcilicet eum tradidit, vt eſſet hoſtia pro peccatis omnium hominum. Vel *Rom.* 8. *v.* 3. fecit eum peccatum, id eſt, *Habentem ſimilitudinem carnis peccati*, vt dicitur: & hoc propter corpus paſſibile & mortale quod aſſumpſit. *3. p. q.* 15. *art.* 1.

ECCLI. *Cap.* 34. *v.* 24.

Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.

Citatur *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 3. *in corpore.*

ECCLI. *Cap.* 34. *v.* 25.

Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.

Peccatum mortale eſt non ſolùm homicidium, per quod vita hominis tollitur; ſed etiam furtum, per quod ſubtrahuntur exteriora bona quæ ad vitam hominis ſuſtentandam ordinantur, vt patet in textu. *In quæſt. diſp. q.* 15. *de malo art.* 2. *in corpore.*

ECCLI. *Cap.* 34 *v.* 30.

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?

Videtur per hunc textum quòd baptiſmus ſit ipſa ablutio, ſiue lauatio. 3. *p, q.* 66. *art.* 1. *ſed contra.*

ECCLI. *Cap.* 35. *v.* 17.

Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus.

Arguitur, in ſacra ſcriptura præcipuè reprehenduntur qui pupillis & viduis iniurias inferunt, vt patet *in textu*: ſed vidua & pupillus non ſunt perſonæ alijs conjunctæ; ergo ex hoc quòd inferunt iniuriam perſonis conjunctis, non aggrauatur peccatum.

Sed contra eſt quòd ad quandam exaggerationem dicitur, *Filij tui & filia tua tradentur alteri populo videntibus oculis tuis.* *Deut.* 28. *v.* 32.

Dicendum quòd quantò aliqua iniuria in plures redundat, cæteris paribus, tantò grauius eſt peccatum: & inde eſt quòd grauius eſt peccatum ſi aliquis percutiat principem, quàm perſonam priuatam; quia redundat in injuriam totius multitudinis.

Cùm autem infertur iniuria in aliquam perſonam conjunctam

Digitized by Google

alteri, qualitercumque illa iniuria pertinet ad duas perſonas: & ideo, cæteris paribus, ex hoc ipſo aggrauatur peccatum.

Poteſt tamen contingere, quòd ſecundùm aliquas circumſtantias, ſit grauius peccatum quod fit contra perſonam nulli conjunctam, vel propter dignitatem perſonæ, vel propter magnitudinem nocumenti.

Viduarum cura. Ad argum. R. quòd iniuriæ illatæ in viduas & pupillos magis exaggerantur; tum quia magis opponuntur miſericordiæ, tum quia idem nocumentum hujuſmodi perſonis inflictum, eſt eis grauius; quia non habent releuantem. 2. 2. *q. 65. art.* 4.

Eccli. *Cap. 36. v. 6.*

Innoua ſigna, & immuta mirabilia.

Citatur ſupra *Eccle. cap.* 1. *v.* 10.

Eccli. *Cap. 36. v.* 10.

Feſtina tempus, & memento finis.

Explicatur infra *Eccl. cap.* 43. *v. 24.*

Eccli. *Cap. 37. v. 3.*

O præſumptio nequiſſima, vnde creata es?

Citatur *2. 2. q. 153. art. 2. ad quartum.*

Eccli. *Cap. 37. v. 12.*

Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate.

Explicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap 17. v. 39.*

Eccli. *Cap. 37. v. 33.*

In multis eſcis erit infirmitas, & propter crapulam multi obierunt.

Arguitur, grauius peccatum eſt quòd homo occidat ſeipſum, quàm quòd occidat alium. Et ſimiliter grauius peccatum eſſe videtur quòd aliquis inferat nocumentum ſuo corpori, quàm corpori alterius: ſed per gulam infertur nocumentum proprio corpori, vt patet *in textu.* ergo gula eſt peccatum mortale, ſicut & ira quæ tendit in nocumentum proximi.

Ad argum. R. quòd nocumentum proximi eſt per ſe obiectum iræ; appetit enim ira vindictam iniuſtam, quæ conſiſtit in proximi nocumento. Quomodo differũt ira & gula.

Sed nocumentum proprij corporis non eſt proprium objectum gulæ; ſed conſequitur quandoque ad objectum præter intentionem: & tale nocumentum eſt præter rationem gulæ.

Si quis tamen ſcienter propter immoderatam concupiſcentiam cibi, graue ſuo corpori nocumentum inferret, nimis comedendo, & nociua ſumendo; non excuſaretur à peccato mortali. *In quæſt. diſp. q. 14. de malo art. 2. ad quartum. ſimile 2. 2. q. 147. art. 3. ad tertium.*

Digitized by Google

870

Eccli. *Cap.* 38. *v.* 4.

Altiſſimus creauit de terra medicinam.

Explicatur infra de humanitate Chriſti, quæ habet medicinalem efficaciam contra peccatum per ſacramenta.

Eccli. *Cap* 38. *v.* 19.

A triſtitia feſtinat mors.

Explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 17. *v.* 22.

Eccli. *Cap.* 38. *v.* 25.

Qui minoratur actu percipiet ſapientiam.

Actio impedit contéplationem.

Arguitur, exterior occupatio impedit ſapientiæ contemplationem, vt patet *in textu*; ſi igitur Angeli aliqui mittuntur ad exteriora miniſteria, videtur quòd retardentur à contemplatione. Sed tota eorum beatitudo in contemplatione Dei conſiſtit; ſi ergo mitterentur, eorum beatitudo minueretur, quod eſt inconueniens.

Ad argum. R. quòd in nobis exterior ocupatio puritatem contemplationis impedit; quia actioni inſiſtimus ſecundùm ſenſitiuas vires, quarum actiones cùm intenduntur, retardantur actiones intellectiuæ virtutis.

Sed Angelus per ſolam intellectualem operationem regulat ſuas actiones exteriores. Vnde actiones exteriores in nullo impediunt eius contemplationem; quia duarum actionum quarum vna eſt regula & ratio alterius, vna non impedit, ſed iuuat aliam. *1. p. q.* 112. *art.* 1. *ad tertium.*

Eccli. *Cap.* 39. *v.* 1.

Sapientiam antiquorum exquiret ſapiens.

Citatur ſupra *Pſalm. primo. v.* 2.

Eccli. *Cap.* 39. *v.* 24.

Non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius, à ſeculo & vſque in ſeculum reſpicit.

Citatur *Lib.* 1. *contra Gentiles cap.* 67.

Eccli. *Cap.* 39. *v.* 27.

Benedictio illius quaſi fluuius.

Citatur ſupra *Eccleſiaſtici. cap* 1. *v.* 7.

Eccli. *Cap.* 41. *v.* 3.

O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti &c.

Arguitur, majus malum magis eſt fugiendum: ſed non eſſe eſt maximum malum, cùm tollat totaliter bonum, eo quòd nihil relinquat; ergo non eſſe eſt magis fugiendum, quàm miſerum eſſe.

Sed contra eſt quod dicitur, *In diebus illis deſiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis.* Apoc. 9. v. 6. Præt. Damnatorum miſeria omnem hujus mundi miſeriam excedit: ſed ad vitandam miſeriam hujus mundi, appetibile eſt aliquibus mori, vt

patet *in textu*; ergo multò fortiùs eſt damnatis appetibile non eſſe, ſecundùm rationem deliberatiuam.

Dicendum quòd non eſſe poteſt dupliciter conſiderari; vno modo ſecundùm ſe: & ſic nullo modo eſt appetibile, cùm non habeat rationem boni, ſed ſit boni pura priuatio.

Alio modo poteſt conſiderari inquantum eſt ablatiuum pœnalis vitæ vel miſeriæ: & ſic non eſſe accipit rationem boni; carere enim malo eſt quoddam bonum.

Quomodo damnati appetunt nō eſſe.

Et per hunc modum melius eſt damnatis non eſſe, quàm miſeros eſſe. Vnde dicitur, *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.*

Matt. v. 26.

Ad argum. R. quòd licet non eſſe, maximè ſit malum; eſt tamen valde bonum inquantum priuat miſeria, quæ eſt maximum malum: & ſic non eſſe eligitur. *Supplem. q. 98. art. 3.*

ECCLI. *Cap. 41. v. 15.*

Curam habe de bono nomine.

EXplicatur ſupra *Prouerbior. cap. 22. v. 1.*

ECCLI. *Cap. 42. v. 11.*

Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis.

ARguitur, inferre alicui iniuriam, videtur magis ad iniuſtitiam quàm ad luxuriam pertinere: ſed ille qui ſtuprum committit, injuriam facit alteri, ſcilicet patri puellæ, quam corrumpit, qui poteſt ad animum ſuum iniuriam reuocare, & agere actione iniuriarum contra ſtupratorem; ergo ſtuprum non debet poni ſpecies luxuriæ.

Dicendum quòd vbi circa materiam alicujus vitij occurrit aliqua ſpecialis deformitas, ibi debet poni determinata ſpecies illius vitij. Luxuria autem eſt peccatum circa venerea exiſtens.

In virgine autem ſub cuſtodia patris exiſtente, quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur; tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quòd violatur nullâ pactione conjugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi; à quo retrahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitteret.

Tum etiam ex parte patris, qui de eius cuſtodia ſolicitudinem gerit, vt patet *in textu*. Et ideo manifeſtum eſt quòd ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriæ ſpecies.

Ad argum. R. quòd nihil prohibet vnum peccatum ex adjunctione alterius deformius fieri. Fit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato iniuſtitiæ; quia videtur concupiſcentia eſſe inordinatior, quæ à delectabili non abſtinet, vt iniuriam vitet. Stupri deſcriptio.

Habet autem duplicem iniuriam annexam; vnam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat; tamen eam ſeducit, & ſic tenetur ei ſatisfacere. Vnde dicitur, *Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam; & habebit eam in vxorem &c.* *Ex. 22. v. 16.*

Aliam

Aliam verò iniuriam facit patri puellæ. Vnde & ei ſecundùm legem tenetur ad pœnam: dicitur
Deut 22 v. 28. enim. *Si inuenerit vir puellam virginem, qua non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit; dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam vxorem &c.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 6.

Eccli. *Cap.* 42. *v.* 14.

Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.

HIc textus à quibuſdam ſic intelligitur, vt per virum intelligatur aliquis ſtrenuus ad aliquid fortiter operandum: per mulierem autem aliquis remiſſus & tepidus in operando. *In queſt. diſp. q.* 3. *de malo art.* 13. *ad ſecundum.*

Eccli. *Cap.* 42. *v.* 15.

Memor ero operum Domini.

CItatur ſupra *Sapientia cap.* 13. *v.* 1. *vid. lib.* 2. *contra Gentiles cap.* 2.

Eccli. *Cap.* 43. *v.* 10.

Species cœli gloria ſtellarum &c.

Cur mundus innouabitur. AD hoc innouatio mundi ordinatur, vt etiam mundo innouato manifeſtis indicijs, quaſi ſenſibiliter Deus ab homine videatur. Creatura autem præcipuè in Dei cognitionem ducit ſuâ ſpecie & decore, quæ manifeſtat ſapientiam facientis & gubernantis. Vnde dicitur,
Sap. 13. v. 5. *A magnitudine ſpeciei cognoſcibiliter poterit creator horum videri.*

Pulchritudo autem cœleſtium corporum præcipuè conſiſtit in luce, vt patet *in textu*: & ideo præcipuè quantùm ad claritatem corpora cœleſtia meliorabuntur. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 48. *q.* 3. *art.* 3. *in corpore. & ſupplem. q.* 91. *art.* 3. *in corpore.*

Eccli. *Cap.* 43. *v.* 15. & 24.

Medicina omnium in feſtinatione nebulæ.

SAcramenta nouæ legis per nebulam deſignantur triplici ratione: *primò*, propter principium; nam nebularum principium ſunt pluuiæ: ſunt enim pluuiarum reliquiæ. Ita & Sacramenta nouæ legis ſunt quædam diuinæ incarnationis reliquiæ, de quibus dicitur, *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.* Sacramenta nouæ legis nebulæ cõparata propter tria. Pſal. 20. v. 13.

Vnde dicitur, *Aperti ſunt theſauri, & euolauerunt nebulæ quaſi aues*; latere enim in cruce pendentis aperto, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abconditi*, vt dicitur, perfluxerunt ſacramenta quibus Eccleſia conſtituitur, & per quæ in cœlum euolatur. Eccl 43. v. 15. Coloſſ. 2. v. 3.

Secundò, propter ſignum, nam nebula eſt ſignum ſerenitatis futuræ: ita & ſacramenta ſunt ſigna ſerenitatis gratiæ, per quam anima ſerenatur à culpa: & gloriæ, per quam ſerenatur à miſeria. Et Et ideo dicitur, *Nebula puluis pedum eius*, ſcilicet Dei; quaſi eius præſentiam in anima præſignantes, per quam præſentiam anima ſerenatur. Vnde ſubjungitur, *Increpans mare & exſiccans illud.* Nahũ. 1 v. 3.

Tertiò, propter occultationis ef-

fectum; nam per nebulam occultantur res à noſtris aſpectibus: ita & in ſacramentis occultatur inuiſibilis gratia quæ operatur ſalutem. *Dixit Dominus vt habitaret*
3.Reg 8. v. 10. *in nebula.*

Hujus ergo nebulæ, ſcilicet Eccleſiæ ſacramenta deſcribuntur, in verbis præmiſſis quantùm ad tria; tangitur namque ſacramentorum effectus, virtus, & tempus.

Effectus quidem in hoc quòd dicit, *medicina*: ſunt enim ſacramenta quædam ſpirituales medicinæ ſanantes peccati vulnera; & de hac medicina dicitur, *Altiſſi-*
Eccli. 38 v. 4. *mus de terra creauit medicinam.* De terra namque, id eſt, de humanitate Chriſti, ſacramenta medicinalem efficaciam habent contra peccatum. *Deleui vt nubem iniqui-*
Eſa. 44. v. 22. *tates tuas, & quaſi nebulam peccata ſua.*

Virtus verò oſtenditur in hoc quod dicit *omnium*; quia efficaciam habent ſufficientem ad omnem medelam: & hoc eſt propter virtutem paſſionis Chriſti, quæ in eis operatur, *Qui eſt propitiatio pro*
Ioan. 2. v. 2. *peccatis noſtris, & non ſolùm pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi,* vt dicitur. Et ideo dicitur, *Sicut ne-*
Eccl. 24 v. 6. *bula texi omnem terram,* remedium ſcilicet per ſacramenta contra fomitis ardorem præbendo.

Tempus verò oſtenditur, in hoc quod dicit, *In feſtinatione.* Per ſacramenta enim fit quædam prælibatio futuræ ſalutis quæ erit in beatis, vt ſic per ſacramentorum inſtitutionem ſalus repromiſſa feſtinare videatur, quantùm ad ſui
Eccl 36. v. 1. primordia. Vnde dicitur, *Feſtina tempus*, ſcilicet gratiæ, in quo ſacramenta dantur, *Et memento finis*, ſcilicet perfectionis gloriæ.

Et ideo dicitur, *Et annuntians homini eloquium ſuum, faciens nebulam matutinam*; id eſt, ſacramenta quæ ſunt tempore gratiæ, Am. 4. v. 13. quod eſt quaſi matutinum reſpectu plenæ charitatis, quæ erit in patria. In prologo. *Lib. 4. ſent. ad Annibaldum.*

Eccli. *Cap. 43. v. 33.*

Benedicentes Dominum exaltate illum quantùm poteſtis, maior enim eſt omni laude.

Arguitur, Omnis virtus vel eſt Theologica, vel intellectualis, vel moralis: manifeſtum eſt autem quòd religio non eſt virtus intellectualis; quia eius perfectio non attenditur ſecundùm conſiderationem veri.

Similiter etiam non eſt virtus moralis, cujus proprium eſt tenere medium inter ſuperfluum & diminutum; non enim aliquis poteſt ſuperfluè Deum colere, vt patet *in textu*; ergo relinquitur quòd ſit virtus Theologica.

Ad argum. R. quòd religio eſt virtus moralis, cùm ſit pars iuſtitiæ; & medium in ipſa accipitur, Religio eſt virtus moralis. non quidem inter paſſiones, ſed ſecundùm quandam æqualitatem inter operationes quæ ſunt ad Deum.

Dico autem æqualitatem non abſolutè; quia Deo non poteſt tantùm exhiberi, quantùm ei debetur: ſed ſecundùm quandam conſiderationem humanæ facultatis, & diuinæ acceptationis.

Superfluum autem in his quæ ad diuinum cultum pertinent, eſſe poteſt, non ſecundùm circumſtan-

Digitized by Google

tiam quanti, ſed ſecundùm alias circumſtantias, puta quia cultus diuinus exhibetur cui non debet exhiberi, vel quando non debet, vel ſecundùm alias circumſtantias, prout non debet. 22. *q.* 81. *art.* 5. *ad tertium. ſimile. q.* 93. *art.* 2.

Virtus Theologica non cõſiſtit in medio.

Maior eſt omni laude. In omnibus in quibus conſiſtit virtus in medio, contingit peccare per exceſſum, ſicut & per defectum: ſed circa Deum qui eſt obiectum virtutis Theologicæ non contingit peccare per exceſſum, vt patet *in textu*; ergo virtus Theologica non conſiſtit in medio. 1. 2. *q.* 64. *art.* 4. *ſed contra.*

Idem locus citatur ſupra *Prouerbior. cap.* 17. *v.* 3.

Eccli. *Cap.* 43. *v.* 35. *&* 36.

Quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio? Multa abſcondita ſunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius.

Explicatur ſupra *Iob cap.* 26 *v.* 14.

Eccli. *Cap.* 44. *v.* 16.

Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum.

Paradiſus duplex.

Duplex eſt Paradiſus, ſcilicet cœleſtis, quæ eſt ipſa viſio Dei; & terreſtris. Per peccatum autem primi hominis clauſa fuit ianua Paradiſi terreſtris in ſignum quòd humanæ naturæ claudebatur oſtium paradiſi cœleſtis. Henoch tamen & Helias hunc paradiſum terreſtrem ingreſſi ſunt, non tamen paradiſum cœleſtem. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 18. *art.* 6. *q.* 2. *ad primum.*

Eccli. *Cap.* 46. *v.* 23.

Dormiuit & notum fecit regi finem vitæ ſuæ &c.

Explicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 28. *v.* 15. *&* 19.

Eccli. *Cap.* 47. *v.* 21.

Salomoni dediſti maculam in gloria tua.

Citatur 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. *ſed contra.*

Eccli. *Cap.* 48. *v.* 4.

Quis poterit tui ſimiliter gloriari, qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis?

Citatur ſupra *Numeror. cap.* 16. *v.* 8.

Eccli. *Cap.* 48. *v.* 14.

Corpus Eliſæi mortuum Prophetauit.

Citatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 9. *v.* 9.

Eccli. *Cap.* 49. *v.* 18.

Oſſa Ioſeph poſt mortem prophetauerunt.

Citatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 9. *v.* 9.

Digitized by Google

ECCLI. *Cap.* 51. *v.* 10.

Reſpiciens eram ad adiutorium hominum.

ARguitur, ſpes videtur eſſe ex-
Rom. 8. pectatio quædam; dicit enim
v. 25. Apoſtolus, *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus*: ſed expectatio videtur ad vim cognitiuam pertinere, cujus eſt expectare; ergo ſpes ad cognitiuam pertinet.

Ad argum. R. quòd quia ſpes reſpicit ad bonum poſſibile, inſurgit dupliciter homini motus ſpei, ſicut dupliciter eſt ei aliquid poſſibile, ſcilicet ſecundùm propriam virtutem, & ſecundùm virtutem alterius.

Quod ergo aliquis ſperat per propriam virtutem adipiſci, non dicitur expectare, ſed ſperare tantùm. Sed propriè dicitur expectare quod ſperat ex auxilio virtutis alienæ; vt dicatur expectare, quaſi ex alio ſpectare; inquantum ſcilicet vis apprehenſiua præcedens non ſolùm reſpicit ad bonum quod intendit adipiſci, ſed etiam ad illud cujus virtute adipiſci ſperat, vt patet *in textu*.

Motus ergo ſpei quandoque dicitur expectatio propter inſpectionem virtutis cognitiuæ præcedentem. 1. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *ad primum*.

Libri Eccleſiaſtici Finis.

LIBER ESAIÆ

CAPVT I. *Verſ.* 2.

Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.

DEūs nolebat ea ſibi offerri, tum ad excludendam idololatriam, tum ad ſignificandum debitum ordinem mentis humanæ in Deum, tum etiam ad figurandum myſterium redemptionis humanæ per Chriſtum. 1. *2. q. 102. art. 2. ad primum.*

ESAIÆ. *Cap.* 1. *v.* 16.

Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.

ARguitur, in cogitatione peccatum conſiſtit, vt patet *in textu*: ſed diabolus poteſt cauſare in nobis cogitationes, vt videtur; quia vis cogitatiua eſt potentia corporali organo obligata: diabolus autem poteſt corpora immutare; ergo videtur quòd diabolus poſſit eſſe directè cauſa peccati.

Diabolus non poteſt eſſe cauſa directa peccati.

Ad argum. R. quod in cogitationibus non eſt peccatum, niſi ſecundùm quod per eas aliquis inclinatur ad malum, vel retrahitur à bono quòd remanet in libero arbitrio voluntatis, quæcumque cogitationes inſurgant. Vnde non oportet ſi aliquid eſt cauſa cogitationis, quòd ſit cauſa peccati. *In quaſt. diſp. q. 3. de malo art. 3. ad ſeptimum.*

ESAIÆ. *Cap.* 1. *v.* 17.

Quieſcite agere peruersè, diſcite bene facere.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 33. *v.* 15.

ESAIÆ. *Cap.* 1. *v.* 18.

Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.

ILle qui decidit à gratia per peccatum, poteſt iterum per gratiam reparari, vt patet *in textu.* Et per hoc excluditur error Nouatianorum qui dixerunt quòd de peccatis quibus poſt baptiſmum peccat homo, veniam conſequi non poteſt. *Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 156.

Idem locus explicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 10. *v.* 12.

ESAIÆ. *Cap.* I. *v.* 19.

Si audieritis me, bona terræ comedetis; quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.

IN quibuslibet legibus homines inducuntur ad obſeruantias præceptorum per pœnas & præmia: ita & pueri prouocantur ad aliquid faciendum aliquibus puerilibus munuſculis.

Bona téporalia dantur imperfectis. Quia autem lex vetus diſponebat ad Chriſtum, ſicut imperfectum ad perfectum; dabatur populo adhuc imperfecto, in comparatione ad perfectionem quæ erat futura per Chriſtum. Et ideo populus ille comparatur *Puero ſub pædagogo exiſtenti*, vt patet. *Gal.* 3. *v.* 24.

Perfectio autem hominis eſt, vt contemptis temporalibus, ſpiritualibus inhæreat; vt patet per illud quod Apoſtolus dicit, *Quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ priora ſunt me extendo: quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* *Phil.* 3. *v.* 13.

Imperfectorum autem eſt quòd temporalia bona deſiderent, in ordine tamen ad Deum: peruerſorum autem eſt quòd in temporalibus bonis finem conſtituant.

Vnde legi veteri conueniebat, vt per temporalia quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manu duceret homines ad Deum. *1. 2. q. 96. art. 6. in corpore.*

Idem locus citatur *Lib.* 1. *Regum. cap.* 7. *v.* 3.

ESAIÆ. *Cap.* I. *v.* 22.

Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aquâ.

CIrca rem quæ venditur triplex defectus conſiderari poteſt. vnus quidem ſecundùm ſpeciem rei. Et hunc quidem defectum, ſi venditor cognoſcat in re quam vendit, fraudem committit in venditione; vnde venditio illicita redditur, vt patet *in textu*; quod enim permixtum eſt, patitur defectum quantùm ad ſpeciem. In venditione triplex defectus eſſe poteſt.

Alius autem defectus eſt ſecundùm quantitatem, quæ per menſuram cognoſcitur. Et ideo ſi quis ſcienter vtatur deficienti menſurâ in vendendo, fraudem committit, & eſt illicita venditio. Vnde dicitur, *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus; nec erit in domo tua modius maior & minor.* Et poſtea ſubditur, *Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc.* *Deut.* 25. *v.* 13.

Tertius defectus eſt ex parte qualitatis, putà ſi aliquod animal infirmum vendat quaſi ſanum. Quod ſi quis ſcienter fecerit, fraudem committit in venditione; vnde eſt illicita venditio.

Et in omnibus talibus non ſolùm aliquis peccat, iniuſtam venditionem faciendo; ſed etiam ad reſtitutionem tenetur.

Si verò eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat; quia facit iniuſtum materialiter; nec eius operatio eſt iniuſta: tenetur tamen cùm ad eius notitiam peruenerit, damnum recompenſare emptori,

Digitized by Google

814

Et quod dictum eſt de venditore, etiam intelligendum eſt ex parte emptoris: contingit enim quandoque venditorem credere rem ſuam eſſe minùs pretioſam quantùm ad ſpeciem, ſicut ſi aliquis vendat aurum loco aurichalci; emptor ſi id cognoſcat, injuſtè emit, & ad reſtitutionem tenetur: & eadem ratio eſt de defectu qualitatis & quantitatis. 22. *q.* 77. *art.* 2. *in corpore.*

Esaiæ. *Cap* 2. *v.* 3.

De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.

Diuino nutu factum eſt vt aſpectu ſtellæ ſubſtracto, Magi humano ſenſu in Hieruſalem irent quærentes in ciuitate regia regem natum: vt in Hieruſalem *primò* Chriſti natiuitas publicè annuntiaretur; vt patet *in textu.* Et vt etiam ſtudio Magorum de longè venientium, damnaretur Iudæorum pigritia prope exiſtentium 3. *p. q.* 36. *art.* 8. *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 2. *Regum cap.* 23. *v.* 1.

Esaiæ. *Cap.* 3. *v.* 8.

Lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum.

Videtur *per textum* quòd aliquid poſſit reniti contra ordinationem gubernationis diuinæ.

Dicendum quòd ordo diuinæ ſapientiæ dupliciter poteſt conſiderari: vno modo in generali, ſecundùm ſcilicet quod progreditur à cauſa gubernatiua totius.

Alio modo in ſpeciali, ſecundùm quod progreditur à cauſa particulari, quæ eſt executiua diuinæ gubernationis.

Primo igitur modo nihil contranititur ordini diuinæ gubernationis. Quod ex duobus patet: primò quidem ex hoc quòd ordo diuinæ gubernationis totaliter in bonum tendit, & vnaquæque res in ſua operatione & conatu non tendit niſi ad bonum. Gubernatio Dei duplex.

Alio modo apparet idem ex hoc quòd omnis inclinatio alicujus rei, vel naturalis, vel voluntaria, nihil eſt aliud quàm quædam impreſſio à primo mouente; ſicut inclinatio ſagittæ ad ſignum determinatum nihil aliud eſt, quàm quædam impreſſio à ſagittante.

Vnde omnia quæ aguntur vel naturaliter, vel voluntariè, quaſi propriâ ſponte perueniunt in id ad quod diuinitus ordinantur. Et ideo dicitur Deus omnia diſponere ſuauiter.

Ad argum. R. quòd dicuntur aliqui vel cogitare, vel loqui, vel agere contra Deum; non quia totaliter renitantur ordini diuinæ gubernationis (quia etiam peccantes intendunt aliquod bonum) ſed quia contranituntur cuidam determinato bono, quod eſt eis conueniens ſecundùm ſuam naturam aut ſtatum: & ideo puniuntur iuſtè à Deo. 1. *p. q.* 103. *art.* 8.

Esaiæ. *Cap* 3. *v.* 9.

Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.

Explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 27. *v.* 2.

Digitized by Google

ESAIÆ. *Cap. 3. v.* 12.

Qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt.

ADulari ſolummodo ad placendum, ex genere ſuo eſt peccatum veniale, cùm ſit quædam vanitas: ſed adulari ad decipiendum, eſt peccatum mortale, vt patet *in textu. In quæſt. diſp. q. 7. de malo art.* 1. *ad vndecimum.*

Idem locus citatur 22. *q.* 116. *art.* 2. *ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 3. v.* 14.

Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui.

VIdetur quòd homines cum Chriſto non iudicabunt; non enim ſunt minoris dignitatis Angeli quàm homines: ſed de Angelis non dicitur quòd debeant iudicare; ergo nec de hominibus hoc debet dici.

2. Si homines aliqui iudicabunt, hoc præcipuè pertinere videtur ad eligentes voluntariam paupertatem; quia ſcriptum eſt, *Iudicium pauperibus* tribuet: ſed pauperes non iudicabunt; magis enim hoc conueniret ratione martyrij, vel virginitatis, quæ ſunt paupertate digniora; ergo nulli homines iudicabunt cum Chriſto. *Iob. 36. v. 6.*

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*: per ſenes autem perfecti intelliguntur; ergo perfecti cum Chriſto iudicabunt. Præt. dicit Dominus Apoſtolis, *Sedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël.* *Matt. 19. v. 28.*

Dicendum quòd iudicare eſt multipliciter: vno modo auctoritate, & ſic tota Trinitas iudicabit. Specialiter verò filius ſe omnibus viſibilem præſentando in humana natura.

Alio modo, comparatione: & ſic iudicabunt non ſolùm boni, ſed etiam mali; ex quorum comparatione alij damnabiles oſtendentur.

Tertio modo approbatione; & ſic omnes ſancti iudicabunt, ſententiam iudicis approbando. *Quomodo homines iudicabũt in finali iudicio.*

Quarto modo, quadam priuilegiatâ auctoritate; & ſic iudicabunt perfecti, Chriſti conuerſationem ſpecialiter imitantes.

Quæ quidem auctoritas in duobus conſiſtit: primò, in quadam honorabili confeſſione; quia honorabiliorem locum cæteris obtinebunt Chriſto magis propinqui.

Secundò, in quadam ſententiæ promulgatione; non quaſi ex ſua auctoritate, ſed Chriſti. Quod fiet dum cognitione diuinæ iuſtitiæ repleti, alios cognoſcere facient quid eis ex merito ſuorum operum debeatur.

Quæ duo notantur cùm dicitur, *Sedebitis ſuper ſedes iudicantes.* *Ioan. 5. v. 27.*

Ad 1. R. quòd Chriſto iudicium dabitur, *Quia filius hominis eſt*, vt patet; in forma enim hominis apparebit: & ideo oportet aſſeſſores iudicis, non Angelos, ſed homines eſſe, qui corporaliter poſſint ab hominibus videri. *Matt. 25. v. 31.*

Angeli tamen cum Chriſto venient, vt habetur, quaſi teſtes de actibus hominum quos cuſtodierunt.

Ad 2. R. quòd paupertas maximè diſponit hominem ad hoc quòd Chriſto adhæreat, & eius iuſtitiam

Digitized by Google

875

iuſtitiam contempletur, mundo totaliter ſpreto. Vnde & eis ſpecialiter iudiciaria poteſtas debetur; cùm oporteat iudices diuinam iuſtitiam retinere in corde, vt eam alijs promulgent.

Specialiter tamen illis pauperibus competit qui ſalutem cœleſtem hominibus nunciauerunt, per Angelos ſignificati, qui cum Chriſto venturi leguntur.

Matt. 25 v. 31. Tamen quod de pauperibus dicitur, etiam de perfectis alijs poteſt intelligi; eo quòd paupertas eſt prima perfectionis pars. *Lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 47. art. 2. ſimile lib. 4. ſent. diſt. 47. q. 1. art. 2. & ſupplem. q. 89. art. 1.*

Esaiæ. Cap. 3. v. 15.

Stat ad iudicandum Dominus.

Explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 26.*

Esaiæ. Cap. 4. v. 1.

Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.

ID eſt, ſeptem dona Spiritus ſancti Chriſtum. *In prologo lib. 3. ſent. ad Annibaldum.*

Esaiæ. Cap. 4. v. 3.

Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita, in Hieruſalem.

COnſcriptio illorum qui ad ſocietatem Eccleſiæ triumphantis ſunt admittendi, ſiue repræſentatio, liber vitæ dicitur; quod patet ex modo loquendi in

Luca. 10 v. 20. ſcripturis. Dicitur enim, *Gaudete; quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, id eſt, in libro vitæ. Et ſimiliter textus. *In quæſt. diſp. q. 7. de veritate art. 1. in corpore.*

Esaiæ. Cap. 4. v. 4.

Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius, in ſpiritu iudicij & ardoris.

VIdetur quòd inconuenienter deſcribantur tria baptiſmata, ſcilicet aquæ, ſanguinis, & flaminis, ſcilicet Spiritus ſancti; quia Apoſtolus dicit, *Vna fides, vnum baptiſma*: ſed non eſt niſi vna fides; ergo non debent poni tria baptiſmata. Eph. 4. v. 5.

Dicendum quòd baptiſmus aquæ efficaciam habet à paſſione Chriſti (cui aliquis configuratur per baptiſmum) & vlteriùs ſicut à prima cauſa à ſpiritu ſancto.

Licet autem effectus dependeat à prima cauſa, cauſa tamen ſuperexcedit effectum. Et ideo præter baptiſmum aquæ, poteſt aliquis conſequi ſacramenti effectum ex paſſione Chriſti, inquantum quis ei conformatur pro Chriſto patiendo. Vnde dicitur, *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Baptiſmus triplex. Apo 7. v. 14.

Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus ſancti conſequitur effectum baptiſmi, non ſolùm ſine baptiſmo aquæ, ſed etiam ſine baptiſmo ſanguinis, inquantum ſcilicet alicujus cor per Spiritum ſanctum mouetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis. Vnde etiam dicitur baptiſmus pœnitentiæ. Et hoc docetur *in textu.*

Digitized by Google

Sic igitur vtrumque aliorum baptiſmatum nominatur baptiſmus, inquantum ſupplet vicem baptiſmi aquæ.

Ad argum. R. quòd alia duo baptiſmata includuntur in baptiſmo aquæ, qui efficaciam habet & ex paſſione Christi, & ex ſpiritu ſancto. Et ideo per hoc non tollitur vnitas baptiſmatis. 3. *p. q.* 66. *art.* 11.

Esaiæ. *Cap.* 5. *v.* 1.

Vinea facta eſt dilectò meo in cornu filio olei.

SEcundùm modum loquendi conſuetum in ſcripturis, illud quod habet magnam affinitatem ad alterum, filius eius dicitur, vt patet *in textu*. Nam *In cornu filio olei.* id eſt, in monte vbi abundat oleum. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 4. *in expoſit. textus.*

Esaiæ. *Cap.* 5. *v.* 4.

Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?

AD vnitatem Eccleſiæ requiritur quòd omnes fideles in fide conueniant, circa verò ea quæ fidei ſunt, contingit quæſtiones moueri: per diuerſitatem autem ſententiarum diuideretur Eccleſia, niſi in vnitate per vnius ſubſtantiam conſeruaretur. Exigitur ergo ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandam quòd ſit vnus qui toti Eccleſiæ præſit.

Vnum caput toti Eccleſiæ præeſt. Manifeſtum eſt autem quòd Christus Eccleſiæ in neceſſarijs non deficit, quam dilexit, & pro ea ſanguinem ſuum fudit: cùm & de Synagoga dicatur per Dominum, *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Non eſt igitur dubitandum quin ex ordinatione Christi vnus toti Eccleſiæ præſit.

Hinc eſt quòd Petro dixit Christus ante aſcenſionem. *Paſce oues meas*; & ante paſſionem, *Tu iterum conuerſus confirma fratres tuos.* Et ei ſoli promiſit, *Tibi dabo claues regni cælorum*; vt oſtenderetur poteſtas clauium per eum ad alios deriuanda ad conſeruandam Eccleſiæ vnitatem. Ioan. vlt. v. 17. Luca. 22. v. 31. Matt. 16 v. 19.

Non poteſt autem dici quòd etſi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios non deriuatur. Manifeſtum eſt enim quòd Christus Eccleſiam ſic inſtituit vt eſſet vſque ad finem ſeculi duratura, ſecundùm illud, *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & in iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum.* Eſa. 9. v. 7.

Manifeſtum eſt igitur quòd ita illos qui tunc erant in miniſterio conſtituit, vt eorum poteſtas deriuaretur ad poſteros pro vtilitate Eccleſiæ vſque ad finem ſeculi; præſertim cùm ipſe dicat, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Contra Gentiles lib.* 4. *cap* 76. Matt. vlt. v. 10

Esaiæ. *Cap.* 5. *v.* 13.

Propterea captiuus ductus eſt populus meus; quia non habuit ſcientiam.

VIdetur quòd ignorantia peccatum non ſit; omne enim peccatum eſt in voluntate: ignorantia autem eſt in intellectu; ergo non eſt peccatum.

Digitized by Google

816

2. Omne peccatum eſt originale vel actuale: ſed ignorantia non eſt originale peccatum; nec etiam actuale; quia non eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei; ergo.

3. Omne peccatum conſiſtit in defectu alicujus actus, & non in defectu alicujus habitus; aliàs aliquis dormiendo peccaret: ignorantia autem magis opponitur habitui, quàm actui; ergo.

4. Ignorans in ignorantia ſua continuè manet; ſi ergo ipſum ignorare peccatum eſſet, videtur quod continuè peccaret: ſed hoc videtur graue dicere; ergo.

5. Omne peccatum eſt voluntarium: ignorantia autem non eſt voluntaria, cùm ab hominibus naturaliter ſcientia deſideretur; ergo.

Dicendum quòd ad plura ſcienda quidam magis alijs tenentur: vnde aliqua ignorantia eſt peccatum vni, quæ non eſt peccatum alteri. Vnicuique enim peccatum eſt ignorantia eorum quæ ad bonos mores, & fidei veritatem pertinent. Sed alicui in officio conſtituto, eſt etiam peccatum ignorantia eorum quæ ad ſuum officium pertinent.

Ignorantia quomodo peccatum eſt.

Nec mirum eſt ſi hoc ipſum quòd eſt ſcientiâ carere, peccatum eſt ei qui poteſt, & tenetur habere; cùm etiam carere aliquo corporali ad officium pertinente, peccatum ſit, vt tonſurâ vel veſte ad officium accommodata. Et quòd iſta in ſe peccata ſint, pœna oſtendit quæ pro eis iuſtè infligitur.

Ad 1. R. quòd eſſe in voluntate contingit dupliciter, vel ſicut in ſubjecto: & hoc modo non omne peccatum in voluntate eſt; aliquod enim eſt in concupiſcibili vel iraſcibili, & ſic de alijs viribus.

Vel ſicut in cauſa, vt ſcilicet ipſa voluntas ſit domina eius quod in ea eſſe dicitur, quaſi in eius poteſtate exiſtens: & hoc modo omne peccatum in voluntate eſt, etiam ignorantia; ipſa enim voluntas imperat alijs viribus & intellectui.

Peccatũ quomodo eſt in volũtate.

Ad 2. R. quòd ignorantia eſt peccatum actuale, eo modo quo omiſſio peccatum actuale dicitur.

Ad 3. R. quòd quamuis ſcientia, cui opponitur ignorantia, non ſit actus qui eſt operatio, ſed habitus; tamen per operationem aliquam quæ eſt in poteſtate voluntatis acquiritur. Et ideo hoc ipſum quod eſt ſcientiam habere, voluntati ſubjectum eſt; & per conſequens hoc modo eſt ſcientiâ carere: & inde eſt quòd culpæ rationem habet.

Ad 4. R. quòd peccatum omiſſionis non habet rationem culpæ, niſi ex hoc quòd opponitur præcepto affirmatiuo legis naturalis vel ſcriptæ. Præceptum autem affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper: & ideo omnis omiſſio pro illo tempore eſt peccatum in actu, in quo quis per præceptum obligatur: & quoties illud tempus reuertitur, toties peccatum multiplicatur.

Præcepti affirmatiui deſcriptio.

Ad 5. R. quòd quamuis omnis homo naturaliter ſcientiam deſideret & velit; non tamen omnes volunt id per quod ad ſcientiam peruenitur. Et ſic quodammodo ignorantia voluntarium efficitur, non per ſe, ſed per acci-

Digitized by Google

dens, ſicut & quodlibet malum. *Lib. 2. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 1. ſimile lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 22. q. 2. art. 1.*

ESAIÆ. *Cap. 5. v. 20.*

Væ qui dicitis bonum malum.

NVllum ens dicitur malum inquantum eſt ens, ſed inquantum caret quodam eſſe. Sicut homo dicitur malus inquantum caret eſſe virtutis; & oculus dicitur malus, inquantum caret acumine viſus. *1. p. q. 5. art. 3. ad ſecundum. Vid. In quæſt. diſp. q. 1. de malo art. 2. ad duodecimum. Et 1. p. q. 48. art. 3. ad quartum.*

ESAIÆ. *Cap. 6. v. 1.*

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.

QVando in ſcriptura dicitur quòd aliquis ſanctus vidit Deum, vt Eſayas; non eſt intelligendum quòd eſſentiam Dei, quæ eſt omnibus viatoribus occulta, viderit; ſed quòd oſtenſæ ſunt ei aliquæ formæ vel corporales, vel imaginariæ, per quas manu ducebatur in Dei cognitionem. Et hoc fiebat miniſterio Angelorum, quorum illuminatione confortabatur intellectus prophetæ ad perueniendum in aliquam diuinorum cognitionem ex apparentibus formis.

Quomodo Deus videtur in hac vita.

Et quia Angelus non intendebat ducere in ſui cognitionem principaliter, ſed in cognitionem Dei; ideo in hujuſmodi viſis non dicebatur Angelus apparere, ſed Deus; ex cujus perſona apparebat Angelus, & ex cujus virtute efficaciam habebat ad illuminandum mentem.

Quandoque tamen & Angelus dicebatur ille qui apparebat, propter miniſterium quod exhibebat. *Lib. 4. ſent. diſt. 49. q. 2. art. 7. ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 26. & cap. 32. v. 30. Exodi cap. 20. v. 4. lib. 3. Regum cap. 4. v. 33. & lib. 4. Regum cap. 5. v. 23. Vid. q. 12. de verit. art. 6. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 6. v. 2.*

Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus.

SVnt ergo plures Angeli in vno ordine Seraphim. *1. p. q. 108. art. 3. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 6. v. 3.*

Seraphim clamabant.

SCriptura ſic Angelos nominat. Nomen *Seraphim* ponitur *in textu*: Nomen *Cherubim*: nomen *Thronorum*: *dominationes autem, & virtutes, & poteſtates, & principatus* ponuntur: nomen autem *Archangeli* ponitur in canonica Iudæ: nomina autem *Angelorum* in pluribus ſcripturæ locis. *1. p. q. 108. art. 5. ſed contra.* *Eſa. 37. v. 16. Coloſſ. 1. v. 16. Eph. 1. v. 21. v. 9. Iudæ. 1.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 5. v. 23.*

ESAIÆ. *Cap. 6. v. 6.*

Volauit ad me vnus de Seraphim.

ARguitur, inter omnes ordines, primùs ordo eſt Seraphim: ſed ſeraphim leguntur miſ-

ſi, vt patet *in textu*: ergo videtur quòd multò fortius alij mittantur.

Angeli inferioris ordinis mittuntur.

Ad argum. R. ex Dion. quòd ille qui miſſus eſt ad purgandum labia Eſayæ, fuit de inferiori ordine, & dictus eſt de Seraphim æquiuocè; quia per ignem purgare venerat. *Lib. 2. ſent. diſt.* 10. *q.* 1. *art.* 2. *ad ſecundum. ſimile lib.* 2. *ſent. ad Annibalbum diſt.* 10. *art.* 2. *ad ſecundùm. Et* 1. *p. q.* 112. *art.* 2. *vid. q.* 9. *de verit. a.* 2. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap. 6. v. 8.*

Ecce ego mitte me.

IN eo qui electioni canonicæ de ſe factæ conſentit, conſiderari præcipuè debet quid intendit: ſi enim intendit aliquid temporale, purà, honorem, diuitias, excutere ſe à iugo religionis; aut aliquid hujuſmodi; manifeſtum eſt quòd eſt praua intentio: vnde melius faceret, ſi non aſſentiret.

Si autem intendit profectum Eccleſiæ; ſic planum eſt quòd bona eſt intentio.

Sed ſciendum eſt quòd ad hoc opus maxima requiritur idoneitas, ad quod humana fragilitas ſecundùm proprias vires ſufficiens non eſt.

Sed tamen ex auxilio gratiæ diuinæ homines idonei & ſufficientes redduntur, ſicut Apoſtolus dicit, *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.* (2. Cor. 3 v. 6.)

Poteſt ergo aliquis laudabiliter conſiderans proprium defectum ex humilitate officium prælationis recuſare, ſicut Hieremias dicit *Neſcio loqui; quia puer ego ſum.* (Hier. 1 v. 6.)

Poteſt etiam laudabiliter conſentire ex charitate fraterna, vt ſalutem proximorum procuret, ſicut Eſayas qui dicit, *Ecce ego mitte me. Quodlib.* 5. *art.* 2. 1.

Quãdo licet acceptare prælaturam.

Ecce ego mitte me. Contingit appetere prælationem dupliciter; aut propter neceſſitatem vrgentem, aut non vrgentem. Primo modo dupliciter; vel quando imponitur à ſuperiori, vel quando non inuenitur aliquis qui velit onus prælationis ſubire: tali neceſſitate exiſtente, meritorium eſt appetere. Vnde dicitur in textu, *Quem mittam, & quis ibit ex nobis?* R. *Ecce ego mitte me.* Tamen antè ſe dixit indignum.

Quãdo licet appetere Epiſcopatum.

Secundo modo, ſcilicet quando non vrget neceſſitas, ſic non licet; quia non poteſt carere aut vitio iniuſtitiæ, ſi velit ſe minorem præferri majoribus; aut vitio præſumptionis, ſi reputet ſe ſufficientem præferri alijs. *Quodlib.* 12. *art.* 17.

Idem locus explicatur ſupra *Leuitici cap.* 20. *v.* 8. *& Prouerbior. cap.* 11. *v.* 26.

ESAIÆ. *Cap. 6. v. 11.*

Excæca cor populi huius.

QVamuis quoſdam peccatores Deus ad ſe non conuertat, ſed in peccatis ſecundùm eorum merita eos relinquat: non tamen eos ad peccandum inducit; homines enim peccant per hoc quòd deuiant ab ipſo qui eſt vltimus finis. Cùm autem omne agens agat ad proprium finem, & ſibi conuenientem; impoſſibile eſt quòd Deo agente aliqui auertantur ab vltimo fine, qui Deus eſt; impoſſibile igitur eſt quòd Deus

Deus non eſt cauſa peccati.

Digitized by Google

aliquos peccare faciat.

Item, bonum cauſa mali eſſe non poteſt: ſed peccatum eſt hominis malum; contrariatur enim proprio hominis bono, quod eſt viuere ſecundùm rationem; impoſſibile eſt igitur quòd Deus ſit alicui cauſa peccandi.

Præterea, peccatum omne ex aliquo defectu prouenit proximi agentis, non autem ex influentia primi agentis: ſicut peccatum claudicationis prouenit ex diſpoſitione tibiæ, non autem ex virtute motiua: cùm tamen ex ea ſit quicquid de perfectione motus in claudicatione appàret. Proximum autem agens peccati humani eſt voluntas; eſt igitur defectus peccati ex voluntate hominis, non autem ex Deo qui eſt primus agens: à quo tamen eſt quicquid ad perfectionem actionis pertinet in actu peccati.

Eccl. 15. Hinc eſt quòd dicitur; *Non di-*
v. 12. *cas, ille me implanauit; non enim ne-*
Eccl. 15. *ceſſarii ſunt ei homines impij.* Et in-
v. 21. infra, *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.*
Iac. 1. Et dicitur, *Nemo cùm tentatur, di-*
v. 13. *cat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt.*

Inueniuntur tamen quædam in ſcripturis, ex quibus videtur quòd Deus ſit aliquibus cauſa peccandi;
Ex. 10. dicitur enim, *Ego induraui cor*
v. 1. *Pharaonis, & ſeruorum illius.*
Eſa. 63. Item, verba *textus*. Et, *Errare nos*
v. 17. *feciſti de vijs tuis, induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.* Et, *Tradi-*
Rom. 1. *dit illos Deus in reprobum ſenſum,*
v. 28. *vt faciant quæ non conueniunt.* Quæ omnia ſecundùm hoc intelligenda ſunt, quòd Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod alijs quibuſdam confert.

Hoc autem auxilium eſt non ſolùm infuſio gratiæ, ſed etiam exterior cuſtodia, per quam occaſiones peccandi homini ex diuina prouidentia tolluntur, & prouocantia ad peccatum comprimuntur. Adjuuat etiam Deus hominem contra peccatum per naturalia bona quæ homini confert.

Cùm ergo hæc auxilia aliquibus ſubtrahit pro merito ſuæ actionis, ſecundùm quod eius iuſtitia exigit, dicitur eos obdurare vel excæcare, vel aliquid eorum quæ dicta ſunt. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 162.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 4. v. 21. ſapientiæ cap. 2. v. 21. & Eccli. cap. 3. v. 27.*

Ec li. *Cap. 7. v. 8.*

Caput Syriæ Damaſcus.

Ciuitas aliqua caput regni dicitur ratione ſuæ dignitatis, vt patet *in textu. In quæſt. diſp. q. 29. de verit. art. 4. in corpore.*

Esaiæ. *Cap. 7. v. 9.*

Si non credideritis, non intelligitis.

Fides conſiſtit media inter duas cogitationes, quarum vna voluntatem inclinat ad credendum: & hæc præcedit fidem. Alia verò tendit ad intellectum eorum quæ jam credit: & hæc eſt ſimul cum aſſenſu fidei, vt patet in textu. *Lib. 3. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 2. ad ſecundùm.* Secundùm aliam literam.

Idem locus citatur *2. 2. q. 4. art. 8. ad tertium. q. 8. art. 5. ad*

tertium. Et art. 8. *ad primum. Et lib. 1. ſent. ad Annibaldum q.* 1. *a.* 1. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap. 7. v. 11.*

Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo.

EXplicatur ſupra, *Geneſis cap.* 15. *v.* 8.

ESAIÆ. *Cap. 7. v. 14.*

Ecce Virgo concipiet.

ARguitur, non eſt vna & eadem confeſſio fidei apud omnes: nam quod nos confitemur factum, antiqui patres confitebantur futurum, vt patet *in textu*; ergo non eſt vna fides.

Ad argum. R. quòd illa differentia præteriti & futuri non contingit ex aliqua diuerſitate rei creditæ, ſed ex diuerſa habitudine credentium ad vnam rem creditam. 2. 2. *q.* 4. *art.* 6, *ad ſecundum.*

Ecce Virgo concipiet. Ex hoc patet matrem Chriſti virginem concepiſſe. 3. *p. q.* 28. *art.* 1. *ſed contra.*

Idem locus citatur ſupra *Lib.* 4. *Regum cap.* 5. *v.* 23. *& cap.* 20. *v.* 6. *vid. q.* 12. *de verit. art.* 10. *ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 7. v. 15.*

Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum & eligere bonum.

QVod eſt actus liberi arbitrij; ergo in Chriſto fuit liberum arbitrium, 3. *p. q.* 18. *art.* 4. *ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 8. v. 4.*

Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ, coram rege Aſſyriorum.

ARguitur, puer ille Chriſtus; ergo in Chriſto fuit aliquarum rerum ignorantia.

Ad argum. R. quòd loquitur ibi Propheta de ſcientia humana Chriſti. Dicit enim antequam ſciat puer, ſcilicet ſecundùm humanitatem, vocare patrem ſuum, ſcilicet Ioſeph (qui pater eius fuit putatiuus) & matrem ſuam. ſcilicet Mariam, *Auferetur fortitudo Damaſci.* In Chriſto non fuit ignorãtia.

Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi aliquando fuerit homo, & hoc neſciuerit: ſed antequam ſciat, id eſt, antequam fiat homo ſcientiam habens humanam, auferetur.

Vel ad literam fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ per regem Aſſyriorum: vel ſpiritualiter, quia nondum natus, populum ſuum ſolâ inuocatione ſaluabit.

Aug. dicit hoc eſſe completum in adoratione Magorum. *Antequam ſciat* igitur, id eſt, antequam oſtendat ſe ſcire. 3. *p q.* 15. *art.* 3. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap. 8. v. 14.*

Erit in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali.

CHriſtus non dicitur eſſe petra ſcandali, quaſi per ſe ſcandali cauſa; quia ipſe non dedit alicui oc-

Digitized by Google

Chriſtus nõ fuit cauſa ſcandali. caſionem ſcandali. Sed dicitur eſſe in petram ſcandali, ita quòd propoſitio non ordinem cauſæ, ſed conſecutionem importet; quia ex his quæ Chriſtus fecit, conſecutum eſt ſcandalum Iudæorum. *Lib. 4. ſent. diſt.* 38. *q. 2 art* 1. *ad quintum.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 6.*

Filius datus eſt nobis.

EXplicatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 2. v. 15. vid. 1. p. q.* 38. *art. 2. ad primum. lib. 1. ſent. ad Annibaldum diſt.* 18. *art.* 2. & 3.

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 6.*

Factus eſt principatus ſuper humerum eius.

CItatur 1. *p. q.* 20. *art. 4. ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 7.*

Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit.

EXplicatur ſupra *Eſaiæ cap.* 5 *v. 4.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 15.*

Longæuus & honorabilis ipſe eſt caput.

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap. 15. v. 17.*

ESAIÆ. *Cap. 10. v. 1.*

Væ qui condunt leges iniquas.

ARguitur, à lege æterna nihil iniquum procedere poteſt: ſed quædam leges ſunt iniquæ, vt patet *in textu*; ergo non omnis lex procedit à lege æterna.

Omnis lex procedit à lege æterna. Ad argum. R. quòd lex humana intantum habet rationem legis inquantum eſt ſecundùm rationem rectam. Et ſecundùm hoc manifeſtum eſt quòd à lege æterna deriuatur.

Inquantum verò à ratione recedit, ſic dicitur lex iniqua: & ſic non habet rationem legis ſed magis violentiæ cujuſdam.

Et tamen in ipſa lege iniqua, inquantum ſeruatur aliquid de ſimilitudine legis propter ordinem poteſtatis eius qui legem fecerit; ſecundùm hoc etiam deriuatur à lege æterna; *Omnis enim poteſtas à Domino Deo eſt*, vt dicitur. 1. 2. *q.* Rom. 13. v. 1. 93. *art.* 3. *ad ſecundum. vid.* 1. 2. *q.* 96. *art. 4. ad tertium.* Et, 22. *q.* 60. *art.* 5. *ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 10. v. 15.*

Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea?

EXplicatur ſupra *Eccle. cap.* 12. *v.* 14.

ESAIÆ. *Cap. 11. v. 1.*

Flos de radice eius aſcendet.

ARguitur, dicitur ſcriptum eſſe de Chriſto quòd *Nazarenus vocabitur*, quod ſumitur Matt. 2. v. 23. *ex textu*, Nazareth enim flos interpretatur: ſed maximè aliquis denominatur è loco ſuæ natiuitatis; ergo videtur quòd in Nazareth naſci debuerit, vbi etiam fuit conceptus & nutritus.

Ad argum. R. quòd Chriſtus florere voluit ſecundùm virtuoſam conuerſationem, non ſecundùm carnis

carnis originem. Et ideo in ciuitate Nazareth educari voluit & nutriri: in Bethleem autem voluit quaſi peregrè naſci. 3. *p. q.* 35. *art.* 7. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap.* 11. *v.* 2.

Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.

Qui quidem in homine dicitur eſſe per gratiam habitualem; ergo in Christo fuit gratia habitualis. Et hoc propter tria; *primò* quidem, propter vnionem animæ illius ad Verbum Dei: quantò enim aliquòd receptiuum eſt propinquius cauſæ influenti, tantò magis participat de influentia ipſius.

Gratia habitualis fuit in Christo propter tria.

Influxus autem gratiæ eſt à Deo, ſecundùm illud, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et ideo maximè fuit conueniens, vt anima illa reciperet influxum diuinæ gratiæ.

Pſal. 83. *v.* 12.

Secundò, propter nobilitatem illius animæ, cujus operationes oportebat propinquiſſimè attingere ad Deum per cognitionem & amorem; ad quod neceſſe eſt eleuari rationalem naturam per gratiam.

Tertiò, propter habitudinem ipſius Christi ad genus humanum: Christus enim inquantum homo, *Eſt mediator Dei & hominum.* Et ideo oportebat quòd haberet gratiam, etiam in alios redundantem; ſecundùm illud, *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* 3. *p. q.* 7. *art.* 1. *in corpore. vid. lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 13. *art.* 3. *in corpore.*

1. *Tim.* 2. *v.* 5.

Ioan. 1. *v.* 16.

Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientia & intellectus &c. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoſcibilia nam ad ſapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad ſcientiam autem pertinet cognitio omnium concluſionum: ad conſilium autem cognitio omnium agibilium; ergo videtur quòd Christus ſecundùm ſcientiam inditam ſibi per ſpiritum ſanctum, habuerit omnium cognitionem. 3. *p. q.* 11. *art.* 1. *ſed contra.*

Christi ſcientia vniuerſalis.

Requieſcet ſuper eum. &c. De ſeptem donis ſpiritus ſancti Vid. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *ad primum.* 1. 2. *q.* 68. *art.* 1. 3. *&* 4. 2. 2. *q.* 4. *art.* 6. *q.* 8. *art.* 1. *q.* 19. *art.* 9. *q.* 45. *art.* 1. *& q.* 52. *art.* 1. *lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 34. *art.* 4. *ſed contra. diſt.* 35. *art.* 1. *ſed contra. & art.* 3. *ſed contra. vid. etiam ſupra Deuterno cap.* 17. *v.* 8. *& pſalm.* 5. *v.* 12.

Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Spiritus ſanctus poteſt dici quieſcere in filio tripliciter; vno modo, ſecundùm humanam naturam, vt patet *in textu.* Alio modo, vt intelligitur ſpiritus in filio requieſcere; quia virtus ſpiratiua à patre datur filio, & vltra non protenditur. Tertio modo, ſecundùm quod amor dicitur requieſcere in amato, in quo quietatur amantis affectus. *In quæſt. diſp. q.* 10. *de potentia art.* 4. *ad decimum octauum.*

Spiritus ſanctus requieſcit in filio tripliciter.

ESAIÆ. *Cap.* 11. *v.* 3.

Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit &c.

Explicatur ſupra *Deutero. cap.* 17. *v.* 18.

FF

ſed contra.

ESAIÆ. *Cap. 21. v. 10.*

Quæ audiui à Domino exercituum, Deo Iſraël, annuntiaui vobis.

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap. 9. v. 9.*

ESAIÆ. *Cap. 24. v. 5.*

Mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum.

HOc maximè videtur intelligendum de præceptis decalogi; ergo præcepta decalogi mutari per diſpenſationem non poſſunt. *1. 2. q. 100. art. 8. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 24. v. 16.*

Secretum meum mihi.

EXplicatur de Spiritu ſancto. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 17.*

Idem locus citatur ſupra *Leuitici cap. 20 v. 8.*

ESAIÆ. *Cap. 24. v. 22.*

Congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum.

ARguitur, pœna reſpondet culpæ: ſed omnium peccatorum erit vna pœna in inferno; vt patet *in textu*; ergo omnium peccatorum eſt eadem grauitas.

pœnarũ inęqualitas in inferno. Ad argum. R. quod in ſupplicio damnatorum eſt aliquid commune omnibus quod reſpondet contemptui Dei, putà carentia viſionis diuinæ & perpetuitas pœnæ. Et quantùm ad hoc dicuntur congregari *Congregatione vnius faſcis.*

Eſt & aliquid in quo differunt, ſecundùm quod quidam magis torquentur quàm alij. Et quantùm ad hoc dicuntur, *Colligari, ſicut Zizaniorum faſciculi ad comburendum. In quæſt. diſp. q. 2. de malo art. 9. ad tertium.* Matt. 13. v. 30.

Idem locus explicatur infra *Zachar. cap. 9. v. 11. vid. 3. p. q. 52. art. 6.*

ESAIÆ. *Cap. 25. v. 1.*

Conſilium tuum antiquum verum fiat.

QVod eſt in diuina ſapientia occultum, per ſimilitudinem conſilium dicitur, vt patet *in textu*: vel inquantum conſulentibus ſatisfacit. *Contra Gentiles lib. 1. cap. 93.* Secundùm aliã translationem.

ESAIÆ. *Cap. 25. v. 6.*

Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

QVòd iſte *textus* intelligatur quantùm ad ſtatum reſurgentium, patet ex hoc quod poſtea ſubditur, *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus omnem lachrymam ab omni facie.*

Dicitur etiam, *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis; ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis.* Et quòd hoc referendum ſit ad ſtatum futuræ vitæ, patet ex eo quod poſtea ſubditur, *Ecce ego creabo cœlum nouum. Contra Gentiles lib 4. cap. 83.* Eſa. 65. v. 13.

ESAIÆ. Cap. 25. v. 8.

Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum.

IN futura reſurrectione homines non ſic reſurgent, vt ſint iterum morituri; Neceſſitas enim moriendi eſt defectus in naturam humanam ex peccato proueniens.

Chriſtus autem merito ſuæ paſſionis naturæ defectus reparauit, qui in ipſo ex peccato prouenerunt. Vt enim dicit Apoſtolus, *Non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Rom. 5. v. 15.

Ex quo habetur quod efficacius eſt meritum Chriſti ad tollendum mortem, quàm peccatum Adæ ad inducendum. Illi igitur qui per meritum Chriſti reſurgent à morte liberati, mortem vlteriùs non patientur.

Præterea, mors per mortem Chriſti deſtructa eſt, nunc quidem in cauſa; quod Dominus prædixerat dicens, *Ero mors tua, ô mors.* Oſea. 13. v. 14. Vltimò autem deſtruetur in actu, ſecundùm illud, *Nouiſſimè inimica deſtruetur mors.* 1 Cor 15. v. 26. Eſt igitur ſecundùm fidem Eccleſiæ hoc tenendum, quòd reſurgentes non iterum morientur.

Adhuc, effectus ſimilatur ſuæ cauſæ; reſurrectio autem Chriſti cauſa eſt futuræ reſurrectionis: ſic autem, *Reſurrexit Chriſtus, vt non vlteriùs moreretur*; Rom. 6. v. 9. homines igitur ſic reſurgent vt vlteriùs non moriantur. Apo. 21. v. 4.

Hoc etiam patet *in textu.* Et, *mors vltra non erit. Contra Gentiles lib. 4. cap. 82.*

ESAIÆ. Cap. 26. v. 3.

Vetus error abijt.

QVadruplex vetuſtas & nouitas explicatur ſupra *Leuitic. cap. 26. v. 10.*

ESAIÆ. Cap. 26. v. 5.

Ciuitatem ſublimem humiliabit.

ARguitur, ad hoc Dominus natus eſt in mundo, vt veritatis fidem annuntiaret, ſecundùm illud, *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*: Ioan. 18. v. 37. Sed hoc faciliùs fieri potuiſſet ſi natus fuiſſet in ciuitate Romana, quæ tunc dominatum orbis habebat. Vnde & Paulus Romanis ſcribens dicit, *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo*; Rom. 1. v. 8. ergo videtur quòd non debuerit in Bethleem naſci.

Sed contra eſt quod dicitur, *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Michæa 5. v. 2.

Ad argum. R. quòd vt diuinitas Chriſti cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam. *Elegit autem Deus infirma mundi vt confundat fortia*: 1. Cor. 1. v. 27. Et ideo vt ſuam poteſtatem magis oſtenderet in ipſa Roma quæ caput mundi erat, etiam caput ſuæ Eccleſiæ ſtatuit, in ſignum perfectæ victoriæ, vt exinde fides deriuaretur ad vniuerſum mundum, vt patet in textu, *Ciuitatem ſublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis*, ſcilicet Chriſti; *Greſſus egenorum*, id eſt, Apoſtolo-

881

rum Petri & Pauli. *3, p. q. 35. art. 7. ad tertium.*

Vid. quæ dicta ſunt ſupra *Lib. 2. Regum cap. 23. v. 1.*

Esaiæ. *Cap. 26. v. 8.*

In ſemita iudiciorum tuorum ſuſtinuimus te.

Arguitur, ad iudicium pertinet vt aliquid pro meritis reddatur; ergo aduentus filij Dei in carnem, quem ſancti patres expectabant, eis pro meritis reddendus erat, vt pater *in textu.*

Ad argum. R. quòd per iudicium redditur aliquid alicui quod priùs ſibi debetur: nobis autem non debebatur filij incarnatio quaſi ex merito, ſed ex diuina promiſſione: & quantùm ad hoc ſaluatur ratio iudicij. *Lib. 3. ſent. diſt. 4. q. 3. art. 1. ad primum.*

Esaiæ. *Cap. 26. v. 9.*

Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent omnes habitatores orbis.

Pſ. 147. v. 3. Dicitur, *Qui poſuit fines tuos pacem.* Et Dominus dicit,
Ioã. 16. v. 33. *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.*

Tunc autem ordinata concordia inter homines ſeruatur, quando vnicuique quod ſuum eſt redditur, quod eſt iuſtitiæ. Et ideo di-
Eſa. 32. v. 17. citur, *Opus iuſtitia pax.*

Oportuit igitur per legem diuinam iuſtitiæ præcepta dari, vt vnuſquiſque alteri redderet quod ſuum eſt, & abſtineret à nocumentis ei inferendis.

Inter homines autem maximè eſt aliquis parentibus debitor: & ideo inter præcepta quæ nos ad proximum ordinant ponitur, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* *Ex. 20. v. 12.*

In quo intelligitur præcipi vt tam parentibus quàm etiam alijs vnuſquiſque reddat quod debet; ſecundùm illud, *Reddite omnibus debita.* *Rom. 13. v. 7.*

Deinde ponuntur præcepta quibus præcipitur abſtinendum eſſe à nocumentis proximo inferendis, vt neque factis eum offendamus in perſona propria; quia dictum eſt, *Non occides*: neque in perſona *Ex. 20. v. 13.* conjuncta; quia ſcriptum eſt *Non mœchaberis*: neque etiam in ex- *Ex. 20 v. 14.* terioribus rebus; quia ſcriptum eſt, *Non furtum facies.* *Ex. 20. v. 15.*

Prohibemur etiam ne contra iuſtitiam proximum verbo offendamus; quia ſcriptum eſt, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* *Ex. 20. v. 16.*

Et quia Deus etiam cordium iudex eſt, prohibemur ne corde offendamus, concupiſcendo ſcilicet vxorem, aut aliquam rem eius.

Ad hujuſmodi autem iuſtitiam obſeruandam quæ lege diuinâ ſtatuitur, dupliciter homo inclinatur: vno modo ab interiori; alio modo ab exteriori. Ab interiori quidem, dum homo voluntarius eſt ad obſeruandum ea quæ præcipit lex diuina: quod quidem fit per amorem hominis ad Deum & proximum. *Homo obſeruat legē dupliciter.*

Qui enim diligit aliquem, ſponte & delectabiliter ei reddit quod debet, & etiam liberaliter ſuperaddit. Vnde tota legis impletio ex dilectione dependet, ſecundùm illud, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et *Rom. 13 v. 10.* Dominus dicit, *In duobus præce-*

Digitized by Google

ptis, ſcilicet in dilectioue Dei & proximi, *vniuerſa lex pendet*. Matt. 22 v. 40.

Sed quia aliqui interiùs non ſunt ſic diſpoſiti, vt ex ſeipſis ſponte faciant quod lex iubet, ab exteriori trahendi ſunt ad iuſtitiam legis implendam; quod quidem fit dum timore pœnarum non liberaliter ſed ſeruiliter legem implent, vt patet *in textu*.

Alij verò ſic ſunt diſpoſiti, vt ex ſeipſis ſponto faciant quod lex iubet. Secundi igitur ſibi ipſi ſunt lex, habentes charitatem, quæ eos loco legis inclinat, & liberaliter operari facit.

Lex igitur exterior non fuit neceſſarium quòd propter eos poneretur; ſed propter illos qui ex ſeipſis non inclinantur ad bonum. 1. Tim. 1. v. 9. Vnde dicitur, *Iuſto lex non eſt poſita*, ſed iniuſtis.

Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi iuſti non teneantur ad legem impledam; ſed quia iſti inclinantur ex ſeipſis ad iuſtitiam faciendam etiam ſine lege. *Contra Gentiles lib.* 3, *cap.* 128.

Cùm feceris iudicia &c. Videtur *per textum* quòd dolor vel triſtitia auget facultatem addiſcendi.

Ad argum. R. quòd triſtitia moderata, quæ excludit euagationem animi, poteſt conferre ad diſciplinam ſuſcipiendam, & præcipuè eorum, per quæ homo ſperat ſe poſſe à triſtitia liberari: & hoc modo homines doctrinam Dei magis recipiunt. 1. 2. q. 37. *art.* 1. *Ad primum.*

ESAIÆ. *Cap.* 26. *v.* 10.

Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.

NVllus malus poteſt in ſpeculo æterno videre, vt patet *in textu*: ſed aliqui mali ſunt prophetæ; ergo prophetica viſio non eſt in ſpeculo æterno. *In quæſt. diſp. q.* 12. *de verit. art.* 6. *ſed contra.* Secundùm aliam literam.

ESAIÆ. *Cap.* 26. *v.* 11.

Videat & confundantur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos deuoret.

VIdetur quòd damnati in inferno non vellent eſſe aliquos damnatos, qui non ſunt damnati; quia dicitur de diuite quòd, *Rogabat pro fratribus ſuis ne venirent in locum tormentorum*; Lucæ 16. v. 17. ergo eadem ratione & damnati alij non vellent ad minus carnales ſuos amicos in inferno damnari.

2. Affectiones inordinatæ à damnatis non auferuntur: ſed aliqui damnati inordinatè aliquos non damnatos dilexerunt; ergo non vellent eorum malum, quod eſt eſſe damnatos.

3. Damnati non deſiderant augmentum ſuæ pœnæ: ſed ſi plures damnarentur, major eſſet damnatorum pœna: ſicut etiam multiplicatio bonorum amplificat eorum gaudium; ergo damnati non vellent ſaluatos damnati.

Sed contra, in damnatis maximè regnat inuidia; ergo dolent de felicitate bonorum, & eorum damnationem appetunt.

Dicendum quod ſicut in beatis in patria erit perfectiſſima charitas, ita

282

Damnatorum odium erga beatos. in damnatis erit perfectiſſimum odium: vnde ſicut ſancti gaudebunt de omnibus bonis; ita etiam mali de omnibus bonis dolebunt: vnde & felicitas ſanctorum conſiderata eos maximè affligit. Et hoc patet ex textu.

Ad 1. R. quòd tanta erit inuidia in damnatis quòd etiam propinquorum gloriæ inuidebunt, cùm ipſi ſint in ſumma miſeria. Cùm etiam in hac vita hoc accidat creſcente inuidiâ: ſed tamen minùs inuident propinquis quàm alijs; & major eſſet eorum pœna ſi omnes propinqui damnarentur, & alij ſaluarentur; quàm ſi aliqui de ſuis propinquis ſaluarentur. Et exinde fuit quòd diues petijt fratres ſuos à damnatione eripi: ſciebat enim quòd aliqui eriperentur; maluiſſet tamen fratres ſuos cum omnibus alijs damnari.

Ad 2. R. quòd dilectio quæ non fundatur ſuper honeſtum, facilè reſcinditur; & præcipuè in malis hominibus. Vnde damnati non conſeruabunt amicitiam ad eos quos inordinatè dilexerunt: ſed in hoc voluntas eorum remanebit peruerſa, quòd cauſam inordinatæ dilectionis adhuc diligerent.

Ad 3. R. quòd quamuis ex damnatorum multitudine pœna ſingulorum augeatur: tamen tantùm ſuperexcreſcet odium & inuidia; quòd magis eligerent torqueri magis cum multis, quàm minùs ſoli. *Lib. 4. ſent. diſt. 50. q. 2. art. 1. q. 4. Et ſupplem. q. 98. art. 4.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 11.*

Videant & confundantur zelantes populi.

ARguitur, ſicut ſe habet gloria ad miſeriam, ita miſeria ad gloriam: ſed de perfectione gloriæ ſanctorum eſt, vt videant miſeriam damnatorum, vt habetur, *Egredientur & videbunt cadauera impiorum*; ergo & de perfectione miſeriæ damnatorum eſt, vt videant gloriam ſanctorum; & ſic poſt diem iudicij, quando in miſeria perfecta erunt, videbunt gloriam ſanctorum. *Eſa. 66. v. 24.*

2. Poſt diem iudicij nulla afflictio à damnatis ſubtrahetur: ſed nunc affliguntur damnati ad hoc quòd videant gloriam ſanctorum, vt patet *in textu*; ergo & poſt diem iudicij gloriam ſanctorum videbunt.

Dicendum quòd videre gloriam beatorum dupliciter contingit: vno modo vt capiatur quid ſit ipſa gloria, & qualis, & quanta: & ſic nullus poteſt videre gloriam niſi qui eſt in gloria.

Alio modo contingit videre gloriam beatorum, vt videantur ipſi beati eſſe in quadam gloria inenarrabili & excedente intellectum. Et ſic damnati ante diem iudicij vident gloriam ſanctorum, non autem poſt diem iudicij; quia tunc erunt penitus à ſanctorum conſortio alienati, vt qui ad ſummum jam miſeriæ peruenerunt. Et ideo nec etiam ſanctorum conſortio digni habebuntur: nam videns, aliquod conſortium habet cum eo quod videt.

Ad 1. R. quòd videre miſe-

Digitized by Google

riam damnatorum omnino erit ſanctis ad gloriam, gaudebunt enim de iuſtitia Dei, & de ſua euaſione, ſecundùm illud, *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam.* Sed videre ſanctorum gloriam, aliquid perfectionis importat, qua poſt diem iudicij damnati priuabuntur.

Pſal. 57. v. 11.

Ad 2. R. quòd damnati in inferno exiſtentes, poſt diem iudicij memores erunt gloriæ ſanctorum, quam ante iudicium, & in iudicio videbunt, & ſic cognoſcent eos eſſe in maxima gloria, quamuis non videant ipſos beatos, nec eorum gloriam; & ita inuidiâ torquebuntur. Et ſic afflictio quæ eſt in eis nunc ex tali viſione, manebit viſione ſublatâ, de quo etiam magis dolebunt, videntes ſe etiam viſione ſanctorum indignos reputatos. *Quodlibet. 8. art. 16. ſimile lib. 4. ſent. diſt. 48. art. 1. ad quartum. & ſupplem. q. 90. art. 2. ad quartum.*

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm. 35 v. 10.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 12.*

Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.

ET hac ratione frequenter in ſcriptura naturæ effectus operationi diuinæ attribuuntur; quia ipſe eſt qui operatur in omni operante per naturam, vel per voluntatem. Sicut illud, *Nonne ſicut lac mulſiſti me &c. Contra Gentiles lib. 3. cap. 67.*

Iob. 10. v. 10.

Omnia opera noſtra operatus es. Cauſa prima cauſat operationem cauſæ ſecundæ ſecundùm modum noſtrum, qui eſt vt voluntarie & non coactè agamus; non igitur diuino auxilio aliquis cogitur ad rectè agendum. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 148.*

Omnia opera noſtra operatus es. Vbicumque operatur aliquid, ibi eſt. Sed Deus operatur in omnibus, vt patet *in textu*; ergo Deus eſt in omnibus rebus. *1. p. q. 8. art. 1. ſed contra.*

Idem locus explicatur. *In quæſt. diſp. q. 3. de potentia art. 7. vbi ſanctus Thomas agit fusè de præmotione phyſica. vid. lib. 2. ſent. diſt. 25. art. 1. ad tertium. lib. 4. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 1. q. 4. ad tertium. & contra Gentiles lib. 3. cap. 89.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 18.*

A timore tuo Domine concepimus ſpiritum ſalutis.

CVm iſta conceptio in iuſtificatione fiat, videtur quod motus liberi arbitrij in iuſtificatione ſit motus timoris & non fidei.

Dicendum quòd timor eſt remota diſpoſitio ad gratiam; nunquam enim ad gratiam attingit niſi amor adjungatur. Fides ergo eſt diſpoſitio vltima ad gratiam cum qua gratia datur. *Lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 3. q. 3. ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Deuter. cap. 5. v. 29.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 19.*

Viuent interfecti mei.

EXplicatur ſupra. *Sapientia cap. 16. v. 12.*

ESAIÆ. *Cap.* 27. *v.* 8.

In menſura contra menſuram, cùm abiecta fuerit, iudicabo eam.

EX textu patet quòd quantitas iudicij punitionis peccati eſt ſecundùm quantitatem culpæ. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *ſed contra. Et ſupplem. q.* 8. *art.* 7. *ſed contra. vid. lib.* 2. *ſent. diſt.* 33. *q.* 2. *art.* 1. *in corpore.*

Idem locus citatur ſupra *Prouerbior. cap* 19. *v.* 25.

ESAIÆ. *Cap.* 27. *v.* 9.

Iſte omnis fructus vt auferatur peccatum eius.

REmiſſio peccatorum eſt finis in iuſtificatione impij, vt patet *in textu*; ergo remiſſio peccatorum debet connumerari inter ea quæ requiruntur ad iuſtificationem impij. 1. 2. *q.* 113. *art.* 6. *ſed contra.*

Idem locus citatur *Lib.* 4 *ſent. diſt.* 23. *art.* 1. *in corpore.* 1. 2. *q.* 70. *art.* 3. *ad primum. &* 3. *p. q.* 68. *art.* 3. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 8.

Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque.

EXplicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 2. *v.* 14.

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 9.

Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Id eſt, à delectationibus.

ARguitur, dolor & triſtitia maximè tollunt delectationes; impedit enim triſtitia omnem delectationem, dicitur enim quòd *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuria maxima*; ergo *ex textu* dolor non tollit, ſed magis præbet facultatem addiſcendi. *Eccl. v.* 29.

Ad argum. R. quòd tam delectatio, quàm dolor inquantum ad ſe trahunt animæ intentionem, impediunt conſiderationem rationis. Si autem dolor ſeu triſtitia fuerit moderata, per accidens poteſt conferre ad addiſcendum; inquantum aufert ſuperabundantiam delectationum, ſed per ſe impedit; & ſi intendatur, totaliter aufert. 1. 2. *q.* 37. *art.* 1. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 15.

Dixiſtis, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 28. *v.* 19.

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 18.

Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit.

PErfectio pacis & fœderis eſt per charitatem; ergo ad dæmones qui ſunt inferni incolæ &

Chriſtus nō fuit cauſa ſcandali. caſionem ſcandali. Sed dicitur eſſe in petram ſcandali, ita quòd propoſitio non ordinem cauſæ, ſed conſecutionem importet; quia ex his quæ Chriſtus fecit, conſecutum eſt ſcandalum Iudæorum. *Lib. 4. ſent. diſt.* 38. *q.* 2 *art* 1. *ad quintum.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 6.*

Filius datus eſt nobis.

EXplicatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 2. v. 15. vid. 1. p. q. 38. art. 2. ad primum. lib. 1. ſent. ad Annibaldum diſt. 18. art. 2. & 3.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 6.*

Factus eſt principatus ſuper humerum eius.

CItatur 1. *p. q. 20. art. 4. ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 7.*

Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit.

EXplicatur ſupra *Eſaya cap. 5 v. 4.*

ESAIÆ. *Cap. 9. v. 15.*

Longæuus & honorabilis ipſe eſt caput.

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap. 15. v. 17.*

ESAIÆ. *Cap. 10. v. 1.*

Væ qui condunt leges iniquas.

ARguitur, à lege æterna nihil iniquum procedere poteſt: ſed quædam leges ſunt iniquæ, vt patet *in textu*; ergo non omnis lex procedit à lege æterna.

Ad argum. R. quòd lex humana intantum habet rationem legis inquantum eſt ſecundùm rationem rectam. Et ſecundùm hoc manifeſtum eſt quòd à lege æterna deriuatur. Omnis lex procedit à lege æterna.

Inquantum verò à ratione recedit, ſic dicitur lex iniqua: & ſic non habet rationem legis ſed magis violentiæ cujuſdam.

Et tamen in ipſa lege iniqua, inquantum ſeruatur aliquid de ſimilitudine legis propter ordinem poteſtatis eius qui legem fecerit; ſecundùm hoc etiam deriuatur à lege æterna; *Omnis enim poteſtas à Domini Deo eſt*, vt dicitur. *1. 2. q. 93. art. 3. ad ſecundum. vid. 1. 2. q. 96. art. 4. ad tertium.* Et, *22. q. 60. art. 5. ad primum.* Rom. 13. v. 1.

ESAIÆ. *Cap. 10. v. 15.*

Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea?

EXplicatur ſupra *Eccle. cap. 12. v. 14.*

ESAIÆ. *Cap. 11. v. 1.*

Flos de radice eius aſcendet.

ARguitur, dicitur ſcriptum eſſe de Chriſto quòd *Nazarenus vocabitur*, quod ſumitur *ex textu*, Nazareth enim flos interpretatur: ſed maximè aliquis denominatur è loco ſuæ natiuitatis; ergo videtur quòd in Nazareth naſci debuerit, vbi etiam fuit conceptus & nutritus. Matt. 2. v. 23.

Ad argum. R. quòd Chriſtus florere voluit ſecundùm virtuoſam conuerſationem, non ſecundùm carnis

carnis originem. Et ideo in ciuitate Nazareth educari voluit & nutriri: in Bethleem autem voluit quaſi peregrè naſci. 3. p. q. 35. art. 7. ad ſecundum.

ESAIÆ. Cap. 11. v. 2.

Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.

QVi quidem in homine dicitur eſſe per gratiam habitualem; ergo in Chriſto fuit gratia habitualis. Et hoc propter tria; *primò* quidem, propter vnionem animæ illius ad Verbum Dei: quantò enim aliquòd receptiuum eſt propinquius cauſæ influenti, tantò magis participat de influentia ipſius.

Gratia habitualis fuit in Chriſto propter tria.

Influxus autem gratiæ eſt à Deo, ſecundùm illud, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et ideo maximè fuit conueniens, vt anima illa reciperet influxum diuinæ gratiæ.

Pſal. 83. v. 12.

Secundò, propter nobilitatem illius animæ, cujus operationes oportebat propinquiſſimè attingere ad Deum per cognitionem & amorem; ad quod neceſſe eſt eleuari rationalem naturam per gratiam.

Tertiò, propter habitudinem ipſius Chriſti ad genus humanum: Chriſtus enim inquantum homo, *Eſt mediator Dei & hominum*. Et ideo oportebat quòd haberet gratiam, etiam in alios redundantem; ſecundùm illud, *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. 3. p. q. 7. art. 1. in corpore. vid. lib. 3. ſent. ad Annibald. diſt. 13. art. 3. in corpore.

1. Tim. 2. v. 5.

Ioan. 1. v. 16.

Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientia & intellectus &c. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoſcibilia nam ad ſapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad ſcientiam autem pertinet cognitio omnium concluſionum: ad conſilium autem cognitio omnium agibilium; ergo videtur quòd Chriſtus ſecundùm ſcientiam inditam ſibi per ſpiritum ſanctum, habuerit omnium cognitionem. 3. p. q. 11. art. 1. ſed contra.

Chriſti ſcientia vniuerſalis.

Requieſcet ſuper eum. &c. De ſeptem donis ſpiritus ſancti Vid. *Lib. 3. ſent. diſt. 26. q. 2. art. 1. ad primum. 1. 2. q. 68. art. 1. 3. & 4. 2. 2. q. 4. art. 6. q. 8. art. 1. q. 19. art. 9. q. 45. art. 1. & q. 52. art. 1. lib. 3. ſent. ad Annibald. diſt. 34. art. 4. ſed contra. diſt. 35. art. 1. ſed contra. & art. 3. ſed contra. vid. etiam ſupra Deuterno cap. 17. v. 8. & pſalm. 5. v. 12.*

Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Spiritus ſanctus poteſt dici quieſcere in filio tripliciter; vno modo, ſecundùm humanam naturam, vt patet *in textu*. Alio modo, vt intelligitur ſpiritus in filio requieſcere; quia virtus ſpiratiua à patre datur filio, & vltra non protenditur. Tertio modo, ſecundùm quod amor dicitur requieſcere in amato, in quo quietatur amantis affectus. *In quaſt. diſp. q. 10. de potentia art. 4. ad decimum octauum.*

Spiritus ſanctus requieſcit in filio tripliciter.

ESAIÆ. Cap. 11. v. 3.

Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit &c.

EXplicatur ſupra *Deutero. cap. 17. v. 18.*

FF

Digitized by Google

ſed contra.

ESAIÆ. *Cap. 21. v. 10.*

Quæ audiui à Domino exercituum, Deo Iſraël, annuntiaui vobis.

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap. 9. v. 9.*

ESAIÆ. *Cap. 24. v. 5.*

Mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum.

HOc maximè videtur intelligendum de præceptis decalogi; ergo præcepta decalogi mutari per diſpenſationem non poſſunt. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. *ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 24. v. 16.*

Secretum meum mihi.

EXplicatur de Spiritu ſancto. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 17.* Idem locus citatur ſupra *Leuitici cap. 20 v. 8.*

ESAIÆ. *Cap. 24. v. 22.*

Congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum.

ARguitur, pœna reſpondet culpæ: ſed omnium peccatorum erit vna pœna in inferno; vt patet *in textu*; ergo omnium peccatorum eſt eadem grauitas.

Ad argum. R. quod in ſupplicio damnatorum eſt aliquid commune omnibus quod reſpondet contemptui Dei, putà carentia viſionis diuinæ & perpetuitas pœnæ. Et quantùm ad hoc dicuntur congregari *Congregatione vnius faſcis.* (Pœnarũ inæqualitas in inferno.)

Eſt & aliquid in quo differunt, ſecundùm quod quidam magis torquentur quàm alij. Et quantùm ad hoc dicuntur, *Colligari, ſicut Zizaniorum faſciculi ad comburendum. In quæſt. diſp. q. 2. de malo art. 9. ad tertium.* (Matt. 13. v. 30.)

Idem locus explicatur infra *Zachar. cap. 9. v. 11. vid. 3. p. q. 52. art. 6.*

ESAIÆ. *Cap. 25. v. 1.*

Conſilium tuum antiquum verum fiat.

QVod eſt in diuina ſapientia occultum, per ſimilitudinem conſilium dicitur, vt patet *in textu*: vel inquantum conſulentibus ſatisfacit. *Contra Gentiles lib. 1. cap. 93.* (Secundùm aliã translationem.)

ESAIÆ. *Cap. 25. v. 6.*

Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

QVòd iſte *textus* intelligatur quantùm ad ſtatum reſurgentium, patet ex hoc quod poſtea ſubditur, *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus omnem lachrymam ab omni facie.*

Dicitur etiam, *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis; ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis.* Et quòd hoc referendum ſit ad ſtatum futuræ vitæ, patet ex eo quod poſtea ſubditur, *Ecce ego creabo cœlum nouum. Contra Gentiles lib. 4. cap. 83.* (Eſa. 65. v. 13.)

Esaiæ. Cap. 25. v. 8.

Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum.

IN futura reſurrectione homines non ſic reſurgent, vt ſint iterum morituri; Neceſſitas enim moriendi eſt defectus in naturam humanam ex peccato proueniens.

Chriſtus autem merito ſuæ paſſionis naturæ defectus reparauit, qui in ipſo ex peccato prouenerunt. Vt enim dicit Apoſtolus, *Non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Rom. 5. v. 15.

Ex quo habetur quod efficacius eſt meritum Chriſti ad tollendum mortem, quàm peccatum Adæ ad inducendum. Illi igitur qui per meritum Chriſti reſurgent à morte liberati, mortem vlteriùs non patientur.

Præterea, mors per mortem Chriſti deſtructa eſt, nunc quidem in cauſa; quod Dominus prædixerat dicens, *Ero mors tua, ô mors.* Oſeæ. 13. v. 14. Vltimò autem deſtruetur in actu, ſecundùm illud, *Nouiſſimè inimica deſtruetur mors.* 1 Cor. 15. v. 26. Eſt igitur ſecundùm fidem Eccleſiæ hoc tenendum, quòd reſurgentes non iterum morientur.

Adhuc, effectus ſimilatur ſuæ cauſæ; reſurrectio autem Chriſti cauſa eſt futuræ reſurrectionis: ſic autem, *Reſurrexit Chriſtus, vt non vlteriùs moreretur*; Rom. 6. v. 9. homines igitur ſic reſurgent vt vlteriùs non moriantur. Apo. 21. v. 4.

Hoc etiam patet *in textu*. Et, *mors vltra non erit. Contra Gentiles lib. 4. cap. 82.*

Esaiæ. Cap. 26. v. 3.

Vetus error abijt.

QVadruplex vetuſtas & nouitas explicatur ſupra *Leuitic. cap. 26. v. 10.*

Esaiæ. Cap. 26. v. 5.

Ciuitatem ſublimem humiliabit.

ARguitur, ad hoc Dominus natus eſt in mundo, vt veritatis fidem annuntiaret, ſecundùm illud, *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati:* Ioan. 18. v. 37. Sed hoc faciliùs fieri potuiſſet ſi natus fuiſſet in ciuitate Romana, quæ tunc dominatum orbis habebat. Vnde & Paulus Romanis ſcribens dicit, *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo*; Rom. 1. v. 8. ergo videtur quòd non debuerit in Bethleem naſci.

Sed contra eſt quod dicitur, *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Michaæ 5. v. 2.

Ad argum. R. quòd vt diuinitas Chriſti cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam. *Elegit autem Deus infirma mundi vt confundat fortia:* 1. Cor. 1. v. 27. Et ideo vt ſuam poteſtatem magis oſtenderet in ipſa Roma quæ caput mundi erat, etiam caput ſuæ Eccleſiæ ſtatuit, in ſignum perfectæ victoriæ, vt exinde fides deriuaretur ad vniuerſum mundum, vt patet in textu, *Ciuitatem ſublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis*, ſcilicet Chriſti; *Greſſus egenorum*, id eſt, Apoſtolo-

Digitized by Google

rum Petri & Pauli. *3, p. q. 35. art. 7. ad tertium.*

Vid. quæ dicta ſunt ſupra *Lib. 2. Regum cap. 23. v. 1.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 8.*

In ſemita iudiciorum tuorum ſuſtinuimus te.

ARguitur, ad iudicium pertinet vt aliquid pro meritis reddatur; ergo aduentus filij Dei in carnem, quem ſancti patres expectabant, eis pro meritis reddendus erat, vt patet *in textu.*

Ad argum. R. quòd per iudicium redditur aliquid alicui quod priùs ſibi debetur: nobis autem non debebatur filij incarnatio quaſi ex merito, ſed ex diuina promiſſione: & quantùm ad hoc ſaluatur ratio iudicij. *Lib. 3. ſent. diſt. 4. q. 3. art. 1. ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 9.*

Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent omnes habitatores orbis.

Pſ. 147. v. 3. DIcitur, *Qui poſuit fines tuos pacem.* Et Dominus dicit,
Ioã. 16. v. 33. *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.*

Tunc autem ordinata concordia inter homines ſeruatur, quando vnicuique quod ſuum eſt redditur, quod eſt iuſtitiæ. Et ideo di-
Eſa. 32. v. 17. citur, *Opus iuſtitia pax.*

Oportuit igitur per legem diuinam iuſtitiæ præcepta dari, vt vnuſquiſque alteri redderet quod ſuum eſt, & abſtineret à nocumentis ei inferendis.

Inter homines autem maximè eſt aliquis parentibus debitor: & ideo inter præcepta quæ nos ad proximum ordinant ponitur, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* *Ex. 20. v. 12.*

In quo intelligitur præcipi vt tam parentibus quàm etiam alijs vnuſquiſque reddat quod debet; ſecundùm illud, *Reddite omnibus debita.* *Rom. 13. v. 7.*

Deinde ponuntur præcepta quibus præcipitur abſtinendum eſſe à nocumentis proximo inferendis, vt neque factis eum offendamus in perſona propria; quia dictum eſt, *Non occides*: neque in perſona *Ex. 20. v. 13.*
conjuncta; quia ſcriptum eſt *Non mœchaberis*: neque etiam in exterioribus rebus; quia ſcriptum *Ex. 20 v. 14.*
eſt, *Non furtum facies.* *Ex. 20. v. 15.*

Prohibemur etiam ne contra iuſtitiam proximum verbo offendamus; quia ſcriptum eſt, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* *Ex. 20. v. 16.*

Et quia Deus etiam cordium iudex eſt, prohibemur ne corde offendamus, concupiſcendo ſcilicet vxorem, aut aliquam rem eius.

Ad hujuſmodi autem iuſtitiam obſeruandam quæ lege diuinâ ſtatuitur, dupliciter homo inclinatur: vno modo ab interiori; alio modo ab exteriori. Ab interiori quidem, dum homo voluntarius eſt ad obſeruandum ea quæ præcipit lex diuina: quod quidem fit per amorem hominis ad Deum & proximum. *Homo obſeruat legẽ dupliciter.*

Qui enim diligit aliquem, ſponte & delectabiliter ei reddit quod debet, & etiam liberaliter ſuperaddit. Vnde tota legis impletio ex dilectione dependet, ſecundùm illud, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et *Rom. 13 v. 10.*
Dominus dicit, *In duobus præce-*

Digitized by Google

ptis, ſcilicet in dilectioue Dei & proximi, *vniuerſa lex pendet.*

Matt. 22 v. 40. Sed quia aliqui interiùs non ſunt ſic diſpoſiti, vt ex ſeipſis ſponte faciant quod lex jubet, ab exteriori trahendi ſunt ad iuſtitiam legis implendam; quod quidem fit dum timore pœnarum non liberaliter ſed ſeruiliter legem implent, vt patet *in textu.*

Alij verò ſic ſunt diſpoſiti, vt ex ſeipſis ſponto faciant quod lex iubet. Secundi igitur ſibi ipſi ſunt lex, habentes charitatem, quæ eos loco legis inclinat, & liberaliter operari facit.

Lex igitur exterior non fuit neceſſarium quòd propter eos poneretur; ſed propter illos qui ex ſeipſis non inclinantur ad bonum.

1. Tim. 1. v. 9. Vnde dicitur, *Iuſto lex non eſt poſita*, ſed iniuſtis.

Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi iuſti non teneantur ad legem impledam; ſed quia iſti inclinantur ex ſeipſis ad iuſtitiam faciendam etiam ſine lege. *Contra Gentiles lib. 3, cap. 128.*

Cùm feceris iudicia &c. Videtur *per textum* quòd dolor vel triſtitia auget facultatem addiſcendi.

Ad argum. R. quòd triſtitia moderata, quæ excludit euagationem animi, poteſt conferre ad diſciplinam ſuſcipiendam, & præcipuè eorum, per quæ homo ſperat ſe poſſe à triſtitia liberari: & hoc modo homines doctrinam Dei magis recipiunt. 1. 2. q. 37. *art. 1. ad primum.*

Esaiæ. *Cap. 26. v. 10.*

Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.

NVllus malus poteſt in ſpeculo æterno videre, vt patet *in textu*: ſed aliqui mali ſunt prophetæ; ergo prophetica viſio non eſt in ſpeculo æterno. *In quæſt. diſp. q. 12. de verit. art. 6. ſed contra.* Secundùm aliam literam.

Esaiæ. *Cap. 26. v. 11.*

Videat & confundantur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos deuoret.

VIdetur quòd damnati in inferno non vellent eſſe aliquos damnatos, qui non ſunt damnati; quia dicitur de diuite quòd, *Rogabat pro fratribus ſuis ne venirent in locum tormentorum*; Lucæ 16. v. 17. ergo eadem ratione & damnati alij non vellent ad minus carnales ſuos amicos in inferno damnari.

2. Affectiones inordinatæ à damnatis non auferuntur: ſed aliqui damnati inordinatè aliquos non damnatos dilexerunt; ergo non vellent eorum malum, quod eſt eſſe damnatos.

3. Damnati non deſiderant augmentum ſuæ pœnæ: ſed ſi plures damnarentur, major eſſet damnatorum pœna: ſicut etiam multiplicatio bonorum amplificat eorum gaudium; ergo damnati non vellent ſaluatos damnari.

Sed contra, in damnatis maximè regnat inuidia; ergo dolent de felicitate bonorum, & eorum damnationem appetunt.

Dicendum quod ſicut in beatis in patria erit perfectiſſima charitas, ita

382

Damnatorum odium erga beatos. in damnatis erit perfectiſſimum odium: vnde ſicut ſancti gaudebunt de omnibus bonis; ita etiam mali de omnibus bonis dolebnnt: vnde & felicitas ſanctorum conſiderata eos maximè affligit. Et hoc patet ex textu.

Ad 1. R. quòd tanta erit inuidia in damnatis quòd etiam propinquorum gloriæ inuidebunt, cùm ipſi ſint in ſumma miſeria. Cùm etiam in hac vita hoc accidat creſcente inuidiâ: ſed tamen minùs inuident propinquis quàm alijs; & major eſſet eorum pœna ſi omnes propinqui damnarentur, & alij ſaluarentur; quàm ſi aliqui de ſuis propinquis ſaluarentur. Et exinde fuit quòd diues petijt fratres ſuos à damnatione eripi: ſciebat enim quòd aliqui eriperentur; maluiſſet tamen fratres ſuos cum omnibus alijs damnari.

Ad 2. R. quòd dilectio quæ non fundatur ſuper honeſtum, facilè reſcinditur; & præcipuè in malis hominibus. Vnde damnati non conſeruabunt amicitiam ad eos quos inordinatè dilexerunt: ſed in hoc voluntas eorum remanebit peruerſa, quòd cauſam inordinatæ dilectionis adhuc diligerent.

Ad 3. R. quòd quamuis ex damnatorum multitudine pœna ſingulorum augeatur: tamen tantùm ſuperexcreſcet odium & inuidia; quòd magis eligerent torqueri magis cùm multis, quàm minùs ſoli. *Lib. 4. ſent. diſt. 50. q. 2. art. 1. q. 4. Et ſupplem. q. 98. art. 4.*

ESAIÆ. *Cap. 26. v. 11.*

Videant & confundantur zelantes populi.

ARguitur, ſicut ſe habet gloria ad miſeriam, ita miſeria ad gloriam: ſed de perfectione gloriæ ſanctorum eſt, vt videant miſeriam damnatorum, vt habetur, *Egredientur & videbunt cadauera impiorum*; ergo & de perfectione miſeriæ damnatorum eſt, vt videant gloriam ſanctorum; & ſic poſt diem iudicij, quando in miſeria perfecta erunt, videbunt gloriam ſanctorum. *Eſa. 66. v. 24.*

2. Poſt diem iudicij nulla afflictio à damnatis ſubtrahetur: ſed nunc affliguntur damnati ad hoc quòd videant gloriam ſanctorum, vt patet *in textu*; ergo & poſt diem iudicij gloriam ſanctorum videbunt.

Dicendum quòd videre gloriam beatorum dupliciter contingit: vno modo vt capiatur quid ſit ipſa gloria, & qualis, & quanta: & ſic nullus poteſt videre gloriam niſi qui eſt in gloria.

Alio modo contingit videre gloriam beatorum, vt videantur ipſi beati eſſe in quadam gloria inenarrabili & excedente intellectum. Et ſic damnati ante diem iudicij videnr gloriam ſanctorum, non autem poſt diem iudicij; quia tunc erunt penitus à ſanctorum conſortio alienati, vt qui ad ſummum jam miſeriæ peruenerunt. Et ideo nec etiam ſanctorum conſortio digni habebuntur: nam videns, aliquod conſortium habet cum eo quod videt.

Ad 1. R. quòd videre miſe-

ESAIÆ. *Cap.* 27. *v.* 8.

In menſura contra menſuram, cùm abiecta fuerit, iudicabo eam.

EX textu patet quòd quantitas iudicij punitionis peccati eſt ſecundùm quantitatem culpæ. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *ſed contra. Et ſupplem. q.* 8. *art.* 7. *ſed contra. vid. lib.* 2. *ſent. diſt.* 33. *q.* 2. *art.* 1. *in corpore.*

Idem locus citatur ſupra *Prouerbior. cap* 19. *v.* 25.

ESAIÆ. *Cap.* 27. *v.* 9.

Iſte omnis fructus vt auferatur peccatum eius.

REmiſſio peccatorum eſt finis in iuſtificatione impij, vt patet *in textu*; ergo remiſſio peccatorum debet connumerari inter ea quæ requiruntur ad iuſtificationem impij. 1. 2. *q.* 113. *art.* 6. *ſed contra.*

Idem locus citatur *Lib.* 4 *ſent. diſt.* 23. *art.* 1. *in corpore.* 1. 2. *q.* 70. *art.* 3. *ad primum. &* 3. *p. q.* 68. *art.* 3. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 8.

Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque.

EXplicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 2. *v.* 14.

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 9.

Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Id eſt, à delectationibus.

ARguitur, dolor & triſtitia maximè tollunt delectationes; impedit enim triſtitia omnem delectationem, dicitur enim quòd *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ*; ergo *ex textu* dolor non tollit, ſed magis præbet facultatem addiſcendi. *Eccl. v.* 29.

Ad argum. R. quòd tam delectatio, quàm dolor inquantum ad ſe trahunt animæ intentionem, impediunt conſiderationem rationis. Si autem dolor ſeu triſtitia fuerit moderata, per accidens poteſt conferre ad addiſcendum; inquantum aufert ſuperabundantiam delectationum, ſed per ſe impedit; & ſi intendatur, totaliter aufert. 1. 2. *q.* 37. *art.* 1. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 15.

Dixiſtis, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 28. *v.* 19.

ESAIÆ. *Cap.* 28. *v.* 18.

Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit.

PErfectio pacis & fœderis eſt per charitatem; ergo ad dæmones qui ſunt inferni incolæ &

Digitized by Google

mortis procuratores, charitatem habere non debemus.

Dicendum quòd in peccatoribus ex charitate debemus diligere naturam, peccatum autem odire. In nomine autem dæmonis ſignificatur natura peccato deformata: & ideo dæmones ex charitate non ſunt diligendi. *2. 2. q. 25. art. 11. in corpore.*

ESAIÆ. *Cap. 29. v. 13.*

Populus hic labiis me honorat &c.

Citatur ſupra *Prouerb. cap. 17. v. 3. & Eccle. cap. 9. v. 2.*

ESAIÆ. *Cap. 30. v. 26.*

Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter.

Citatur *Lib. 4. ſent. diſt. 48. q. 3. art. 3. ſed contra. 1. 2. q. 73. art. 2. ſed contra. & q. 91. art. 3. ſed contra. & ſupplem. q. 91. art. 3. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 30. v. 33.*

Præparata eſt ab heri Thophet.

Citatur *Lib. 4. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 4. q. 2. ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 30. v. 33.*

Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.

Explicatur ſupra *Iob cap. 18. v. 5.*

ESAIÆ. *Cap. 31. v. 3.*

Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non ſpiritus.

Nihil compoſitum ex anima & corpore dicitur ſpiritus, vt patet *in textu*: ſed dæmones dicuntur ſpiritus, vt patet, *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine &c.* ergo dæmones non habent corpora naturaliter ſibi vnita. *In quæſt. diſp. q. 16. de malo art. 1. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 32. v. 17.*

Opus iuſtitiæ pax.

Quantùm ad virtutes & dona, quibus homo perficitur in comparatione ad proximum, effectus actiuæ vitæ eſt pax, vt patet in textu. *1. 2. q. 69. art. 3. in corpore.*

Opus iuſtitiæ pax. Arguitur: idem non eſt proprius effectus diuerſorum: ſed pax eſt effectus iuſtitiæ, vt patet *in textu*; ergo non eſt effectus charitatis.

Ad argum. R. quòd pax eſt opus iuſtitiæ indirectè, inquantum ſcilicet remouet prohibens: ſed eſt opus charitatis directè; quia ſecundùm propriam rationem charitas pacem cauſat. *2. 2. q. 29. art. 3. ad tertium.*

Opus iuſtitiæ pax. Pax cauſatur ex iuſtitia quæ eſt circa operationes, inquantum ſcilicet ille qui ab iniurijs aliorum abſtinet, ſubtrahit litigiorum & tumultuum occaſiones. *2. 2. q. 180. art. 2. ad ſecundum.*

Digitized by Google

884

Idem locus citatur ſupra *Pſalm. 1. v. 1. & Eſaya. cap. 26. v. 9.*

Esaiæ. *Cap. 33. v. 7.*

Angeli pacis amarè flebunt.

ILlud ſecundùm literam intelligitur de nuncijs Ezechiæ, quos miſit ad pacem ab Aſſyrijs quærendam; qui audientes blaſphemias Rapſacis, ſciſſis veſtibus fleuerunt.

Si autem ad Angelos referatur, intelligendus eſt dolor, non propriè, ſed metaphoricè per modum quo etiam frequenter in ſcripturis Deo attribuitur. *Lib. 2. ſent. diſt. 11. q. 2. art. 5. ad primum. ſimile 1. p. q. 113. art. 7. ad primum.*

Esaiæ. *Cap. 33. v. 17.*

Regem in ſuo decore videbunt.

NIhil idem exiſtens, poteſt ſimul ab eodem videri in diuerſis ſpeciebus: ſed oculus glorificatus ſemper videt Chriſtum prout eſt in ſua ſpecie, vt patet *in textu*; ergo videtur quòd non videat Chriſtum prout eſt ſub ſpecie humana hujus ſacramenti. *3. p. q. 76. art. 7. ſed contra.*

Idem locus citatur *Lib. 4. ſent. diſt. 48. q. 1. art. 2. ad quartum.*

Esaiæ. *Cap. 35. v. 3.*

Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.

Quæ mẽbra tremũt propter timorẽ.

QVia in timore calor deſerit cor, à ſuperioribus ad inferiora tendens; ideo timentibus maximè tremit cor & membra, quæ habent aliquam connexionem ad pectus, vbi eſt cor. Vnde timentes maximè tremunt in voce, propter vicinitatem vocalis arteriæ ad cor.

Tremit etiam labium inferius, & tota inferior mandibula, propter continuationem ad cor, vnde & ſtrepitus dentium ſequitur: & eadem ratione brachia & manus tremunt.

Vel etiam quia huiuſmodi membra ſunt magis mobilia, propter quod & genua tremunt timentibus, vt patet in textu. 1. 2. *q. 44. art. 3. ad tertium.*

Idem locus citatur ſupra *Eccle. cap. 1. v. 15.*

Esaiæ. *Cap. 35. v. 10.*

Gaudium & lætitiam obtinebunt.

ARguitur, gaudium & lætitia differunt, vt patet *in textu.*

Ad argum. R. quòd delectatio & gaudium eodem modo differunt ſicut triſtitia & dolor; nam delectatio ſenſibilis habet ex parte corporis conjunctionem conuenientis; ex parte verò animæ ſenſum illius conuenientiæ.

Quomodo differũt gaudiũ & delectatio.

Et ſimiliter delectatio ſpiritualis habet quandam realem conjunctionem conuenientis cum conuenienti, & perceptionem illius conjunctionis. Ipſa enim operatio conueniens eſt illud conjunctum conueniens, quod delectationem præcipuè ſpiritualem facit. Et ſic delectatio vtrobique incipit à conjunctione reali, & perficitur in eius apprehenſione.

Gaudium verò incipit in apprehenſione, & terminatur in affectu: vnde delectatio eſt interdum cau-

Digitized by Google

ſa gaudij, ſicut dolor triſtitiæ. Gaudium verò à lætitia differt accidentaliter ſecundùm intenſionem & remiſſionem *In quæſt. diſp. q.* 26. *de verit. art.* 4. *ad quintum.*

ESAIÆ. *Cap.* 37. *v.* 16.

Qui ſedes ſuper Cherubim.

Citatur ſupra *Eſaye cap.* 6. *v.* 2.

ESAIÆ. *Cap.* 37. *v.* 23.

Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti.

Citatur ſupra *Prouerbior. cap.* 3. *v.* 34.

ESAIÆ. *Cap.* 37. *v.* 36.

Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.

Citatur ſupra *Geneſis cap.* 19. *v.* 26.

ESAIÆ. *Cap.* 38 *v.* 1.

Diſpone domui tuæ.

Citatur ſupra *Geneſis cap.* 6. *v.* 7. *numeror. cap.* 12. *v.* 8. *& lib.* 2. *paralip. cap.* 1. *v.* 12. *vid. contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 96.

ESAIÆ. *Cap.* 38. *v.* 3.

Memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.

ARguitur, veritas vitæ dicitur qua quis rectè viuit, vt patet *in textu*: ſed qualibet virtute rectè viuitur; ergo veritas non eſt ſpecialis virtus.

Ad argum. R. quòd veritas vitæ eſt veritas ſecundum quam aliquid eſt verum, non veritas ſecundùm quam aliquis dicit verum.

Dicitur autem vita vera ſicut & quælibet alia res, ex hoc quòd attingit ſuam regulam & menſuram, ſcilicet diuinam legem, per cujus conformitatem rectitudinem habet.

Et talis veritas, ſiue rectitudo, communis eſt ad quamlibet virtutem. 2. 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 40. *v.* 2.

Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 102. *v.* 10.

ESAIÆ. *Cap.* 40. *v.* 6.

Omnis caro fœnum.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 4. *v.* 3.

ESAIÆ. *Cap.* 40. *v.* 9. *&* 10.

Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus veſter. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo.

HIc nobis quatuor de Chriſto Propheta tradit, diuinitatem aſſumentem, humanitatem aſſumptam, mortem per quàm à ſeruitute eripimur, reſurrectionem per quam nobis aditus glorioſæ vitæ

Digitized by Google

885

aperitur. *Præfat. in catenam ſuper Matthæi Euangelium.*

ESAIÆ. *Cap.* 40. *v.* 11.

In brachio ſuo congregabit agnos.

EXplicatur ſupra *Iob. cap.* 40. *v.* 4.

ESAIÆ. *Cap.* 40 *v.* 12.

Quis menſus eſt pugillo aquas?

EXplicatur ſupra *Lib.* 4. *Regum cap.* 5. *v.* 23.

ESAIÆ. *Cap.* 40. *v.* 14.

Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum?

EXplicatur ſupra *Iob cap.* 26. *v.* 3.

ESAIÆ. *Cap.* 40. *v.* 15.

Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.

NIhil poteſt dici miraculum ex comparatione potentiæ diuinæ; quia quodcumque factum diuinæ potentiæ comparatum eſt minimum, vt patet *in textu.*

Sed dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturæ quam excedit. Et ideo ſecundùm quod magis excedit facultatem naturæ, ſecundùm hoc maius miraculum dicitur.

Excedit autem facultatem naturæ aliquid tripliciter: *vno modo* quantùm ad ſubſtantiam facti; ſicut quòd duo corpora ſint ſimul, vel quòd ſol retrocedat, aut quòd corpus humanum glorificetur; quod nullo modo natura facere poteſt. Et iſta tenent ſummum gradum in miraculis.

Miraculum triplex.

Secundò, aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad id quod fit, ſed quantùm ad id in quo fit: ſicut reſuſcitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & ſimilia.

Poteſt enim natura cauſare vitam, ſed non in mortuo: & poteſt præſtare viſum, ſed non cæco. Et hæc tenent ſecundum locum in miraculis.

Tertio modo, excedit aliquid facultatem naturæ quantùm ad modum & ordinem faciendi: ſicut cùm aliquis ſubitò per virtutem diuinam à febre curatur abſque curatione & conſueto proceſſu naturæ in talibus.

Et cùm ſtatim aër diuinâ virtute in pluuias denſatur abſque naturalibus cauſis; ſicut factum eſt ad preces Samuëlis, & Eliæ. Et hujuſmodi tenent infimum locum in miraculis.

Quælibet tamen horum habent diuerſos gradus, ſecundùm quod diuerſimodè excedunt facultatem naturæ. 1. *p. q.* 105. *art.* 8. *in corpore.*

ESAIÆ. *Cap* 40. *v.* 16.

Ligna Libani non ſufficient ad holocauſtum.

VIdetur quod homo non poſſit Deo ſatisfacere; ſatisfactio enim debet æquari offenſæ; ſed offenſa in Deum commiſſa eſt infinita; quia quantitatem recipit ab eo in quem committitur, cùm plus offendat qui principem percutit, quàm alium quenquam; cum ergo actio hominis non poſſit eſſe infinita, videtur quòd homo

Digitized by Google

Deo ſatisfacere non poſſit.

2. Seruus, quia totum quod habet Domini eſt, non poteſt pro aliquo debito recompenſare: ſed nos ſerui Dei ſumus, & habemus quicquid boni habemus ab ipſo; cùm ergo ſatisfactio ſit recompenſatio offenſæ præteritæ, videtur quòd Deo ſatisfacere non poſſimus.

3. Ille cujus totum quod habet non ſufficit ad vnum debitum exoluendum, non poteſt pro alio debito ſatisfacere: ſed quicquid homo eſt, & poteſt, & habet non ſufficit ad exoluendum debitum pro beneficio creationis, vt patet in textu; ergo nullo modo poteſt ſatisfacere pro debito offenſæ commiſſæ.

4. Peccatum actuale mortale eſt grauius quàm originale: ſed pro originali nemo potuit ſatisfacere niſi Deus & homo eſſet; ergo neque pro actuali.

Lucæ 3. v. 8. Sed contra, ſatisfactio eſt in præcepto, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; ergo poſſibile eſt Deo ſatisfacere. Præterea, Deus eſt magis miſericors quàm aliquis homo: ſed homini eſt poſſibile ſatisfacere; ergo & Deo.

Dicendum quòd homo Deo dupliciter debitor efficitur; vno modo ratione beneficij accepti; alio modo ratione peccati commiſſi. Et ſicut gratiarum actio vel latria, vel ſi quid eſt aliquid huiuſmodi, reſpicit debitum accepti beneficii; ita ſatisfactio reſpicit debitum peccati commiſſi.

In his autem honoribus qui ſunt ad parentes & ad Deũ, impoſſibile eſt æquiualens reddere ſecundùm quantitatem, ſed ſufficit vt homo reddat quod poteſt; quia amicitia non exigit æquiualens, ſed quod poſſibile eſt: & hoc etiam eſt æquale aliqualiter, ſcilicet ſecundùm proportionalitatem; quia ſicut ſe habet hoc quod Deo eſt debitum ad ipſum Deum, ita hoc quòd iſte poteſt reddere ad ipſum Deum: & ſic aliquo modo forma iuſtitiæ conſeruatur.

Et ſimiliter eſt ex parte ſatisfactionis: vnde non poteſt homo Deo ſatisfacere, ſi ly *ſatis* æqualitatem quantitatis importet: contingit autem ſi importet æqualitatem proportionis: & hoc ſicut ſufficit ad rationem iuſtitiæ, ita ſufficit ad rationem ſatisfactionis.

Ad 1. R. quòd ſicut offenſa habuit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis, ita etiam ſatisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ miſericordiæ, prout eſt gratiâ informata; per quam acceptum redditur quod homo reddere poteſt.

Ad 2. R. quòd homo qui ad imaginem Dei factus eſt, aliquid libertatis participat, inquantum eſt Dominus ſuorum actuum per liberum arbitrium: & ideo ex hoc quòd per liberum arbitrium agit, Deo ſatisfacere poteſt: quia quamuis Dei ſit, prout à Deo eſt ſibi conceſſum; tamen liberè ei traditum eſt, vt eius Dominus ſit, quod ſeruo non competit.

Ad 3. R. quòd ratio illa concludit, quòd Deo æquiualens ſatisfactio fieri non poſſit; non autem quòd non poſſit ei ſufficiens fieri: quamuis enim totum ſuum poſſe homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de neceſſitate ſalutis vt totum quod poſſit, faciat; quia hoc eſt ei impoſſibile ſecundùm

Digitized by Google

886

ſtatum præſentis vitæ, vt totum poſſe ſuum in aliquid vnum expendat; cùm oporteat eum circa multa eſſe ſolicitum: ſed eſt quædam menſura homini adhibita, quæ ab eo requiritur, ſcilicet impletio mandatorum Dei & ſuper ea poteſt aliquid erogare, vt ſatisfaciat.

Nota quòd quamuis homo non poſſit tempus præteritum recuperare, poteſt tamen in futuro recompenſare illud quod in præterito feciſſe debuiſſet; quia non debuit debito præcepti totum quod potuit.

Ad 4. R. quòd originale peccatum, etſi minùs habeat de ratione peccati, quàm actuale, eſt tamen grauius malum; quia eſt ipſius humanæ naturæ infectio; & ideo per vnius hominis puri ſatisfactionem expiari non potuit, ſicut actuale. *Supplem. q. 13. art. 1.*

ESAIÆ. *Cap. 40. v. 18.*

Cui ſimilem feciſtis Deum?

Explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 26. ter. Exodi cap. 20. v. 4. vid. lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 1. ad primum. q. 7. de potentia art. 7. ſed contra & lib. 2. ſent. ad Annibaldum diſt. 16. art. 1. ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap. 40. v. 31.*

Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt.

Citatur *Lib. 1. Regum cap. 17. v. 39. vid. lib. 4. ſent. diſt. 44. q. 2. art. 3. q. 2. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 41. v. 18.*

Qui ſuſcitauit ab Oriente iuſtum.

Citatur ſupra *Eccli. cap. 17. v. 14.*

ESAIÆ. *Cap. 41. v. 18.*

Aperiam in ſupremis montium flumina.

Explicatur ſupra *Eccle. cap. 1. v. 7.*

ESAIÆ. *Cap. 41. v. 23.*

Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos.

Arguitur, ſpecies quæ ſunt in intellectu, cùm ſint præter hoc & nunc, æqualiter ſe habent ad præſens, præteritum, & futurum; ſi ergo Angelus per ſpecies quæ ſunt in eius intellectu ſingularia cognoſcit, videtur quòd æqualiter cognoſcat præſentia, & futura, & diſtantia ſecundùm locum, quod eſſe non poteſt; quia ſcire futura ſolius Dei eſt, vt patet *in textu.*

Ad argum. R. quòd per ſpeciem quam Angelus apud ſe habet, non poteſt aliquod ſingulare cognoſcere, niſi habeat naturam quam illa ſpecies repræſentat. Futura autem ſingularia nondum habent naturam: diſtantia verò ſecundùm locum habent. Et ideo Angelus non poteſt cognoſcere futura: poteſt tamen cognoſcere diſtantia ſecundùm locum.

Angelus non poteſt cognoſcere futura.

Vnde dicendum eſt ſecundùm doctrinam fidei quòd Angeli ſingularia cognoſcunt, per hoc quod

ad miniſterium hominum ſingularium deputantur, vt patet, *Angelis ſuis mandauit de te &c.* Et, *nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus &c. Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 4. art. 2. ad quartum. ſimile in quæſt. diſp. q. 8. de verit. art. 11.*

Pſal. 90 v. 11. Hebr. 1. v. 14.

Ventura annuntiate, & dicemus quòd dii eſtis.

Quomodo dæmones cognoſcūt futura.

Arguitur, prænuntiatio futurorum diuinitatis eſt ſignum, vt patet *in textu:* ſed dæmones ſunt omnino diuinitatis expertes; ergo per eos diuinatio de futuris fieri non poteſt.

Ad argum. R. quòd futura ſecundùm quod habent determinationem in cauſis ſuis, accedunt ad rationem præſentium, inquantum quodammodo ſunt determinata in cauſis ſuis. Et ideo eorum præcognitio non propriè dicitur diuinatio: vt quando medicus prædicit ſanitatem futuram, & Aſtrologus eclipſim vel pluuiam, & aliquod huiuſmodi; niſi fortè apud eum quem latet ordo cauſæ ad cauſatum. Vnde in illis quæ omnibus nota ſunt, nullus dicit diuinationem eſſe, vt ſolem oriri cras.

Diuinationis deſcriptio.

Sed diuinatio propriè eſt eorum, quæ cauſas determinatas non habent. Hæc autem præcognoſcere ſolius Dei eſt, à cuius actus vſurpatione diuini vocantur, qui futuris prænuntiandis intendunt. *Lib. 2. ſent. diſt. 7. q. 2. art. 2. ad primum.*

Annuntiate quæ ventura ſunt. &c. Arguitur, diuinatio ab aliquo diuino nominatur: ſed ea quæ ſunt diuina magis ad ſanctitatem pertinent, quàm ad peccatum; ergo videtur quòd diuinatio non ſit peccatum.

Sed contra eſt quod dicitur; *Non ſit qui pythones conſulat, neque diuinos.*

Deut. 18 v. 11.

Diuinationis deſcriptio.

Dicendum quòd nomine diuinationis intelligitur quædam prænuntiatio futurorum. Futura autem dupliciter prænoſci poſſunt: vno quidem modo in ſuis cauſis; alio modo in ſeipſis.

Cauſæ autem futurorum tripliciter ſe habent: quædam enim producunt ex neceſſitate & ſemper ſuos effectus. Et huiuſmodi effectus futuri per certitudinem prænoſci & prænuntiari poſſunt ex conſideratione ſuarum cauſarum, ſicut Aſtrologi prænuntiant eclipſes futuras.

Quædam verò cauſæ producunt ſuos effectus, non ex neceſſitate & ſemper, ſed vt in pluribus; raro tamen deficiunt. Et per huiuſmodi cauſas poſſunt prænoſci effectus futuri, non quidem per certitudinem; ſed per quandam conjecturam: ſicut Aſtrologi per conſiderationem ſtellarum quædam prænoſcere & prænuntiare poſſunt de pluuiis & ſiccitatibus; & medici de ſanitate vel morte.

Futura tripliciter cognoſcūtur.

Quædam verò cauſæ ſunt quæ ſi ſecundùm ſe conſiderentur, ſe habent ad vtrumlibet, quod præcipuè videtur de potentiis rationalibus quæ ſe habent ad oppoſita. Et tales effectus, vel etiam ſi qui effectus vt in paucioribus caſu accidunt ex naturalibus cauſis; per conſiderationem cauſarum prænoſci non poſſunt; quia eorum cauſæ non habent inclinationem determinatam ad huiuſmodi effectus. Et ideo effectus huiuſmodi prænoſci non poſſunt niſi in ſeipſis conſiderentur.

Homi-

Digitized by Google

887

Homines autem in ſeipſis huiuſmodi effectus conſiderare poſſunt ſolùm, dum ſunt præſentes: ſicut cùm homo videt ſorrem currere vel ambulare. Sed conſiderare huiuſmodi in ſeipſis, antequam fiant, eſt Dei proprium; qui ſolus in ſua æternitate videt ea quæ futura ſunt, quaſi præſentia.

Si quis ergo huiuſmodi futura prænuntiare aur prænoſcere, quocumque modo præſumpſerit, niſi deo reuelante; manifeſtè vſurpat ſibi quod Dei eſt: & ex hoc aliqui diuini dicuntur.

Diuinatio ergo non dicitur, ſi quis prænuntiet ea quæ ex neceſſitate eueniunr; vel vt in pluribus, quæ humanâ ratione prænoſci poſſunt. Neque etiam ſi quis futura alia contingentia Deo reuelante cognoſcat; tunc enim non ipſe diuinat, id eſt, quod diuinum eſt facit; ſed magis quod diuinum eſt ſuſcipit.

Tunc autem ſolùm dicitur diuinare, quando ſibi indebito modo vſurpat prænuntiationem futurorum euenruum. Hoc autem conſtat eſſe peccatum; vnde diuinatio ſemper eſt peccatum. Et per hoc patet R. ad argum, *2. 2. q. 95. art. 1.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 2. v. 20. vid. in quæſt. diſp. q. 16. de malo art. 7. in corpore q. vnicâ de anima art. 20. ad quartum. q. 8. de veritate art. 12. ſed contra. Et q. 12. art. 6. ad quintum. quodlib 7. art. 3. ad primum. & 1. p. q. 57. art. 3. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap.* 42. *v.* 1.

Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, dedi ſpiritum meum ſuper eum.

HOc pertinet ad donum gratiæ habitualis: vnde relinquitur quòd ſuſceptio naturæ humanæ in vnitatem perſonæ, præcedat gratiam habitualem in Chriſto. *3. p. q. 7. art. 13. ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap.* 42. *v.* 4.

Non erit triſtis neque turbulentus.

PEr illam auctoritatem excluditur à Chriſto triſtitia rationem impediens. *Lib. 3. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 2. ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap. 12. v. 21.*

ESAIÆ. *Cap.* 42. *v.* 8.

Gloriam meam alteri non dabo.

ARguitur, Dicitur, *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, &c.* quod explicatur de inani gloria; ergo inanis gloria eſt maximum & mortale peccatum. *Iob. 31. v. 26.*

2. Quicunque ſurripit quod eſt Dei proprium mortaliter peccat, multò magis quàm qui furatur rem proximi: ſed quicumque appetit inanem gloriam vſurpat ſibi illud quod eſt proprium Dei, vt patet *in textu*, Et, *Soli Deo honor & gloria*; ergo videtur quòd inanis gloria ſit peccatum mortale. *1. Tim. 1 v. 17.*

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit de inani gloria ſecundùm

quod homo de bonis ſuis gloriatur in ſeipſo, nullo modo ea referendo in Deum, vel actu, vel habitu, prout eſt peccatum mortale.

Ad 2. R. quòd ſicut in regno aliter debetur honor & gloria regi, aliter duci vel militi; ita etiam in vniuerſitate rerum aliqua gloria & honor ſoli Deo debetur; quam cùm aliquis ſibi vſurpare vellet, attribueret ſibi quod eſt Dei.

Non autem omnes qui inaniter gloriam concupiſcunt, appetunt honorem & gloriam debitam ſoli Deo; ſed quæ debetur homini propter aliquam excellentiam.

Quomodo gloria ſoli Deo conueniat.

In hoc tamen contra Deum peccant quandoque, quòd non referunt hujuſmodi gloriam ad debitum finem. Et ſic licet non vſurpent ſibi gloriam Dei ſecundùm ſubſtantiam; vſurpant tamen gloriam Dei quantùm ad modum habendi: ſoli enim Deo competit, vt eius gloria in alium finem non referatur. *In quaſt. diſp. q. 9. de malo art. 1. ad tertium & ſextum. ſimile 2. 2. q. 132. art. 3. ad ſecundum.*

ESAIÆ. Cap. 43. v. 6.

Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eam.

Homo laudabiliter poteſt ad aliorum vtilitatem ſuam gloriam appetere, ſecundùm illud, *Videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. 2. 2. q. 132. art. 1. ad primum.* Matt. 5. v. 16.

Idem locus citatur *Quodlib. 6. art. 8. in corpore.*

ESAIÆ. Cap. 43. v. 25.

Ego ſum qui deleo iniquitates.

Arguitur, Chriſtus ſecundùm quod homo dimittit peccata, vt patet, *Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*: Sed hoc eſt tantùm Dei, vt patet *in textu*; ergo ſecundùm quod homo eſt Deus. Matt. 9. v. 6.

Ad argum. R. quòd dimittere peccata eſt dupliciter, vel per auctoritatem, & ſic cùm ſit ſolius Dei, non eſt Chriſti inquantum eſt homo, ſi fiat replicatio ratione naturæ; vel per miniſterium, & ſic conuenit Chriſto etiam ratione humanæ naturæ. *Lib. 3. ſent. diſt. 10. q. 1. art. 1. ad tertium. ſimile lib. 3. ſent. diſt. 19. q. 1. art. 1. ad primum. lib. 4. ſent. diſt. 5. q. 1. art. 1. ſed contra. in quaſt. diſp. q. 11. de verit. art. 1. ad decimum-ſextum. & q. 27. art. 3. ad primum 3. p. q. 16. art. 11. ad ſecundum. q. 22. art. 3. ad primum. & q. 49. art. 1. ad primum.*

Idem locus citatur ſupra *Leuit. cap. 20 v. 8.*

ESAIÆ. Cap. 44. v. 22.

Deleui vt nubem iniquitates tuas.

Explicatur ſupra *Eccli. cap. 45. v. 15.*

ESAIÆ. Cap. 44. v. 28.

Dico Hieruſalem, ædificaberis; & templo, fundaberis.

Explicatur ſupra *Numer. cap. 12. v. 6.*

Digitized by Google

888

ESAIÆ. *Cap. 45. v. 5.*

Extra me non eſt Deus.

Explicatur infra *Eſai. cap. 53. v. 7.*

ESAIÆ. *Cap. 45. v. 7.*

Formans lucem, & creans tenebras.

Arguitur, peccatum eſt tenebra ſpiritualis: ſed tenebrarum Deus auctor eſt, vt patet *in textu*; ergo peccatorum Deus cauſa eſt.

Dicendum quòd peccati actor Deus nullo modo dicendus eſt; qui enim agit propter finem, non deficit à fine, niſi propter defectum alicujus, vel ſuſpſius, vel alterius; & ille in quo inuenitur defectus, erit cauſa obliquationis à fine; ſiue ſit ipſum principale agens, vel materia, vel inſtrumentum agentis, vel quicquid aliud:

Deus non poteſt eſſe cauſa peccati. Et ideo illud in quo nullo modo defectus cadere poteſt, non poteſt eſſe cauſa receſſus à fine, in his quæ ad finem ordinata ſunt.

Cùm igitur peccatum dicatur propter inordinationem à fine, ad quem natura rationalis ordinata eſt; non poteſt eſſe cauſa peccati Deus, in quo nullus defectus cadere poteſt: ſed oportet quòd peccatum cauſetur defectu illius agentis quod eſt poſſibile ad defectum, ſicut eſt voluntas rationalis creaturæ.

Nota quòd Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum & in malum: inclinat ſiquidem voluntatem in bonum, adminiſtrando virtutem agendi, & directè mouendo ad bonum. Sed ad malum dicitur inclinare, inquantum gratiam non præbet, per quam quis à malo retraheretur, & non quòd directè voluntatem in malum ordinet.

Ad argum. R. quòd peccatum dicitur ſpiritualis tenebra effectiuè; quia ſcilicet mentem obtenebrat, eam lumine gratiæ priuans. Nomen autem tenebræ pœnam potiùs deſignat: vnde etiam tenebræ Deus auctor eſt, ſicut & aliarum pœnarum. *Lib. 2. ſent. diſt. 37. q. 2. art. 1.*

Idem locus explicatur ſupra *Sapientiæ cap. 11. v. 25. vid. lib. 2. ſent. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 3. de potentia art. 6. ſed contra. q. 1. de malo art. 1. ad primum. & art. 3. ad decimum. contra Gentiles lib. 3. cap. 71. 1. p. q. 49. art. 2. & 2. 2. q. 145. art. 3. ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap. 45. v. 15.*

Verè tu es Deus abſconditus.

Videtur quòd Chriſti natiuitas debuerit eſſe omnibus manifeſta; impletio enim promiſſioni debet reſpondere; ſed de promiſſione aduentus Chriſti dicitur *Deus manifeſtè veniet*; venit autem per carnis natiuitatem; ergo videtur quòd eius natiuitas debuerit eſſe toti mundo manifeſta. *Pſal. 49 v. 3.*

2. Dicitur, *Chriſtus in hunc mundum venit peccatores ſaluos facere*: ſed hoc non fit niſi inquantum eis gratia Chriſti manifeſtatur, ſecundùm illud, *apparuit gratia Dei & ſaluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, & piè, & iuſtè viuamus in hoc ſeculo,* *1. Tim. 1 v. 15.* *Tit. 2. v. 11. & 12.*

Digitized by Google

ergo videtur quòd Chriſti natiuitas debuerit omnibus eſſe manifeſta.

3. Deus ſuper omnia pronior eſt ad miſerandum, ſecundùm illud, *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius* (Pſ. 144 v. 9.): ſed in ſecundo aduentu, quo in iuſtitia iudicabit, veniet omnibus manifeſtus, ſecundùm illud, *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis* (Matt. 24. v. 27); ergo multò magis primus aduentus, quo natus eſt in mundo ſecundùm carnem, debuit eſſe omnibus manifeſtus.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Et, *quaſi abſconditus eſt vultus eius, & deſpectus.* (Eſa. 53. v. 3.)

Chriſti natiuitas non debuit eſſe omnibus manifeſta propter tria.

Dicendum quòd natiuitas Chriſti non debuit eſſe communiter omnibus manifeſta; *primò* quidem, quia per hoc impedita fuiſſet humana redemptio, quæ per crucem eius peracta eſt; quia, *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* (1. Cor. 2. v. 8.)

Secundò quia hoc diminuiſſet meritum fidei, per quam venerat homines iuſtificare, ſecundùm illud, *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti* (Rom. 3. v. 22.); ſi enim manifeſtis indiciis, Chriſto naſcente, eius natiuitas omnibus appareret, iam tolleretur ratio fidei, quæ *Eſt argumentum non apparentium*, vt dicitur. (Hebr. 11 v. 1.)

Tertiò, quia per hoc veniſſet in dubium veritas humanitatis ipſius. Vnde Aug. dicit, ſi nullas ex paruulo in iuuentutem mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet ſomnos; nonne opinionem confirmaret erroris; nec hominem verum vllo modo ſuſcepiſſe crederetur; & dum omnia mirabiliter faceret, auferret quod miſericorditer fecit.

Ad 1. R. quòd auctoritas illa intelligitur de aduentu Chriſti ad iudicium.

Ad 2. R. quòd de gratia Dei ſalutatoris erudiendi erant omnes homines ad ſalutem, non in principio natiuitatis eius; ſed poſtea tempore procedente, poſtquam operatus eſt ſalutem in medio terræ. Vnde poſt reſurrectionem ſuam dicit diſcipulis ſuis, *Euntes docete omnes gentes.* (Matt. 28 v. 19.)

Ad 3. R. quòd ad iudicium requiritur quòd auctoritas iudicis cognoſcatur: & propter hoc oporter quòd aduentus Chriſti ad iudicium ſit manifeſtus. Sed primus aduentus fuit ad omnium ſalutem quæ eſt per fidem, quæ quidem eſt de non apparentibus: & ideo primus Chriſti aduentus debuit eſſe occultus. 3. *p. q. 36. art.* 1.

Idem locus citatur ſupra *Pſalm. 49. v. 3. vid. lib. 4. ſent. diſt. 47. q. 1. art. 1. q. 3. ad primum. & contra Gentil. lib. 4. cap. 8.*

ESAIÆ. *Cap. 46. v. 31.*

Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem.

Explicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap. cap.* 17. *v.* 39.

ESAIÆ. *Cap. 47. v. 9.*

Venient tibi duo in die vna ſubitò, ſterilitas & viduitas.

Citatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 5. v. 23.*

Digitized by Google

889

ESAIÆ Cap. 47. v. 10.

Sapientia tua & ſcientia tua hæc, decepit te.

Explicatur infra *Hierem. cap. 10. v. 14.*

ESAIÆ. Cap. 48. v. 5.

Antequam venirent indicaui tibi:

Citatur *Contra Gentiles lib. 1. cap. 67.*

ESAIÆ. Cap. 48. v. 9.

Laude meâ infrenabo te.

Citatur ſupra *Prouerb. cap. 17. v. 3.*

ESAIÆ. Cap. 48. v. 16.

Nunc miſit me Dominus Deus & ſpiritus eius.

Filius mittitur à ſpiritu ſancto, vt patet *in textu*: filius autem non eſt à ſpiritu ſancto; ergo perſona diuina mittitur ab ea, à qua non eſt. *1. p. q. 43. art. 8. ſed contra. ſimile in quaſt. diſp. q. 10. de potentia art. 4. ad decimum quartum.*

ESAIÆ. Cap. 48. v. 22.

Non eſt pax impijs.

Concordia poteſt eſſe aliquorum impiorum in malo: *Sed non eſt pax impijs*, vt patet *in textu*: ergo pax non eſt idem quod concordia. *2. 2. q. 29. art. 1. ſed contra.*

ESAIÆ. Cap. 49. v. 4.

In vanum laboraui, ſine cauſa & vanè conſumpſi fortitudinem meam.

Explicatur ſupra *Pſalm. 4. v. 3.*

ESAIÆ Cap. 49. v. 6.

Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob.

Citatur ſupra *Eccli. cap. 17. v. 14.*

ESAIÆ. Cap. 49. v. 6.

Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.

Arguitur, Chriſtus non prædicauit Gentilibus. R. ad argum. quòd Chriſtus fuit in lucem & ſalutem gentium per diſcipulos ſuos, quos ad prædicandum Gentibus miſit. *3. p. q. 42. art. 1. ad primum. vid. præfation. in catenam ſuper Marci Euangelium.*

ESAIÆ. Cap. 49. v. 10.

Non eſurient, neque ſitient.

Explicatur ſupra *Eccli. cap. 30. v. 25. vid. lib. 3. contra Gentiles cap. 63.*

ESAIÆ. Cap. 49. v. 18.

His omnibus velut ornamento veſtieris.

Veſtium nomine iuſtos (quos ſibi adiunget Chriſtus in beatitudine) ſignificat, vt patet in textu. *3. p. q. 45. art. 2. ad tertium.*

Digitized by Google

ESAIÆ. *Cap.* 50. *v.* 1.

Ecce iniquitatibus veſtris venundati eſtis.

ARguitur, emptor dat pretium venditori: ſed diabolus emit hominem, vt patet *in textu*; ergo peccatum in homine cauſatur à diabolo.

Ad argum. R. quòd diabolus dat homini peccatum per modum perſuadentis. *In quaſt. diſp. q.* 3. *de malo art.* 3. *ad decimum tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 50. *v.* 4.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo.

EXplicatur de Chriſto. *Præfat. in catenam ſuper Luca Euangelium.*

Idem locus explicatur infra *Lib.* 3. *Regum cap.* 19. *v.* 11. *& lib.* 2 *paralipom. cap.* 1. *v.* 12.

ESAIÆ. *Cap.* 51. *v.* 3.

Gaudium & lætitia inuenietur in ea

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 83. *v.* 3.

ESAIÆ. *Cap.* 51. *v.* 6.

Salus mea in ſempiternum erit.

ARguitur, ſalus nobis per Chriſtum collata eſt ſempiterna, vt patet *in textu*: ſed Chriſtus non aſcendit in cœlum, vt ibi in ſempiternum eſſet; dicitur enim *Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum, ita veniet*; ergo videtur quòd eius aſcenſio non ſit cauſa noſtræ ſalutis. *Act.* 1. *v.* 11.

Sed contra eſt quod ipſe dicit, *Expedit vobis vt ego vadam*, id eſt, vt recedam à vobis per aſcenſionem. *Ioan.* 16 *v.* 7.

Dicendum quòd aſcenſio Chriſti eſt cauſa noſtræ ſalutis dupliciter vno modo ex parte noſtra; alio modo ex parte ipſius. Ex parte quidem noſtra, inquantum per Chriſti aſcenſionem mens noſtra mouetur in ipſum; quia per eius aſcenſionem primò datur locus fidei, ſecundò ſpei, tertio charitati. *Aſcéſio Chriſti eſt cauſa noſtræ ſalutis duplicitec.*

Quartò etiam per hoc reuerentia noſtra augetur ad ipſum, dum jam non exiſtimamus eum ſicut hominem terrenum, ſed ſicut Deum cœleſtem.

Ex parte autem ſua, quantùm ad ea quæ ipſe fecit, aſcendens propter noſtram ſalutem. Primò quidem, viam nobis præparauit aſcendendi in cœlum, ſecundùm quod ipſe dicit, *Vado vobis parare locum*. Et, *aſcendit pandens iter ante eos.* *Ioan.* 14 *v.* 2. *Michea* 2. *v.* 13.

Quia enim ipſe eſt caput noſtrum, oportet illuc ſequi membra quo caput præceſſit. Vnde dicitur, *Vt vbi ego ſum, & vos ſitis*. Et in hujus ſignum animas ſanctorum, quas de inferno eduxerat, in cœlum traduxit, ſecundùm illud, *Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem*; quia ſcilicet eos qui fuerant à diabolo captiuati, ſecum duxit in cœlum, quaſi in locum peregrinum humanæ naturæ, bonâ captione captiuos, vt pote per victoriam, acquiſitos. *Ioan.* 14 *v.* 3. *Pſal.* 67 *v.* 19.

Secundò, quia ſicut Pontifex in veteri Teſtamento intrabat ſanctuarium, vt aſſiſteret Deo pro

Digitized by Google

890

populo; ita & Chriſtus intrauit cœlum, *Ad interpellandum pro nobis*, vt dicitur: ipſa enim repræſentatio ſui ex natura humana, quam in cœlum intulit, eſt quædam interpellatio pro nobis; vt ex quo Deus humanam naturam ſic exaltauit in Chriſto, etiam eorum miſereatur pro quibus filius Dei humanam naturam aſſumpſit. Hebr. 7. v. 25.

Tertiò, vt in cœlorum ſede quaſi Deus & Dominus conſtitutus, exinde diuina hominibus mitteret; ſecundùm illud, *Aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia*, ſcilicet donis ſuis. Ephe. 4. v. 10.

Nota quòd aſcenſio Chriſti eſt cauſa noſtræ ſalutis, non per modum meriti, ſed per modum efficientiæ, ſicut de reſurrectione dictum eſt.

Nota ſecundò quòd paſſio Chriſti eſt cauſa noſtræ aſcenſionis in cœlum propriè loquendo per remotionem peccati prohibentis, & per modum meriti; vnde dicitur, *Habemus fiduciam in introitu ſanctorum per ſanguinem ipſius.* Hebr. 10 v. 19.

Aſcenſio autem Chriſti eſt directè cauſa aſcenſionis noſtræ, quaſi inchoando ipſam in capite noſtro, cui oportet membra conjungi.

Ad argum. R. quòd Chriſtus ſemel aſcendens in cœlum, adeptus eſt ſibi & nobis in perpetuum jus & dignitatem manſionis cœleſtis; cui tamen dignitati non derogat, ſi ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quandoque corporaliter ad terram deſcendat; vel vt oſtendat ſe omnibus, ſicut in iudicio; vel vt oſtendat ſe alicui ſpecialiter, *Sicut Paulo*, vt habetur. Act. 9. v. 4.

Et ne quis credat hoc factum fuiſſe, non Chriſto ibi corporaliter præſente, ſed aliqualiter apparente. Contrarium apparet per hoc quod ipſe Apoſtolus dicit ad confirmandam reſurrectionis fidem, *Nouiſſimè omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Quæ quidem viſio veritatem reſurrectionis non probaret, niſi verum Chriſti corpus viſum fuiſſet ab eo. 3 p. q. 57. art. 6. 1 Cor. 15 v. 8.

ESAIÆ, Cap. 51. v. 9.

Conſurge, induere fortitudinem.

Arguitur, Chriſtus per ſuam incarnationem votis antiquorum patrum ſatisfecit; quod enim dicitur *in textu*, eſt ad exprimendum deſiderium ſanctorum patrum; ergo non debuit venire indutus infirmitate carnis.

2. Chriſtus venerat ad hoc quòd homines in diuinam cognitionem adduceret: ſed per infirmitates magis à ſui cognitione abducebat, vt dicitur, *Vidimus eum deſpectum*; & ſequitur, *Vnde nec reputauimus eum*; ergo non debuit hujuſmodi infirmitates aſſumere. Eſai 53 v. 2.

Sed contra. *In eo quo paſſus eſt, & tentatus, potens eſt & his qui tentantur auxiliari*: ſed Chriſtus ad auxiliandum hominibus venerat; ergo debuit eorum defectus ſuſcipere. Hebr. 2. v. 18.

Præterea, Chriſtus venerat ad redimendum genus humanum: ſed opus redemptionis congruè compleri non poterat niſi per paſſionem; ergo debuit defectus aſſumere ſecundùm quos paſſibilis fuit.

Præterea, Chriſtus ad hoc venerat, vt eſſet mediator inter nos

& Deum; ergo debuit communicare cum vtroque: cum Deo communicauit in iuſtitia; ergo nobiſcum debuit communicare in pœna.

Quomodo Chriſtus mediator Dei & hominum.

Dicendum quòd Chriſtus ad hoc venit, vt humanum genus in Deum reduceret, à quo per peccatum abductum erat. Et ideo ſicut mediator ea quæ Dei ſunt, in nos transfudit, ſcilicet gratiam & iuſtitiam: & ea quæ noſtra ſunt quodammodo in Deum.

Non autem noſtra, quæ à nobis tantùm ſunt, non à Deo, ſcilicet peccata; quia per hæc ad Deum non ordinamur, ſed magis deordinamur, ab eo: ſed ea quæ à Deo in nobis ſunt, quæ omnia in ſe ordinata ſunt, & ad ipſum nos ordinantia.

Cur Chriſtus aſſumpſit defectus noſtros.

Et ideo ea quæ fecit in nobis Deus, transtulit in Deum: non quidem in naturam diuinam, ſed in perſonam ea aſſumendo.

Fecit autem Deus in nobis naturam, & perfectiones naturæ, & defectus pænales, & etiam quoſdam naturales; ſicut indigentiam cibi; quam etiam homo in ſtatu innocentiæ habuiſſet.

Et ideo hos defectus ſimul cum natura in ſua perſona ſuſcepit; hæc enim in ſua perſona ſuſcipere, eſt ipſa Deo repræſentare, ad placandum ipſum pro nobis.

Ad 1. R. quòd deſiderium ſanctorum patrum fuit, vt veniret in fortitudine ſpirituali, ſcilicet gratiæ, & ſcientiæ, & virtutis; quæ per hos defectus, quos Chriſtus aſſumpſit, non impeditur.

Ad argum. R. quòd Chriſtus non venerat manifeſtare ſe ſecundùm humanam naturam, ſed ſecundùm diuinam; vnde dixit, *Non quæro gloriam meam, ſed eius qui me miſit.* Gloriam autem Dei magis clarificauit per aſſumptam infirmitatem, inquantum inuentum eſt quòd, *Id quod eſt infirmius Dei, eſt potentius hominibus. lib. 3. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 1. ſimile 3. p. q. 14. art. 1.* Ioan 7. v. 18. Ioan 18 v. 50. 1. Cor 1. v. 25.

ESAIÆ. *Cap. 51. v. 11.*

Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.

SI peccator neceſſe habet peccare, hæc neceſſitas ei non competit niſi ratione peccati: poteſt autem de pecato exire; alias quod eſt *in textu* peccatoribus non præciperetur; ergo poteſt peccator non peccare. *In quæſt. diſp. q. 24. de veri. art. 12 ſed contra art. 11.*

ESAIÆ. *Cap. 52. v. 13.*

Exaltabitur & eleuabitur, & ſublimis erit valde.

ARguitur, ſicut cognitio veritatis eſt proprium Deo, ita & ſublimitas, ſecundùm illud, *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus &c.* Sed Chriſtus ſecundùm quod homo habuit cognitionem omnis veritatis, non ex aliquo merito præcedente, ſed ex ipſa vnione Dei & hominis, ſecundùm illud, *Vidimus gloriam eius &c.* ergo neque exaltationem habuit ex merito paſſionis, ſed ex ſola vnione. Pſ. 112. v. 4. Ioan. 1. v. 14.

Dicendum quòd meritum importat quandam æqualitatem iuſtitiæ: vnde & Apoſtolus dicit quòd, *Ei qui operatur, merces imputatur*

891

Rom. 4. v. 4. *putetur ſecundùm debitum.*

Cùm autem aliquis ex ſua iniuſta voluntate ſibi attribuit plusquam ſibi debeatur, iuſtum eſt vt diminuatur etiam quantùm ad id quod ſibi debebatur; ſicut, *Cùm furatur quis vnam ouem, reddet quatuor*, vt dicitur. Et hoc dicitur mereri, inquantum per hoc punitur eius iniqua voluntas. Ex. 22. v. 1.

Ita etiam cùm aliquis ſibi ex iuſta voluntate ſubtrahit quod debebat habere, meretur vt ſibi ampliùs ſuperaddatur, quaſi merces iuſtæ voluntatis. Et inde eſt quòd ſicut dicitur, *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Luca. 14 v. 11.

Chriſtus autem in ſua paſſione ſeipſum humiliauit infra ſuam dignitatem, quantùm ad quatuor; *primò* quidem, quantùm ad paſſionem & mortem, cujus debitor non erat. *Secundò*, quantùm ad locum; quia corpus eius poſitum eſt in ſepulchro, & anima in inferno. *Tertiò*, quantùm ad confuſionem & opprobria quæ ſuſtinuit. Chriſtus ſe humiliauit quantũ ad quatuor.

Quartò, quantùm ad hoc quod eſt traditus humanæ poteſtati, ſecundùm quòd ipſe dicit Pilato, *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* Et ideo per ſuam paſſionem meruit exaltationem quantùm ad quatuor. Ioan. 19. v. 11. Chriſtus per paſſionem ſuã quatuor modis exaltatus.

Primò quidem, quantùm ad reſurrectionem glorioſam; vnde dicitur, *Tu cognouiſti ſeſſionem meam*, Id eſt, humilitatem meæ paſſionis, *Et reſurrectionem meam.* Pſ. 138. v. 1.

Secundò, quantùm ad aſcenſionem in cœlum, vnde dicitur, *Deſcendit primùm in inferiores partes terræ: qui autem deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos.* Eph. 4. v. 9.

Tertiò, quantùm ad conſeſſum paternæ dexteræ, & manifeſtationem diuinitatis ipſius, vt patet *in textu.*

Et dicitur, *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*; vt ſcilicet ab omnibus nominetur Deus, & omnes ei reuerentiam exhibeant ſicut Deo. Phil. 2. v. 8.

Et hoc eſt quod ſubditur, *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Quartò, quantùm ad iudiciariam poteſtatem; dicitur enim, *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam iudiciumque recipies.* Iob. 36. v. 17.

Ad argum. R. quòd principium merendi eſt ex parte animæ: corpus autem eſt inſtrumentum meritorij actus. Et ideo perfectio animæ Chriſti, quæ fuit merendi principium, non debuit in eo acquiri per meritum, ſicut perfectio corporis, quod fuit paſſionis ſubjectum, & per hoc fuit ipſius meriti inſtrumentum. 3. *p. q.* 49. *art.* 6.

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm.* 2. *v.* 1.

ESAIÆ. *Cap.* 53. *v.* 1.

Quis credidit auditui noſtro?

ARguitur nullus peccat in eo quod vitare non poteſt; quia omne peccatum eſt voluntarium: ſed non eſt in poteſtate hominis quòd infidelitatem vitet, quam vitare non poteſt niſi fidem habendo; dicit enim Apoſtolus, *Quomodo credent ei, quem non audie-* Rom. 10. v. 14.

Digitized by Google

runt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Ergo infidelitas non videtur eſſe peccatum.

Infidelitas duplex. Dicendum quòd infidelitas dupliciter accipi poteſt: vno modo ſecundùm puram negationem; vt dicatur infidelis ex hoc ſolo quòd non habet fidem.

Alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundùm contrarietatem ad fidem, qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, vt patet *in textu*.

Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum.

Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis qui nihil audierunt de fide; non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ; quia talis ignorantia diuinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt.

Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.

Ad argum. R. quod ratio illa procedit de infidelitate, ſecundùm quod importat ſimplicem negationem. 2. 2. *q. 10. art. 1.*

ESAIÆ. *Cap. 53. v. 2. & 3.*

Vidimus eum, & non erat aſpectus &c.

Citatur ſupra *Eſaya cap. 45 v. 15. & cap. 51. v. 9. vid. contra Gentiles lib. 4. cap. 8. 3. p. q. 14. art. 1. in corpore. Et q. 43. art. 1. ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap. 53. v. 4.*

Verè dolores noſtros ipſe tulit.

Ad veritatem doloris non requiritur niſi læſio & ſenſus læſionis: ſed corpus Chriſti læſum fuit, & ſenſum læſionis habuit; ergo fuit in eo verus dolor. *Lib. 3. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 3. ſed contra. ſimile 3. p. q. 15. art. 5.*

Verè languores noſtros ipſe tulit. Videtur quòd non fuerit conueniens Chriſtum ad infernum deſcendere; dicit enim Aug. nec ipſos quidem inferos vſpiam ſcripturarum in bono appellatos potui reperire: ſed anima Chriſti non deſcendit ad aliquod malum; quia nec animæ iuſtorum ad aliquod malum deſcendunt; ergo.

2. Deſcendere ad inferos non poteſt Chriſto conuenire ſecundùm diuinam naturam, quæ eſt omnino immobilis; ſed ſolùm conuenire poteſt ei ſecundùm naturam aſſumptam.

Ea verò quæ Chriſtus fecit, vel paſſus eſt in natura aſſumpta, ordinantur ad humanam ſalutem, ad quam non videtur neceſſarium fuiſſe quòd Chriſtus deſcenderit ad inferos; quia per paſſionem ſuam quam in hoc mundo ſuſtinuit, nos liberauit à culpa & pœna; non igitur fuit conueniens quòd Chriſtus ad infernum deſcenderet.

3. Per mortem Chriſti ſeparata eſt anima à corpore eius, quodquidem in ſepulchro poſitum fuit. Non autem videtur quòd ſecundùm animam ſolam ad Infernum deſcenderit; quia anima cùm ſit incorporea, non videtur quòd lo-

Digitized by Google

892

caliter poſſit moueri, hoc enim eſt corporum: deſcenſus autem motum corporalem importat.

Dicendum quòd conueniens fuit Chriſtum ad infernum deſcendere: *primò* quidem, quia ipſe venerat pœnam noſtram portare, vt nos à pœna eriperet, vt patet *in textu*.

Chriſtus deſcendit ad inferos propter tria. Ex peccato autem homo incurrerat, nõ ſolùm mortem corporis, ſed etiam deſcenſum ad inferos. Et ideo ſicut fuit conueniens eum mori, vt nos liberaret à morte; ita conueniens fuit eum deſcendere ad inferos, vt nos à deſcenſu ad inferos liberaret. Vnde dicitur, *Ero mors tua, ô mors, ero morſus tuus infernè.* Oſea. 14 v. 14.

Secundò, quia conueniens erat vt victo diabolo per paſſionem vinctos eius eriperet, qui detinebantur in inferno, ſecundùm illud, *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.* Zach. 9. v. 11. Et dicitur, *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter.* Coloſſ. 2. v. 15.

Tertiò, vt ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra viuendo & moriendo; ita etiam poteſtatem ſuam oſtenderet in inferno ipſum viſitando & illuminando.

Ad 1. R. quòd nomen inferorum ſonat in malum pœnæ, non autem in malum culpæ. Vnde decuit Chriſtum in infernum deſcendere, non tanquam ipſe eſſet debitor pœnæ, ſed vt eos qui erant pœnæ obnoxij liberaret.

Ad 2. R. quòd paſſio Chriſti fuit quaſi quædam cauſa vniuerſalis humanæ ſalutis tam viuorum quàm mortuorum. Cauſa autem vniuerſalis applicatur ad ſingulares effectus per aliquod ſpeciale. Vnde ſicut virtus paſſionis Chriſti applicatur viuentibus per ſacramenta configurantia nos paſſioni Chriſti; ita etiam applicata eſt mortuis per deſcenſum Chriſti ad inferos. Propter quod ſignanter dicitur, quòd, *Eduxit vinctos de lacu in ſanguine Teſtamenti ſui*, Zach. 9. v. 11. id eſt, per virtutem paſſionis ſuæ.

Ad 3. R. quòd anima Chriſti non deſcendit ad inferos eo genere motus quo corpora mouentur; ſed eo genere motus quo Angeli mouentur. 3. p. q. 52. art. 1.

Verè dolores noſtros ipſe tulit. Eccl. 11. v. 14. Videtur quòd peccatoribus baptizatis ſint opera ſatisfactoria imponenda; hoc enim ad iuſtitiam Dei pertinere videtur, vt pro quolibet peccato aliquis puniatur: ſecundùm illud, *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium*: ſed opera ſatisfactoria imponuntur peccatoribus in pœnam præteritorum peccatorum; ergo videtur quòd peccatoribus baptizatis ſint opera ſatisfactoria imponenda.

2. Per opera ſatisfactoria excitantur peccatores de nouo conuerſi ad iuſtitiam, & ſubtrahuntur eis occaſiones peccandi; nam ſatisfacere eſt peccatorum cauſas exſcindere, & peccatis aditum non indulgere: ſed hoc maximè eſt neceſſarium nuper baptizatis; ergo.

3. Non minùs debitum eſt vt homo Deo ſatisfaciat, quàm proximo: ſed nuper baptizatis injungendum eſt vt ſatisfaciant proximis, ſi eos læſerint, ergo etiam eſt eis injungendum vt Deo ſatisfaciant per opera.

Dicendum quòd ſicut Apoſtolus dicit, *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius bap-* Rom. 6. v. 3. 4.

ptizati ſumus ; conſepulti enim ſumus ei per baptiſmum in mortem, ita ſcilcet quòd homo per baptiſmum incorporatur ipſi morti Chriſti.

Manifeſtum eſt autem quòd mors Chriſti ſatisfactoria fuit ſuf-
1. Ioan. ficienter, *Pro peccatis, non ſolùm*
2. v. 2. *noſtris, ſed etiam prototius mundi*, vt dicitur.

Pœnitentia non eſt injungenda nouiter baptizatis. Et ideo ei qui baptizatur pro quibuſcumque peccatis, non eſt aliqua ſatisfactio injungenda; hoc enim eſſet injuriam facere paſſioni & morti Chriſti, quaſi ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum.

Ad 1. R. quòd ad hoc baptiſmus valet, vt baptizati Chriſto incorporentur vt membra eius. Vnde ipſa pœna Chriſti fuit ſatisfactoria pro peccatis baptizatorum: ſicut & pœna vnius membri poteſt eſſe ſatisfactoria pro peccato alterius membri, vt patet *in textu*.

Ad 2 R quòd ſuper baptizati exercitandi ſunt ad iuſtitiam, non per opera pœnalia ſed per opera facilia; vt quaſi quodam lacte facilis exercitij promoueantur ad perfectiora.

Vnde & Dominus diſcipulos
Matt 9. ſuos de nouo conuerſos, *A ieiunio*
v. 15. *excuſauit*, vt patet. Et hoc eſt quod
1. Petr. 2 dicitur, *Sicut modo geniti infantes*
v. 2. *lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem*.

Ad 3. R. quòd reſtituere malè ablata proximis, & ſatisfacere eis de iniurijs illatis, eſt ceſſare à peccando; quia hoc ipſum quod eſt detinere aliena, & proximum læſum non placare eſt peccatum.

Et ideo peccatoribus baptizatis injungendum eſt quòd ſatisfaciant proximis; ſicut & quòd deſiſtant à peccato. Non eſt autem eis injungendum quòd pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur. 3. p. q. 68. art. 5.

Verè dolores noſtros ipſe portauit. Arguitur, major fuit gratia in Chriſto quàm in tribus pueris: ſed
Tres pueri virtute gratiæ in fornace Dan. 3.
ſunt conſeruati illæſi ab ignis vſtione, v. 24.
vt patet; ergo multò fortiùs corpus Chriſti immune fuit propter abundantiam gratiæ à paſſionis dolore.

2. Chriſtus perfectiùs contemplabatur Deum quàm Moyſes: ſed Moyſes ex vehementia diuinæ contemplationis non ſenſit afflictionem famis vel ſitis, cùm 40.
diebus & noctibus à cibo abſtinuit, Ex 34.
vt habetur; ergo multò fortiùs v. 28.
Chriſtus dolorem paſſionis non ſuſtinuit.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Item, quantò complexio eſt temperatior, tantò ex læſione major dolor percipitur: ſed Chriſtus creditur habuiſſe temperatiſſimam complexionem; ergo ex læſione corporis maximum dolorem ſenſit.

Dicendum, quòd ad dolorem Ad dolorē duo concurrunt.
duò concurrunt, ſcilicet læſio ex parte corporis, & ſenſus ex parte animæ: in Chriſto non fuiſſe verum dolorem, eſt alterum prædictorum remouere, vel vtrumque.

Læſio autem corporis de Chriſto negari non poteſt, niſi negetur veram carnem habuiſſe, ſicut Manichæi dicunt.

Senſus autem læſionis hujus negari non poteſt, niſi dicatur quòd non habuit animam ſenſitiuam, ſed ſolùm corpus & diuinitatem,

893

vt Eunomius dicebat.

Vtrumqne autem horum eſt erroneum, & ideo erroneum eſt dicere verum dolorem in Chriſto non fuiſſe.

Ad 1. R. quòd pueri fuerunt immunes à læſione ignis, non virtute alicujus gratiæ creatæ, cùm adhuc corpora eorum non eſſent impaſſibilia, ſed ſolâ virtute Dei miraculosè eos protegente, per quam quidem potuiſſet & corpus Chriſti immune ab omni læſione ſeruari; niſi quia propter redemptionem humani generis decebat eum pati.

Ad 2. R. quòd ex naturali colligantia, qua potentiæ animæ in vna eſſentia radicantur, contingit quòd dum vna potentia intenditur in ſuo actu, reliqua in ſuo actu impeditur, & quod ex potentijs fit mutuus refluxus in inuicem.

Et ex hoc contigit in Moyſe, quòd per vehementiam contemplationis, etiam inferiores vires abſorbebantur, ne afflictionem famis ſentiret.

Sed hoc in Chriſto locum non habet; quia Verbum quod ei erat vnitum permittebat vnamquanque potentiam pati & operari quod erat ei proprium, ſine hoc quòd de vna fieret impedimentum in altera, vel refluxus.

Et hac ratione de eo ſingulariter fuit verum, quòd erat ſimul viator & comprehenſor. Et propter hoc nec contemplatio, aut vehemens delectatio, quæ erat in ſuperiori parte ex fruitione, impediebat ſenſum læſionis, ſiue dolorem; nec è conuerſo. *Lib. 3. ſent. ad Annibald. diſt.* 15. *art.* 4.

Idem locus citatur *Lib. 3. ſent. diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ſed contra* & 3. *p. q.* 49. *art.* 3. *ſed contra.*

ESAIÆ. Cap. 53. v. 6.

Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum.

Citatur ſupra *Pſalm.* 21. *v.* 2. & *Eccl. cap.* 34. *v.* 33.

ESAIÆ. Cap. 53. v. 7.

Oblatus eſt; quia ipſe voluit.

Arguitur, dicitur quòd, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,* *Gal.* 5. *v.* 17. *& ſpiritus aduerſus carnem*: eſt igitur contrarietas voluntatum quando ſpiritus vnum concupiſcit, & caro aliud: ſed hoc fuit in Chriſto; nam per voluntatem charitatis quam ſpiritus ſanctus in eius mente faciebat, volebat paſſionem, vt patet *in textu*: ſecundùm autem carnem, paſſionem refugiebat; ergo erat in eo contrarietas voluntatum.

Ad argum. R. quòd in nobis per concupiſcentiam carnis impeditur aut retardatur concupiſcentia ſpiritus; quod in Chriſto non fuit. Et ideo in Chriſto non fuit contrarietas carnis ad ſpiritum, ſicut in nobis. 3. *p. q.* 18. *art.* 6. *ad ſecundum.*

Oblatus eſt; quia ipſe voluit. Videtur quòd Chriſtus non fuerit ſimul ſacerdos & hoſtia; ſacerdotis enim eſt hoſtiam occidere: ſed Chriſtus non ſeipſum occidit; ergo ipſe nec fuit ſimul Sacerdos & hoſtia.

2. Sacerdotium Chriſti magis eſt ſimile ſacerdotio Iudæorum, quod erat à Deo inſtitutum; quàm ſacerdotio Gentilium, quo dæmo-

Digitized by Google

nes colebantur.

In veteri autem lege nunquam homo in ſacrificium offerebatur; quod maximè reprehenditur in ſacrificijs Gentilium, ſecundùm illud, *Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum &c.* Ergo in ſacerdotio Chriſti non debuit eſſe ipſe homo Chriſtus hoſtia. (Pſ. 105. v. 38.)

3. Omnis hoſtia ex hoc quòd Deo offertur, Deo ſanctificatur: ſed ipſa Chriſti humanitas à principio fuit ſanctificata & Deo conjuncta; ergo non conuenienter poteſt dici quòd Chriſtus ſecundùm quod homo, fuerit hoſtia.

Sed contra eſt quod Apoſtolus dicit, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* (Eph. 5. v. 2.)

Dicendum quòd omne ſacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Inuiſibile autem ſacrificium eſt, quo homo Deo ſpiritum ſuum offert, ſecundùm illud, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Et ideo omne illud quod Deo exhibetur, ad hoc quod ſpiritus hominis feratur in Deum, poteſt dici ſacrificium. (Pſal. 50 v. 19.)

(Indiget homo ſacrificio propter tria.) Indiget igitur homo ſacrificio propter tria: vno quidem modo ad remiſſionem peccati, per quod à Deo auertitur: & ideo Apoſtolus dicit quòd, *Ad ſacerdotem pertinet, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* (Hebr. 5. v. 1.)

Secundò, vt homo in ſtatu gratiæ conſeruetur, ſemper Deo inhærens, in quo eius pax & ſalus conſiſtit. Vnde & in veteri lege immolabatur hoſtia pacifica pro offerentium ſalute, vt habetur. (Leu. 3. v. 1.)

Tertiò, ad hoc quod ſpiritus hominis perfectè Deo vniatur, quod maximè erit in gloria. Vnde & in veteri lege offerebatur holocauſtum, quaſi totum incenſum, vt dicitur. (Leu. 1. v. 3.)

Hæc autem per humanitatem Chriſti nobis prouenerunt. Nam primò quidem noſtra peccata deleta ſunt, ſecundùm illud, *Traditus eſt propter delicta noſtra.* (Rom. 4. v. 25.)

Secundò, gratiam nos ſaluantem per ipſum accepimus, ſecundùm illud, *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* (Hebr. 5. v. 9.)

Tertiò, per ipſum perfectionem gloriæ adepti ſumus, *Habemus fiduciam per ſanguinem eius in introitum ſanctorum,* ſcilicet in gloriam cœleſtem. (Hebr. 10 v. 19.)

(Chriſtus fuit hoſtia triplex.) Et ideo ipſe Chriſtus, inquantùm homo, non ſolùm fuit ſacerdos, ſed etiam hoſtia perfecta; ſimul exiſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtum.

Ad 1. R. quòd Chriſtus non ſe occidit, ſed ſeipſum voluntariè morti expoſuit, vt pater in textu; & ideo dicitur ſeipſum obtuliſſe.

Ad 2. R. quòd hominis Chriſti occiſio poteſt ad duplicem voluntatem comparari: vno modo, ad voluntatem occidentium; & ſic non habet rationem hoſtiæ; non enim dicuntur occiſores Chriſti hoſtiam Deo obtuliſſe, ſed grauiter deliquiſſe.

Et hujus peccati ſimilitudinem gerebant impia Gentilium ſacrificia quibus homines idolis immolabant.

Alio modo poteſt conſiderari occiſio Chriſti, per comparatio-

894

nem ad voluntatem patientis, qui voluntariè ſe obtulit paſſioni. Et ex hac parte habet rationem hoſtiæ, in quo non conuenit cum ſacrificijs Gentilium.

Ad 3. R. quòd ſanctitas humanitatis Christi à principio non impedit, quin ipſamet humana natura, cùm in paſſione oblata eſt Deo, ſanctificata nouo modo fuerit, ſcilicet vt hoſtia actualiter tunc exhibita. Acquiſiuit enim actualem hoſtiæ ſatisfactionem tunc ex antiqua charitate & gratiâ vnionis ſanctificante eandem abſolutè. *3. p. q. 22. art. 2.*

Oblatus eſt; quia ipſe voluit. Videtur quòd non fuerit neceſſarium Chriſtum pati pro humani generis liberatione; humanum enim genus liberari non poterat niſi à Deo, ſecundùm illud, *Nunquid non ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque me?* Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me: in Deum autem non cadit aliqua neceſſitas; quia hoc repugnaret omnipotentiæ ipſius; ergo non fuit neceſſarium Chriſtum pati.

Eſai. 45 v. 5.

2. Neceſſarium voluntario opponitur: ſed Chriſtus propriâ voluntate eſt paſſus, vt patet *in textu:* non ergo neceſſarium fuit eam pati.

Dicendum quòd neceſſarium multipliciter dicitur: vno quidem modo, quod ſecundùm ſui naturam impoſſibile eſt aliter ſe habere; & ſic manifeſtum eſt quòd non fuit neceſſarium Chriſtum pati, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis.

Neceſſarium triplex.

Alio modo dicitur aliquid neceſſarium ex aliquo exteriori; quod quidem ſi ſit cauſa efficiens vel mouens, facit neceſſitatem coactionis; vt pote cùm aliquis non poteſt ire propter violentiam detinentis ipſum.

Si verò illud exterius, quod neceſſitatem inducit, ſit finis; dicitur aliquid neceſſarium ex ſuppoſitione finis; quando ſcilicet finis aliquis, aut nullo modo poteſt eſſe, aut non poteſt eſſe conuenienter, niſi tali fine præſuppoſito.

Non ergo fuit Chriſtum neceſſariũ pati neceſſitate coactionis, neque ex parte Dei, qui Chriſtum diffiniuit pati: neque etiam ex parte ipſius Chriſti, qui voluntariè paſſus eſt.

Fuit autem neceſſarium neceſſitate finis; quiquidem poteſt tripliciter intelligi. Primò quidem, ex parte noſtra, qui per eius paſſionem liberati ſumus; ſecundùm illud, *Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* *Ioan. 3 v. 14. & 15.*

Secundò, ex parte ipſius Chriſti, qui per humilitatem paſſionis meruit gloriam exaltationis. Et ad hoc pertinet quod dicitur, *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam?* *Luca. vlt. v*

Tertiò, ex parte Dei, cujus diffinitionem circa paſſionem Chriſti prænuntiatam in ſcripturis, & præfiguratam in obſeruantia veteris Teſtamenti, oportebat impleri.

Et hoc eſt quod dicitur, *Filius hominis ſecundùm quod diffinitum eſt vadit.* Et, *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum; quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & pſalmis de me; quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis.* *Luca 22 v. 22. Luca vlt. v. 44.*

Digitized by Google

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit de neceſſitate coactionis ex parte Dei.

Ad 2. R quòd ratio illa procedit de neceſſitate coactionis ex parte hominis Chriſti. 3. *p. q.* 46. *art.* 1.

Oblatus eſt; quia ipſe voluit. Voluntas moriendi non excludit naturalem moriendi neceſſitatem in Chriſto; ſicut & in multis ſanctis martyribus hoc apparet. *Lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 16. *art.* 2. *ad primum. ſimile lib.* 3. *ſent. diſt.* 16. *q.* 1. *art.* 2 *ad ſecundum.*

Oblatus eſt; quia ipſe voluit. Videtur quòd Chriſtus non potuerit per paſſionem mereri; meriti enim principium eſt in patiente; quia eſt voluntarium, cujus principium eſt intra: ſed principium paſſionis non eſt in patiente, ſed in agente; ergo Chriſtus per paſſionem non meruit.

2. Meritum eſt facere de indebito debitum, vel de minùs debito magis debitum: ſed nihil Chriſto poſt paſſionem fuit de nouo debitum, aut magis debitum; ergo non meruit patiendo.

Sed contra, actibus virtutum meremur: ſed Chriſtus ex charitate, quæ eſt maxima virtus, paſſus
Ioan. 15 v. 13. eſt, *Maiorem charitatem nemo habet. &c.* ergo ipſe per paſſionem ſuam meruit.

Chriſtus per paſſionem ſuã meruit. Dicendum quòd actus quo quis meretur, eſt ille cujus agens eſt Dominus, & qui eſt gratiâ informatus; quia voluntas informata charitate eſt principium meriti; & ideo omni tali actu Chriſtus merebatur.

Cùm igitur paſſionem ſuam voluntariè ſuſtinuerit, vt patet *in textu*, & voluntas hæc charitate fuerit informata; non eſt dubium quòd per paſſionem ſuam meruit.

Ad 1. R. quòd paſſio inquantum paſſio, non eſt meritoria; quia principium ſic eius eſt extra: ſed meritoria eſt, inquantum eſt accepta per voluntatem: ſic enim eſt voluntaria, & principium eius eſt intra.

Acceptatur autem à voluntate dupliciter, vel ſicut voluntarium abſolutè, ſicut in Chriſto qui ſe voluntariè paſſioni obtulit, vt noſtræ redemptionis opus expleret; vel ſicut voluntarium mixtum, ſicut quando aliquis, etſi vellet non pati, tamen magis vult ſuſtinere paſſionem, quàm quod aliquid contra Deum faciat: & ſic etiam contingit paſſione mereri.

Ad 2. R. quòd inſufficiens eſt diuiſio; nam dicitur tertio modo quis mereri, quando facit de debito vno modo, vel vnâ ratione, debitum alio modo. Sicut puer baptizatus facit ſibi debitum regnum cœlorum, cùm peruenit ad perfectam ætatem per actum proprium, quod priùs erat ei debitum alio modo, ſcilicet ratione habitus: & ſic Chriſtus per paſſionem ſibi meruit.

Nota quòd quamuis meritum ſit in ratione completiuè & cauſaliter, tamen in alijs viribus, verbi gratiâ, in corpore poteſt eſſe materialiter. *Lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 18. *art.* 4.

Idem locus explicatur infra *Iob. cap.* 36. *v.* 6. *Pſalm.* 21. *v.* 2. *&* *Prouerbior. cap.* 12. *v.* 10. *vid.* 3. *p. q.* 14. *art.* 2. *ad primum.*

ESAIÆ

Digitized by Google

895

ESAIÆ. *Cap.* 53. *v.* 8.

Generationem eius quis enarrabit.

ARguitur, dicitur quòd *Chriſtus eſt rex pacis ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque numerum dierum, neque finem vitæ habens*; quæquidem conueniunt ſoli filio Dei; ergo non debet dici Chriſtus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedec, tanquam cujuſdam alterius, ſed ſecundùm ordinem ſuijpſius.

Hebr. 7. v. 3.

Ad argum. R. quòd Melchiſedec dictus eſt ſine patre, & ſine matre &c. Non quia iſta non habuerit; ſed quia in ſcriptura ſacra iſta de eo non leguntur. Et per hoc ipſum (vt Apoſtolus ibidem dicit) aſſimilatus eſt filio Dei, qui in terris eſt ſine patre, & in cœlis ſine matre, & ſine genealogia, vt patet *in textu*. Et ſecundum diuinitatem neque principium, neque finem habet dierum. *3. p. q.* 22. *art.* 6. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 53. *v.* 12.

Tradidit in mortem animam ſuam.

VIdetur quòd Deus pater non tradiderit Chriſtum paſſioni; iniquum enim & crudele videtur eſſe, quòd innocens paſſioni & morti tradatur: ſed ſicut dicitur, *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate*; ergo Chriſtum innocentem non tradidit paſſioni & morti. Vid. quæ ſequuntur ſupra *Pſalm.* 21. *v.* 2. *Ex* 3. *p. q.* 47. *art.* 3.

Deut. 32. v. 4.

ESAIÆ. *Cap.* 53. *v.* 12.

Cum ſceleratis reputatus eſt.

SIcut Chriſtus debitum mortis non habuit, ſed mortem voluntariè ſubijt, vt ſuâ virtute vinceret mortem; ita etiam non habuit meritum, vt cum latronibus poneretur: ſed voluit cum iniquis deputari, vt ſuâ virtute iniquitatem deſtrueret. 3 *p. q.* 46. *art.* 11. *ad primum.*

ESAIÆ. *Cap.* 54. *v.* 13.

Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino.

CItatur *Contra Gentiles lib.* 1 *cap.* 4.

ESAIÆ. *Cap.* 55. *v.* 4.

Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.

PRæceptoris non eſt doceri, ſed docere; ergo Chriſtus non accepit aliquam ſcientiam per doctrinam alicujus hominis. 3. *p. q.* 12. *art.* 3. *ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap.* 55. *v.* 8.

Non cogitationes meæ cogitationes veſtræ.

CItatur *Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 58.

ESAIÆ. *Cap.* 55. *v.* 9.

Sicut exaltantur cœli à terra, ita ſunt exaltata viæ meæ à vijs veſtris.

VOluntas hominis quodammodo diſcordat à Dei volun-

Digitized by Google

quam non nubentes: ſed non nubentes non habent actum matrimonialem; ergo etiam nubentes peccant in actu illo.

2. Iniquitates diuidunt hominem à Deo. vt patet *in textu*: ſed actus matrimonialis diuidit hominem à Deo. Vnde, præcipitur populo qui debebat Deum videre, quòd, *Non accederet ad vxores ſuas*; ergo videtur eſſe peccatum.

Exo. 9 *v.* 15.

3. Illud quod ſecundùm ſe eſt turpe, nullo modo poteſt benefieri: ſed actus matrimonalis ſemper habet concupiſcentiam adjunctam, quæ ſemper turpis eſt; ergo ſemper eſt peccatum.

4. Nihil excuſatur niſi peccatum: ſed actus matrimonialis indiget excuſari per bona matrimonij; ergo eſt peccatum.

5. De ſimilibus ſemper idem eſt iudicium: ſed concubitus matrimonialis eſt eiuſdem ſpeciei cum actu adulterij; quia ad idem terminatur, ſcilicet ſpeciem humanam; ergo cùm actus adulterij ſit peccatum, & actus matrimonij ſimiliter.

6. Superfluitas in paſſionibus corrumpit virtutem: ſed ſemper in actu matrimoniali eſt ſuperfluitas delectationis adeò vt abſorbeat rationem, quæ eſt principale hominis bonum: nam poſſibile eſt hominem aliquam in ipſa intelligere; ergo actus matrimonialis ſemper eſt peccatum.

1. Cor. 7. *v.* 28. *1. Tim.* 5 *v.* 14.

Sed contra dicitur, *Si nupſerit virgo, non peccauit.* Et, *Volo iuniores nubere, filios procreare*: ſed procreatio filiorum non poteſt eſſe ſine carnali conjunctione; ergo actus matrimonialis non eſt peccatum; alias Apoſtolus non voluiſſet illud.

Præterea nullum peccatum eſt in præcepto: ſed actus matrimonialis eſt in præcepto, *Vxori vir debitum reddat*; ergo non eſt peccatum.

1. Cor. 7 *v.* 3.

Dicendum quòd ſuppoſito quòd natura corporalis ſit à Deo bona instituta; impoſſibile eſt dicere quòd ea quæ pertinent ad conſeruationem naturæ corporalis, & ad quæ natura inclinat, ſint vniuerſaliter mala. Et ideo cùm inclinatio ſit naturæ ad prolis procreationem, per quam natura ſpeciei conſeruatur; impoſſibile eſt dicere quòd actus quo procreatur proles, ſit vniuerſaliter illicitus; vt in eo medium virtutis inueniri non poſſit.

Ad 1. R. quòd Apoſtolus in verbis illis, non prohibuit matrimonij actum, ſicut nec rerum poſſeſſionem, cùm dicit, *Qui vtuntur hoc mundo, ſint quaſi non vtentes*: ſed in vtroque fruitionem prohibuit; quod patet ex ipſo modo loquendi, non enim dixit, ſint non vtentes, vel non habentes; ſed, quaſi non vtentes, vel non habentes.

Ad 2. R. quòd Deo conjungimur & ſecundùm habitum gratiæ, & ſecundùm actum contemplationis & amoris. Quod ergo primam conjunctionem ſeparat, ſemper eſt peccatum; non ſemper autem quod ſecundam; quia aliqua occupatio licita circa res inferiores animum diſtrahit, vt actu Deo conjungi non ſit idoneus: & hoc præcipuè accidit in carnali conjunctione, in qua detinetur mens propter delectationem in-

tenſam.

Et propter hoc illis quibus competit diuina contemplari, aut ſacra tractare, indicitur pro tempore illo abſtinentia ab vxoribus: & ſecundùm hoc etiam dicitur, quòd Spiritus S. quantùm ad actum reuelationis ſecretorum, non tangebat mentes prophetarum in vſu matrimonij.

Ad 3. R. quòd turpitudo illa concupiſcentiæ, quæ actum matrimonialem ſemper concomitatur; non eſt turpitudo culpæ, ſed pœnæ ex peccato primo proueniens; vt ſcilicet inferiores vires & membra corporis rationi non obediant. Et propter hoc ratio non ſequitur.

Ad 4. R. quòd illud propriè excuſari dicitur quod aliquam ſimilitudinem mali habet, & tamen non eſt malum; vel non tantum, quantum apparet: quia quædam excuſantur à toto, quædam à tanto. Et quia actus matrimonialis propter corruptionem concupiſcentiæ habet ſimilitudinem actus inordinati; ideo per bona matrimonij excuſatur à toto, vt non ſit peccatum.

Ad 5. R. quòd quamuis ſint idem ſpecie naturæ, tamen differunt in ſpecie moris, quam vna circumſtantia variat, ſcilicet accedere ad ſuam, vel non ſuam. Sicut etiam occidere hominem per violentiam, vel per iuſtitiam, facit diuerſam ſpeciem moris; quamuis ſit vna ſpecies naturæ: & tamen vnum eſt licitum, aliud illicitum.

Ad 6. R. quòd ſuperfluitas paſſionis, quæ virtutem corrumpit, non ſolùm impedit rationis actum; ſed etiam tollit rationis ordinem, quod non facit delectationis intenſio in actu matrimoniali; quia etſi tunc non ordinetur homo, tamen eſt à ratione præordinatus. *Lib. 4. ſent. diſt. 26. q. 1. art. 3. & ſupplem. q. 41. art. 3.*

Peccata veſtra diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum. Actus vitioſus directè tollit actum virtutis per modum contrarietatis; ipſum verò virtutis habitum tollit per accidens, inquantum ſeparatur à cauſa virtutis infuſæ, ſcilicet à Deo, vt patet *in textu*. Et propter hoc virtutes acquiſitæ per vnum actum vitioſum non tolluntur: *In quaſt. diſp. q. de virtutibus in communi art. 1. ad quintum.*

Peccata veſtra diuiſerunt inter vos. Videtur quòd Deus in hac vita non poſſit immediatè amari, incognita enim amari non poſſunt: ſed Deum non cognoſcimus immediatè in hac vita; quia, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, vt dicitur; ergo neque etiam eum immediatè amamus. 1. Cor. 13. v. 12.

2. Qui non poteſt quod minus eſt non poteſt quod majus eſt: ſed majus eſt amare Deum quàm cognoſcere ipſum; *qui enim adhæret Deo* per amorem, *Vnus ſpiritus cum illo eſt*, vt dicitur: ſed homo non poteſt Deum cognoſcere immediatè; ergo multò minùs amare. 1 Cor. 6. v. 17.

3. Homo à Deo disjungitur per peccatum, vt patet *in textu*: ſed peccatum magis eſt in voluntate, quàm in intellectu; ergo minùs poteſt homo Deum diligere immediatè, quàm Deum immediatè cognoſcere.

Sed contra eſt, quòd cognitio Dei quia eſt mediata, dicitur

1. Cor. 13 v. 10. *Ænigmatica, & euacuatur in patria*, vt patet: ſed charitas viæ non euacuatur, vt ibidem dicitur; ergo charitas viæ immediatè Deo adhæret.

Dicendum, quòd actus cognitiuæ virtutis perficitur per hoc quòd cognitum eſt in cognoſcente. Actus autem appetitiuæ virtutis perficitur per hoc, quòd appetitus inclinatur ad rem ipſam.

Et ideo oportet quòd motus appetitiuæ virtutis ſit in re ſecundùm cognitionem ipſarum rerum: actus autem cognitiuæ virtutis, eſt ſecundùm modum cognoſcentis.

Eſt autem ipſe ordo rerum talis ſecundùm ſe quòd Deus eſt propter ſeipſum cognoſcibilis & diligibilis, vt pote eſſentialiter exiſtens ipſa veritas & bonitas, per quam alia cognoſcuntur & amantur.

Quomodo differũt cognitio Dei & amor. Sed quoad nos, quia noſtra cognitio à ſenſu ortum habet; priùs ſunt cognoſcibilia, quæ ſunt ſenſui propinquiora: & vlteriùs terminus cognitionis eſt in eo, quod eſt maximè à ſenſu remotum.

Secundùm hoc ergo dicendum eſt quod dilectio, quæ eſt appetitiuæ virtutis actus, etiam in ſtatu viæ tendit in Deum primò, & ex ipſo deriuatur ad alia: & ſecundùm hoc charitas Deum immediatè diligit; alia verò Deo mediante.

In cognitione verò è conuerſo; quia ſcilicet per alia Deum cognoſcimus, ſicut cauſam per effectus; vel per modum eminentiæ, aut negationis.

Ad 1. R. quòd quamuis incognita non poſſint amari, tamen non oportet quòd ſit idem ordo cognitionis, & dilectionis; nam dilectio eſt cognitionis terminus: & ideo vbi deſinit cognitio, ſcilicet in ipſa re quæ per aliam cognoſcitur, ibi ſtatim dilectio incipere poteſt.

Ad 2. R. quòd quia dilectio Dei eſt majus aliquid, quàm eius cognitio, maximè ſecundùm ſtatum viæ; ideo præſupponit ipſam. Et quia cognitio non quieſcit in rebus creatis, ſed per eas in aliud tendit, in illo dilectio incipit; & per hoc ad alia deriuatur per modum cujuſdam circulationis, dum cognitio à creaturis incipiens, tendit in Deum; & dilectio à Deo incipiens ſicut ab vltimo fine, ad creaturas deriuatur.

Ad 3. R. quòd per charitatem tollitur auerſio à Deo, quæ eſt per peccatum, non autem per ſolam cognitionem. Et ideo charitas eſt, quæ diligendo animam immediate Deo conjungit, ſpiritualis vinculo vnionis. 2. 2. *q.* 27. *art.* 4.

Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Arguitur, ſchiſma ſciſſuram ſonat: ſed omne peccatum ſciſſuram quandam facit; vt patet *in textu*; ergo ſchiſma non eſt ſpeciale peccatum.

Ad argum. R. quod diuiſio hominis à Deo per peccatum non eſt intenta à peccante, ſed præter intentionem eius accidit ex inordinata conuerſione ipſius ad commutabile bonum; & ideo non eſt ſchiſma per ſe loquendo. 2. *2. q.* 39. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus citatur ſupra *Sapientia cap.* 1. *v.* 5. *vid.* 2. 2. *q.* 28. *art.*

Digitized by Google

2. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap. 59. v. 16.*

Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius; quia non eſt iudicium.

Citatur ſupra *Geneſis cap. 6. v. 7.*

ESAIÆ. *Cap. 60. v. 3.*

Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.

Qvi diuino lumine ducuntur non errant; ergo Magi abſque errore Chriſto reuerentiam exhibuerunt. 3. *p. q. 36. art.* 8. *ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap. 60. v. 5.*

Mirabitur & dilatabitur cor tuum.

Explicatur ſupra *Pſalm.* 118. *v. 96.*

ESAIÆ. *Cap. 60. v. 15.*

Ponam te in ſuperbiam ſeculorum.

Explicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 8. *v. 18. ſimile* 2. 2. *q. 162. art. 1. ad primum.*

ESAIÆ. *Cap. 60. v. 19.*

Non erit tibi ampliùs ſol.

Citatur *Lib. 4. ſent. diſt.* 48. *q.* 3. *art.* 3. *ad quintum. & ſupplem. q. 91. art.* 3. *ad quintum.*

ESAIÆ. *Cap. 60. v. 20.*

Non occidet vltra ſol tuus.

Citatur *Supplem. q.* 91. *art.* 2. *ad duodecimum.*

ESAIÆ. *Cap. 60. v. 21.*

Populus tuus omnes iuſti.

Citatur *In queſt. diſp. q. de ſpe art. 4. ad octauum.*

ESAIÆ. *Cap. 61. v. 1.*

Spiritus Domini ſuper me, ad Euangeliſandum manſuetis miſit me.

Explicatur de Chriſto. *In queſt. diſp. q.* 10. *de potentia art.* 4. *ad decimum quartum.*

ESAIÆ. *Cap. 61. v. 8.*

Odio habens rapinam in holocauſtum.

De rapina, vſura & hujuſmodi in generali loquendo, non poteſt fieri Eleemoſyna. *Quodlib. 12. art. 29.*

ESAIÆ. *Cap. 61. v. 10.*

Induit me veſtimentis ſalutis &c.

Qvælibet virtus eſt quidam ſpecialis ornatus animæ, vt patet in textu. *2. 2. q. 129. art. 4. ſed contra.*

Idem locus citatur ſupra *Pſalm. 44. v. 14. vid. lib. 4. ſent. diſt. 49. art.* 3. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap. 63. v. 1.*

Quis eſt iſte qui venit de Edom?

Nvllus diſcit illud quod cognoſcit: ſed Angeli etiam ſupremi quærunt de diuinis myſterijs gratiæ, & ea diſcunt, vt patet *in textu*, vbi quærentibus Angelis,

Digitized by Google

Quis eſt iſte qui venit de Edom? Reſpondit Ieſus, *Ego qui loquor iuſtitiam*; ergo Angeli non cognoſcunt myſteria gratiæ.

Angelorum cognitio duplex. Dicendum quòd in Angelis eſt cognitio duplex; vna quidem naturalis, ſecundùm quam cognoſcunt res tum per eſſentiam ſuam, tum etiam per ſpecies innatas. Et hac cognitione myſteria gratiæ Angeli cognoſcere non poſſunt.

Hæc enim myſteria ex pura Dei voluntate dependent: ſi enim vnus Angelus non poteſt cognoſcere cogitationes alterius ex voluntate eius dependentes; multò minùs poteſt cognoſcere ea quæ ex ſola voluntate Dei dependent.

Et ſic argumentatur Apoſtolus, 1. *Cor.* 2. *v.* 11. *Quæ ſunt hominis nemo nouit, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt: ita & quæ ſunt Dei nemo nouit niſi ſpiritus Dei.*

Eſt autem & alia Angelorum cognitio, quæ eos beatos facit, qua vident Verbum, & res in Verbo. Et hac quidem viſione cognoſcunt myſteria gratiæ; non quidem omnia, nec æqualiter omnes; ſed ſecundùm quod Deus voluerit eis reuelare, ſecundùm illud Apoſtoli, 1. *Cor.* 2. *v.* 10. *Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.*

Ita tamen quòd ſuperiores Angeli perſpicaciùs diuinam ſapientiam contemplantes plura myſteria & altiora in ipſa Dei viſione cognoſcunt, quæ inferioribus manifeſtant eos illuminando.

Et horum etiam myſteriorum quædam à principio ſuæ creationis cognouerunt; quædam verò poſtmodum, ſecundùm quod eorum officijs congruit, edocentur.

Nota quòd de myſterio incarnationis Chriſti dupliciter contingit loqui; vno modo in generali: & ſic omnibus reuelatum eſt à principio ſuæ beatitudinis. Cujus ratio eſt, quia hoc eſt quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur; *Omnes* enim *ſunt adminiſtratorii ſpiritus*, vt dicitur, *in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*. *Hebr.* 1. *v.* 14. Quodquidem fit per incarnationis myſterium. Vnde oportuit de hoc myſterio omnes à principio communiter edoceri. Angeli dupliciter cognouerunt myſterium incarnationis.

Alio modo poſſumus loqui de myſterio incarnationis quantùm ad ſpeciales conditiones. Et ſic non omnes Angeli à principio de omnibus ſunt edocti: imò quidam etiam ſuperiores Angeli poſtmodum didicerunt.

Nota ſecundò, quòd quicquid Prophetæ cognouerunt de myſterio gratiæ per reuelationem diuinam, multò excellentiùs eſt Angelis reuelatum. Et licet prophetis ea quæ Deus facturus erat circa ſalutem humani generis, in generali reuelauerit; quædam tamen ſpecialia Apoſtoli circa hoc cognouerunt, quæ prophetæ non cognouerant, ſecundùm illud, *Eph.* 3. *v.* 4. *Poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum, ſicut reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius.* Prophetæ non æqualiter cognouerũt myſteria.

Inter ipſos etiam prophetas, poſteriores cognouerunt quod priores non cognouerant, ſecundùm illud, *Super ſenes intellexi.* *Pſ.* 118. *v.* 100. 1. *p. q.* 57. *art.* 5.

Iſte formoſus gradiens in fortitudine. Citatur 3. *p. q.* 57. *art.* 3. *ſed contra. Et lib.* 3. *ſent. ad Annibald.*

Digitized by Google

diſt. 22. art. 3. ad primum.

ESAIÆ. *Cap. 63. v. 7.*

Miſerationum Domini recordabor.

Citatur ſupra *Prouerb. cap. 17. v. 3.*

ESAIÆ. *Cap. 63. v. 10.*

Ipſi ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt ſpiritum ſancti eius.

Citatur *Contra Gentiles lib. 4. cap. 16.*

ESAIÆ. *Cap. 63. v. 16.*

Abraham neſciuit nos.

Videtur quòd beati qui erunt in patria non videant pœnas damnatorum. Maior enim eſt diſtantia damnatorum à beatis, quàm viatorum: ſed beati viatorum facta non vident, *ex textu*; ergo multò minùs vident pœnas damnatorum.

Dicendum quòd à beatis nihil ſubtrahi debet, quod ad perfectionem beatitudinis eorum pertineat. Vnumquodque autem ex comparatione contrarij magis cognoſcitur; quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: & ideo vt beatitudo ſanctorum eis magis complaceat, & de ea vberiores gratias Deo agant; datur eis vt pœnam impiorum perfectè videant.

Ad argumentum dicendum quòd loquitur de ſanctis mortuis ſecundùm poſſibilitatem naturæ: non enim oportet vt naturali cognitione cognoſcant omnia, quæ erga viuos aguntur. Sed ſancti qui ſunt in patria, omnia clarè cognoſcunt quæ aguntur & apud viatores & apud damnatos; quia qui intus habent Dei charitatem, nullo modo credendum eſt, quòd foris ſit aliquid quod ignorent. *Supplem. q. 94. art. 1. vid. lib. 4. ſent. diſt. 45. q. 3. art. 1. ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 4. Regum. cap. 22. v. 17.*

ESAIÆ. *Cap. 63. v. 17.*

Errare nos feciſti de vijs tuis.

Explicatur ſupra *Eſaya cap. 6. v. 11.*

ESAIÆ. *Cap. 64. v. 1.*

Vtinam dirumperes cœlos, & deſcenderes.

Arguitur, Oratio quæ fit ab aliquo purè, & perſeueranter pro ſe, & ad ſalutem pertinens, meretur ſui impletionem: ſed ſancti patres hoc modo orabant pro incarnatione, vt patet *in textu*; ergo eam merebantur.

Ad argum. R. quòd ipſi non petebant incarnationem, quam indubitanter credebant futuram; ſed petebant eius accelerationem.

Vel dicendum quòd non petebant pro ſe; quia non petebant aliquid fiendum in ipſis petentibus. *Lib. 3. ſent. diſt. 4. q. 3. art. 1. ad quartum.*

ESAIÆ. *Cap. 64. v. 4.*

Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ praeparaſti expectantibus te.

Citatur *Contra Gentiles lib. 4. cap. 17. 2. 2. q. 175. art. 3. & 3. p. q. 55. art. 1. in corpore.*

ESAIÆ

819

ESAIÆ. *Cap. 64. v. 8.*

Pater noſter es tu, nos verò lutum, & fictor noſter tu.

Citatur *Lib. 4. ſent. diſt.* 17. q. 1. *art.* 2. *q.* 3. *ad ſecundum.*

ESAIÆ. *Cap. 65. v. 13.*

Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis.

Explicatur ſupra *Eſaiæ cap.* 25. *v.* 6.

ESAIÆ. *Cap. 65. v. 16.*

Obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores.

Arguitur, pœnitentia ordinatur ad deletionem peccati: ſed pœnitens ſtatim conſequitur remiſſionem peccatorum, ſecundùm illud, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vitâ viuet, & non morietur*; ergo pœnitentia non debet durare vſque ad finem vitæ. *Ezech. 18. v. 21.*

2 Pœnitentiam agere pertinet ad ſtatum incipientium: ſed homo de hoc ſtatu debet procedere ad ſtatum proficientium, & vlteriùs ad ſtatum perfectorum; ergo non debet homo pœnitentiam agere vſque ad finem vitæ.

Pœnitētia duplex, interior, & exterior. Dicendum, quòd duplex eſt pœnitentia, ſcilicet interior & exterior. Interior quidem pœnitentia eſt qua quis dolet de peccato commiſſo: & talis pœnitentia debet durare vſque ad finem vitæ.

Semper enim debet homini diſplicere quòd peccauit: ſi enim ei placeret peccaſſe, jam ex hoc ipſo peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet.

Diſplicentia autem dolorem cauſat in eo qui eſt ſuſceptiuus doloris, qualis eſt homo in hac vitâ. Poſt hanc vitam ſancti non ſunt ſuſcepitui doloris: vnde diſplicebunt eis peccata præterita ſine omni triſtitia, vt patet *in textu*.

Pœnitentia verò exterior eſt qua quis exteriora ſigna doloris oſtendit, & verbo tenus peccata ſua confitetur ſacerdoti abſoluenti, & iuxta eius arbitrium ſatisfacit

Et talis pœnitentia non oportet quòd duret vſque ad determinatum tempus ſecundùm menſuram peccati.

Ad 1. R. quòd vera pœnitentia non ſolùm remouet peccata præterita, ſed etiam præſeruat hominem à peccatis futuris. Quamuis igitur homo in primo inſtanti veræ penitentiæ remiſſionem conſequatur præteritorum peccatorum; oportet tamen in homine perſeuerare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad 2. R. quòd agere pœnitentiam interiorem ſimul & exteriorem, pertinet ad ſtatum incipientium, qui ſcilicet de nouo redeunt à peccato. Sed pœnitentia interior habet locum etiam in proficientibus & perfectis, ſecundùm illud, *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum.* Vnde & ipſe Paulus dicebat, *Non ſum dignus vocari Apoſtolus; quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* 3. *p. q.* 84. *art.* 8. *Pſal. 83. v. 6. 1. Cor. 15 v. 9.*

Digitized by Google

ESAIÆ. *Cap.* 65. *v.* 17.

Ego creo nouos cœlos.

CItatur ſupra *Leuitici cap.* 26. *v.* 10. *& Eccle. cap.* 1. *v.* 9. *vid. lib.* 4. *ſent. diſt.* 47. *q.* 2. *art.* 1. *ſed contra. Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 97. *& ſuppl. q.* 91. *art.* 1. *ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap.* 66. *v.* 1.

Cœlum mihi ſedes eſt.

CItatur *Contra Gentiles Lib.* 3. *cap.* 68.

ESAIÆ. *Cap.* 66. *v.* 9.

Nunquid ego qui alios parere facio ſterilis ero?

CItatur *Lib.* 4. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 4. *art.* 1. *ſed contra. Et Contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 2.

ESAIÆ. *Cap.* 66. *v,* 24.

Egredientur & videbunt cadauera virorum qui preuaricati ſunt in me.

CItatur ſupra *Eſaya cap.* 26. *v,* 11. *vid. lib.* 4. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 5. *art.* 4. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 66. *v.* 24.

Vermis eorum non morietur.

VErmis quo punientur reprobi eſt immortalis: ſed nullum animal habet ordinem ad immortalitatem, niſi homo; ergo vermis ille non erit materialis. *Quodlib* 7. *art.* 13. *ſed contra vid. lib.* 4. *ſent. ad Annibald. diſt.* 5. *art.* 4. *ad tertium.*

ESAIÆ. *Cap.* 69. *v.* 24.

Et ignis eorum non extinguetur.

CItatur *Lib.* 4. *ſent. ad Annibald. diſt.* 45. *art.* 4. *ſed contra. Et Quodlib.* 2. *art.* 2. *ſed contra.*

ESAIÆ. *Cap.* 66. *v.* 24.

Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.

CItatur ſupra *Deuteron. cap.* 25. *v.* 2. *& pſalm.* 57. *v.* 11.

Libri Eſayæ Finis.

900.

LIBER HIEREMIÆ

CAPVT. I. *Verſ.* 1.

Verba Hieremiæ filij Helciæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth.

Hieremias fuit de ordine ſacerdotali, vt patet *in textu*: ſed ipſe habuit poſſeſſiones ex hæreditatis iure, vt patet; ergo clerici poſſunt habere patrimonialia bona.

Hier 32 v. 8. Dicendum quòd clerici in hoc quòd coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, neque alijs rebus temporalibus; quia terrenorum poſſeſſio non contrariatur diuino cultui, ad quem clerici deputantur; ſed nimia eorum ſolicitudo. *Lib. 4. ſent. diſt. 24. q. 3. art. 1. q. 3. in corpore. Et ſupplem. q. 40. art. 3. in corpore.*

HIER. *Cap. 1. v. 5.*

Priuſquam te formarem in vtero noui te.

Arguitur, Deus non loquitur ibi de notitia qua bonos & malos cognoſcit; quia per hoc nulla prærogatiua oſtenderetur ipſius Hieremiæ, ad quem dicta verba proferuntur; ergo oportet intelligi de notitia approbationis: ſed hæc notitia eſt ſolùm bonorum & habentium gratiam; ergo Hieremias antequam formaretur gratiam habuit: ergo & antequam animaretur, quia anima non infunditur niſi formato puerperio; ergo multò ampliùs ante animationem beata Virgo ſanctificata fuit.

Ad argum. R. quòd loquitur de notitia approbationis, quæ quamuis ſit tantùm habentium gratiam, non tamen eſt eorum ſolùm quando gratiam habent, ſed ab æterno. Vnde talis notitia potuit eſſe Hieremiæ ante eius formationem; non tamen eſſe potuit ante egreſſionem ex vtero. Et ideo tempus notitiæ & ſanctificationis diſtinguit Dominus dicens, *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre ſanctificaui te. Lib. 3. ſent. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 2. ad ſecundum. Vid. 3. p. q. 27. art. 1. 2. & 6.*

Priuſquam te formarem &c Deus cognoſcit ea quæ non ſunt; quia effectus aliquis in ſua cauſa præcognoſci poteſt etiam antequam ſit; ſicut cognoſcit Aſtrologus Eclipſim futuram, ex conſideratione ordinis cœleſtium motuum:

Digitized by Google

ſed cognitio Dei eſt de rebus omnibus per cauſam; ſc enim cognoſcendo, qui eſt omnium cauſa, alia quaſi ſuos effectus cognoſcit; nihil igitur prohibet quin etiam quæ nondum ſunt cognoſcat.

Ampliùs, intelligere Dei ſucceſſionem non habet, ſicut nec eius eſſe, eſt igitur totum ſimul ſemper manens, quod de ratione æternitatis eſt; ergo quæ nondum ſunt cognoſcit. *Contra Gentiles lib.* 1. *cap.* 66.

Iob. 31. *v.* 18. *Miſeratio, & de vtero egreſſa eſt mecum*: nec tamen propter hoc dicimus eum ſanctificatum in vtero, ergo neque etiam Ioannem Baptiſtam, & Hieremiam cogimur dicere ſanctificatos in vtero.

Ad argum. R. quòd miſeratio, de qua ibi Iob loquitur, non ſignificat virtutem infuſam; ſed quandam inclinationem naturalem ad actum hujus virtutis. 3. *p. q.* 27. *art.* 6. *ad tertium.*

HIER. *Cap.* 1 *v.* 6.

Domine neſcio loqui.

CItatur ſupra *Eſaiæ, cap.* 6. *v.* 8.

HIER. *Cap.* 1. *v.* 13.

Ollam ſuccenſam ego video.

Hier. 1. *v.* 13. CItatur ſupra *Lib.* 3. *Regum cap.* 4. *v* 33.

HIER. *Cap.* 2. *v.* 20.

Confregiſti iugum, rupiſti vincula; dixiſti, non ſeruiam.

PEccatum ſuperbiæ dupliciter poteſt conſiderari; vno modo ſecundùm propriam ſpeciem, quam habet ex ratione proprij objecti: & hoc modo ſuperbia eſt ſpeciale peccatum; quia habet ſpeciale objectum. Eſt enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

Superbiæ deſcriptio. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm redundantiam quandam in alia peccata: & ſecundùm hoc habet quandam generalitatem, inquantum ſcilicet ex ſuperbia oriri poſſunt omnia peccata duplici ratione.

Quomodo ſuperbia eſt origo omniũ peccatorum. Vno modo, per ſe, inquantum ſcilicet alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, qui eſt propria excellentia; ad quam poteſt ordinari omne id quod quis inordinatè appetit.

Alio modo indirectè, & quaſi per accidens, ſcilicet remouendo prohibens, inquantum ſcilicet homo per ſuperbiam contemnit diuinam legem, per quam prohibetur à peccando, vt patet *in textu*.

Sciendum tamen quòd ad hanc generalitatem ſuperbiæ, pertinet quod omnia vitia interdum ex ſuperbia oriri poſſunt: non autem ad eam pertinet quòd omnia vitia ſemper ex ſuperbia oriantur.

Quamuis enim omnia præcepta legis poſſit quis tranſgredi qualicumque peccato ex contemptu, qui pertinet ad ſuperbiam; non tamen ſemper ex contemptu aliquis præcepta diuina tranſgreditur, ſed quandoque ex ignorantia, quandoque ex infirmitate. 2. 2. *q.* 162. *art.* 2. *in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib.* 2. *paralipom. cap.* 19. *v.* 2. *& ſapientia cap.* 2. *v.* 24.

HIER. *Cap. 3. v.* 1.

Fornicata es cum amatoribus multis.

CItatur ſupra *Deuteron. cap.* 1. *v.* 17. *vid.* 2. 2. *q.* 144. *art.* 4. *ad primum. Et q.* 151. *art.* 2. *in corpore.*

Idem locus explicatur infra *Threnor. cap.* 5. *v.* 21.

HIER. *Cap.* 4. *v.* 2.

Iurabis in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.

VIdetur quòd ille qui iurauit ſe non intraturum religionem, non poſſit licitè intrare; omnis enim obligatio licita eſt adimplenda: ſed licitum erat ei non intrare religionem, ergo cùm ad hoc iuramento ſe obligauit videtur quòd teneatur non intrare.

Sed contra eſt; quia nullum impedimentum ſpiritualis profectus eſt à Deo: ſed iuramentum eſt ex Deo; ergo per iuramentum non impeditur ſpiritualis profectus intrandi religionem.

Iuramétum triplex. Dicendum quòd obligatio iuramenti tripliciter ſe poteſt habere. Quandoque enim eſt illicita obligatio, & de re illicita; putà, cùm aliquis iurat ſe fornicaturum: & tale iuramentum non tenetur homo adimplere, nec etiam eſt licitum impleri.

Quandoque verò eſt obligatio licita, & de re licita; putà, cùm aliquis iurat ſe Eleemoſynam daturum; & tale iuramentum præterire non licet.

Quandoque verò eſt obligatio illicita, ſed de re licita; putà cùm aliquis iurat ſe non facturum aliquod majus bonum, quod tamen facere non tenetur; putà, ie una e, vel non dare aliquam Eleemoſynam, vel religionem non intrare. Tunc enim id ad quod ſe iuramento obligat, licitum eſt: ſed tamen obligatio eſt illicita; quia per hoc homo; quantùm in ſe obfirmat ſe contra gratiam Spiritus ſancti, quæ facit hominem in ſuo corde aſcenſiones diſponere.

Vnde tale iuramentum licitè poteſt homo implere, abſtinendo ab illo bono, quod facere non tenetur. Non tamen cogitur ex illo iuramento ad hoc quòd impleat quod iurauit, quia iuramentum ad hoc quod ſit obligatorium, debet habere tres comites, iudicium, iuſtitiam & veritatem, vt patet *in textu.* Iuramétum debet habere tres comites.

Huic autem iuramento deeſt iudicium diſcretionis; quia vergit in deteriorem exitum, retrahendo à meliori bono. Et per hoc patet reſponſio ad argumentum. *Quodlibeto* 5. *art.* 27.

Idem locus citatur 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. *ſed contra.*

HIER. *Cap.* 4. 3.

Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.

CItatur 3. *p. q.* 71. *art.* 2. *in corpore.*

HIER. *Cap.* 5. *v.* 22.

Me non timebitis, ait Dominus, qui poſui arenam terminum mari.

NAturale eſt quòd aqua vndique ſit circa terram, ſicut

aër vndique circa aquam, & terram. Sed propter neceſſitatem finis, vt ſcilicet animalia & plantæ eſſent ſuper terram, oportuit quòd aliqua pars terræ eſſet diſcooperta ab aquis.

Quod quidem aliqui Philoſophi attribuunt actioni ſoli per eleuationem vaporum deſiccantis terram. Sed ſacra ſcriptura attribuit poteſtati diuinæ, *Circundedi mare terminis meis.* Et in textu, *Me non timebitis &c. 1. p. q. 69. art. 1. ad quartum.* *Iob. 38. v. 10.*

HIER. *Cap. 7. v. 16.*

Tu noli orare pro populo hoc.

CVm præcepto charitatis homo debet proximum ſicut ſeipſum diligere, eadem ei debet optare quæ ſibi: & ideo etiam eadem pro eo poteſt orare, quæ & pro ſe orat.

Ad textum R. quòd Dominus loquitur quantùm ad hoc quòd in illo populo erant impedimenta, quare oratio prophetæ exaudiri non poterat, ſcilicet incorrectus error illorum, & finalis impœnitentia. *Lib. 4. ſent. diſt. 15. art. 4. q. 3. ſimile 2. 2. q. 83. art. 7.*

HIER. *Cap. 7. v. 18.*

Mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 20. v. 4.*

HIER. *Cap. 7. v. 22.*

Non ſum locutus cum patribus veſtris &c.

CItatur *Exodi cap. 12. v. 10.*

HIER. *Cap. 8. v. 7.*

Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap. 24 v 14*

HIER. *Cap. 9. v. 4.*

Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam.

SEquitur *ex textu* quòd licitè poteſt aliquis ſperare in homine. Sed contra eſt quod dicitur, *Maledictus qui confidit in homine.* *Hier. 17. v. 5.*

Dicendum quòd ſpes duo reſpicit, ſcilicet bonum quod obtinere intendit, & auxilium per quod illud bonum obtinetur.

Bonum autem quod aliquis ſperat obtinendum, habet rationem cauſæ finalis: auxilium autem per quod aliquis ſperat illud bonum obtinere, habet rationem cauſæ efficientis, *Spes duo obtinere intēdit.*

In genere autem vtriuſque cauſæ, inuenitur principale & ſecundarium: principalis enim finis eſt finis vltimus: ſecundarius autem finis eſt bonum quod eſt ad finem.

Similiter principalis cauſa agens, eſt primum agens. Secundaria verò cauſa efficiens eſt agens ſecundarium inſtrumentale.

Spes autem reſpicit beatitudinem æternam ſicut finem vltimum: diuinum autem auxilium ſicut primam cauſam inducentem ad beatitudinem.

Sicut ergo non licet ſperare a-

962

liquod bonum præter beatitudinem, ſicut vltimum finem; ſed ſolùm ſicut id quod eſt ad finem beatitudinis ordinatum.

Ita etiam non licet ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, ſicut de prima cauſa mouente in beatitudinem.

Licet autem ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, ſicut de agente ſecundario & inſtrumentali, per quod aliquis adiuuatur ad quæcumque bona conſequenda in beatitudinem ordinata.

Et hoc modo ad ſanctos conuertimur, & ab hominibus etiam aliqua petimus. *2, 2. q. 17. art. 4.*

HIER. *Cap. 9 v. 23. & 24.*

Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me.

VLtima hominis gloria vel beatitudo non conſiſtit niſi in cognitione Dei, vt patet in textu. *1. 2 q. 3. art. 7. ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Sapientiæ cap. 1. v. 4.*

HIER. *Cap. 10. v. 2.*

A ſignis cœli nolite metuere.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 14. & ſapientiæ cap. 12. v. 17.*

HIER. *Cap. 10. v. 6.*

Magnum nomen tuum in fortitudine.

EXplicatur ſupra *Sapientiæ cap. 13. v. 1.*

HIER. *Cap. 10. v. 7.*

Quis non timebit te O rex gentium?

VIdetur quòd Deus timeri non poſſit; objectum enim timoris eſt malum futurum: ſed Deus eſt expers omnis mali, cùm ſit ipſa bonitas; ergo Deus timeri non poteſt.

2. Timor ſpei opponitur: ſed ſpem habemus de Deo; ergo non poſſumus ſimul eum timere.

3. Illa timemus; ex quibus nobis mala proueniunt: ſed mala non proueniunt nobis à Deo, ſed ex nobis ipſis ſecundùm illud, *Perditio tua Iſrael ex te*; ergo Deus timeri non debet. *Oſeæ. 13. v. 9.*

Sed contra eſt quod dicitur *in textu.* Et, *Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?* *Mal. 1. v. 6.*

Dicendum quòd ſicut ſpes habet duplex objectum, quorum vnum eſt ipſum bonum futurum cujus adeptionem quis expectat. Aliud autem eſt auxilium alicujus, per quem expectat ſe adipiſci quod ſperat.

Ita etiam & timor duplex objectum habere poteſt; quorum vnum eſt ipſum malum, quod homo refugit. Aliud autem eſt illud à quo malum prouenire poteſt.

Primo ergo modo Deus, qui eſt ipſa bonitas, objectum timoris eſſe non poteſt. Sed ſecundo modo poteſt eſſe objectum timoris, inquantum ſcilicet ab ipſo, vel per comparationem ad ipſum, nobis poteſt aliquod malum imminere. *Timoris objectū duplex.*

Ab ipſo quidem poteſt nobis

imminere malum pœnæ, quod non eſt ſimpliciter malum, ſed ſecundùm quid, bonum autem ſimpliciter

Malum culpæ & pœnæ quomodo differunt. Cùm enim bonum dicatur in ordine ad finem, malum autem importet hujus ordinis priuationem; illud eſt malum ſimpliciter, quod excludit ordinem à fine vltimo, quod eſt malum culpæ.

Malum autem pœnæ, eſt quidem malum, inquantum priuat aliquod particulare bonum. Eſt tamen bonum ſimpliciter, inquantum dependet ab ordine finis vltimi.

Per comparationem autem ad Deum, poteſt nobis malum pœnæ prouenire, ſi ab eo ſeparemur. Et per hunc modum Deus poteſt & debet timeri.

Ad 1. R. quòd ratio illa procedit ſecundùm quod malum quod homo refugit, eſt timoris objectum

Ad 2. R quòd in Deo eſt conſiderare iuſtitiam, ſecundùm quam peccantes punit, & miſericordiam, ſecundùm quam nos liberat. Secundùm ergo conſiderationem ipſius iuſtitiæ, inſurgit in nobis timor: ſecundùm autem conſiderationem ipſius miſericordiæ, inſurgit in nobis ſpes. Et ita ſecundùm diuerſas rationes Deus eſt objectum ſpei & timoris.

Quomodo Deus eſt obiectũ ſpei & timoris.

Ad 3. R. quòd malum culpæ non eſt à Deo ſicut ab actore, ſed eſt à nobis ipſis, inquantum à Deo recedimus. Malum autem pœnæ, eſt quidem à Deo actore, inquantum habet rationem boni, prout ſcilicet eſt iuſtum; ſecundùm quod iuſtè nobis pœna infligitur. Licet hoc primordialiter ex merito noſtri peccati contingat, ſecundùm quem modum dicitur quod, *Deus mortem non fecit; ſed impij manibus & verbis accerſierunt illam.* *2. 2. q. 19. art. 1.* Sap. 1. v. 16.

HIER. *Cap.* 10. *v.* 14.

Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua.

ARguitur, vnum oppoſitum non eſt cauſa alterius: ſapientia autem eſt cauſa ſtultitiæ, vt patet *in textu*. Et dicitur, *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te.* Decipi autem ad ſtultitiam pertinet, ergo ſapientiæ non opponitur ſtultitia. Eſa. 47 v. 10.

Ad argum. R. quòd ſapientia ſeculi eſt quæ decipit, & *Facit eſſe ſtultum apud Deum*, vt patet per Apoſtolum. *2. 2. q. 46. art. 1. ad tertium.* 1. Cor. 3 v. 19.

HIER. *Cap.* 10. *v.* 23.

Non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.

EXplicatur ſupra *Lib. 1. Regum cap. 7. v. 3. & Prouerb. cap. 21. v. 1. vid. q. 6. de malo art. 1. ad primum. Et lib. 2. ſent. ad Annibaldum diſt. 25. art. 2.*

HIER. *Cap.* 10. *v.* 24.

Corripe me, Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo; ne fortè ad nihilum redigas me.

HOc quòd Deus creaturæ eſſe communicat, ex Dei voluntate dependet; nec aliter res in eſſe conſeruat, niſi inquantum eis continuè influit eſſe.

Sicut

903

Sicut ergo antequam res eſſent, potuit eis non communicare eſſe, & ſic eas non facere: ita poſtquam jam factæ ſunt, poteſt eis non influere eſſe; & ſic eſſe deſinerent, quod eſt eas in nihilum redigere. *1. p. q. 104. art. 3. in corpore. vid. 1. 2. q. 87. art. 4. ad primum. & q. q. 5. de potentia art. 4. ad ſeptimum.*

HIER. *Cap. 11. v. 15.*

Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?

EXplicatur ſupra *Lib. 2. paralipom. cap. 17. v. 2.*

HIER. *Cap. 11. v. 19.*

Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.

ARguitur, Innocentia patientis diminuit dolorem paſſionis: ſed Chriſtus innocenter eſt paſſus, vt patet *in textu*; ergo videtur quòd dolor paſſionis Chriſti non fuerit maximus.

Ad argum. R. quod innocentia patientis minuit dolorem paſſionis quantùm ad numerum; quia cùm nocens patitur, dolet non ſolùm de pœna, ſed etiam de culpa; innocens autem ſolùm de pœna. Qui tamen dolor in eo augetur ex innocentia, inquantum apprehendit nocumentum illatum, vt magis indebitum. Vnde etiam & alij magis ſunt reprehenſibiles, ſi ei non compatiuntur; ſecundùm illud, *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo* *3. p. q. 46. art. 6. ad quintum.* *Eſa. 57. v. 1.*

Idem locus citatur ſupra *Leuitici cap. 4. v 2.*

HIER. *Cap. 12. v. 1.*

Quare via impiorum proſperatur?

CItatur *Lib. 2. ſent. diſt. 36. q. 1. art. 4. ad quintum.*

HIER. *Cap. 13. v. 1.*

Vade, & poſſide tibi lumbare lineum.

PRophetia habet duos actus, vnum principalem, ſcilicet, viſionem; alium ſecundarium ſcilicet denuntiationem. Denuntiatio autem fit à propheta vel verbis, vel etiam factis, vt patet *in textu*. Vtrolibet autem modo denuntiatio prophetica fiat, ſemper fit ab homine non abſtracto à ſenſibus; quia hujuſmodi denuntiatio per ſigna quædam ſenſibilia fit. Vnde prophetam denuntiantem oportet ſenſibus vti ad hoc quòd eius denuntiatio ſit perfecta; aliàs denuntiaret quaſi arreptus. Prophetia habet duos actus.

Sed quantùm ad viſionem prophetiæ duo concurrunt, ſcilicet iudicium, & acceptio propria prophetiæ. Quando igitur propheta inſpiratur diuinitus, vt ſit tantùm iudicium eius ſupernaturale, & non acceptio; tunc talis inſpiratio abſtractionem à ſenſibus non requirit; quia iudicium intellectus naturaliter eſt perfectius in vtente ſenſibus, quàm in non vtente.

Acceptio autem ſupernaturalis propria prophetæ, eſt ſecundùm imaginariam viſionem: ad quam viſionem inſpiciendam rapitur vis humana ab aliquo ſpiritu, & à ſenſibus abſtrahitur.

Cujus ratio eſt, quia vis ima-

Digitized by Google

ginaria, dum quis vtitur ſenſibus principaliter, eſt intenta his quæ per ſenſus accipiuntur. Vnde non poteſt eſſe quòd intentio eius principaliter transferatur ad ea quæ aliunde accipiuntur, niſi quando homo eſt à ſenſu abſtractus. Vnde quandocumque fit prophetia ſecundùm imaginariam viſionem, oportet à ſenſibus abſtractum eſſe prophetam.

Sed hæc abſtractio dupliciter contingit: vno modo, ex cauſa animali; alio modo, ex cauſa naturali. A cauſa quidem naturali, quando exteriores ſenſus ſtupeſcunt, vel propter ægritudinem vel propter vapores ſomnij ad cerebrũ aſcendentes; ex quibus contingit organum tactus immobilitari.

Ex cauſa verò animali, ſicut quando homo ex nimia attentione ad intellectualia, vel imaginabilia omnino à ſenſibus exterioribus abſtrahitur. Nunquam autem fit in propheta abſtractio à ſenſibus corporalibus per ægritudinem, ſicut fit in epilepticis vel furioſis; ſed ſolummodo per cauſam naturalem ordinatam, ſcilicet per ſomnum.

Et ideo prophetia quæ fit cum viſione imaginaria, ſemper fit vel in ſomnio; quando ſcilicet eſt abſtractio à ſenſibus per cauſam naturalem ordinatam: vel in viſione, quando fit abſtractio à cauſa animali

In hoc tamen differt prophetia in ſua abſtractione à ſenſibus, ſiue abſtrahatur per ſomnium, ſiue per viſionem ab omnibus alijs qui abſtrahuntur à ſenſibus; quòd mens prophetæ illuſtratur de his quæ in viſione imaginaria videntur; quando cognoſcit ea non eſſe res, ſed aliqualiter rerum ſimilitudines; de quibus certum iudicium habet per lumen mentis.

Sic igitur patet quòd prophetiæ inſpiratio, quandoque fit cum abſtractione à ſenſibus, quandoque non. *In quæſt. diſp. q* 12. *de verit. art.* 9. *in corpore. vid ſupra lib.* 2. *Regum cap.* 23. *v.* 2.

HIER. *Cap.* 14. *v.* 8.

Quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum.

ARguitur, viatori competit moueri ad finem beatitudinis: comprehenſori autem competit in fine quieſcere: ſed non poteſt eidem ſimul conuenire quòd moueatur ad finem, & quod quieſcat in fine; ergo non potuit ſimul eſſe quòd Chriſtus eſſet viator & comprehenſor.

Dicendum, quòd aliquis dicitur viator, ex eo quòd tendit in beatitudinem; comprehenſor autem dicitur ex hoc quòd jam beatitudinem obtinet, ſecundùm illud, *Sic currite vt comprehendatis,* 1 *Cor.* 9. *v.* 24.
Et, *ſequor autem ſi quomodo comprehendam.* *Philip* 3. *v.* 12.

Hominis autem beatitudo perfecta conſiſtit in anima & corpore: in anima quidem, quantùm ad id quod eſt ei proprium, ſecundùm quòd mens videt & fruitur Deo. In corpore verò, ſecundùm quòd, *Corpus reſurget ſpirituale, & in virtute, & in gloria, & in incorruptione,* vt dicitur. *v.* 24. & 44.

Chriſtus autem ante paſſionem, ſecundùm mentem plenè videbat

404

Deum : & ſic habebat beatitudinem quantùm ad id quod eſt proprium animæ : ſed quantùm ad alia deerat beatitudo ; quia & anima eius erat paſſibilis, & corpus paſſibile & mortale.

Et ideo ſimul erat comprehenſor, inquantum habebat beatitudinem propriam animæ ; & ſimul viator, inquantum tendebat in beatitudinem, ſecundùm id quod ei de beatitudine deerat.

Ad argum. R. quòd impoſſibile eſt moueri ad finem, & quieſcere in fine ſecundùm idem ; ſed ſecundùm diuerſa nihil hoc prohibet. Sicut aliquis homo ſimul eſt ſciens, quantùm ad ea quæ jam nouit : & addiſcens quantùm ad ea quæ nondum nouit. 3. *p. q.* 15. *art.* 10.

HIER. *Cap.* 15. *v.* 1.

Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum illum.

ILli tamen fuerunt maximi meriti apud Deum ; videtur ergo quòd nullus poſſit alteri mereri primam gratiam.

Dicendum quòd opus noſtrum habet rationem meriti ex duobus ; primò quidem ex vi motionis diuinæ, & ſic meretur aliquis ex condigno.

Meritũ duplex. Alio modo habet rationem meriti, ſecundùm quod procedit ex libero arbitrio, inquantum aliquid voluntariè facimus : & ex hac parte eſt meritum congrui ; quia congruum eſt, vt dum homo bene vtitur ſuâ virtute, Deus ſecundùm ſuperexcellentem virtutem excellentiùs operetur.

Ex quo patet quòd merito condigni, nullus poteſt mereri alteri primam gratiam, niſi ſolus Chriſtus ; quia vnuſquiſque noſtrum mouetur à Deo per donum gratiæ, vt ipſe ad vitam æternam perueniat. Et ideo meritum condigni vltra hanc motionem non ſe extendit.

Sed anima Chriſti mota eſt à Deo per gratiam non ſolùm vt ipſe perueniret ad gloriam vitæ æternæ, ſed etiam vt alios in eam adduceret, inquantum eſt caput Eccleſiæ, & auctor ſalutis humanæ, ſecundùm illud, *Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis &c.* Hebr. 2. v. 10.

Sed merito congrui poteſt aliquis alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo in gratia conſtitutus implet Dei voluntatem, congruum eſt ſecundùm amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in ſaluatione alterius.

Licet quandoque poſſit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis ſanctus iuſtificationem deſiderat. Et in hoc caſu loquitur *textus.*

Dices, orationes iuſtorum non ſunt vacuæ, ſed efficaces, ſecundùm illud, *Multùm valet deprecatio iuſti aſſidua*: ſed ibidem præmittitur, *Orate pro inuicem vt ſaluemini.* Cùm igitur ſalus hominis non poſſit eſſe niſi per gratiam videtur quòd vnus homo poſſit alteri mereri primam gratiam. Iac. vlt. v. 16. Iac. vlt. v. 16. Vnus homo non poteſt alteri mereri primã gratiam.

Ad argum. R. quòd impetratio orationis innititur miſericordiæ ; meritum autem condigni innititur iuſtitiæ : & ideo multa o-

rando impetrat homo ex diuina miſericordia, quæ tamen non meretur ſecundùm diuinam iuſtitiam, Dan. 9. v. 18. ſecundùm illud, *Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.*

Leuc. 16 v. 9. Dices ſecundò, dicitur, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* : Sed nullus recipitur in æterna tabernacula niſi per gratiam, per quam ſolam aliquis meretur vitam æternam; ergo vnus homo poteſt alteri acquirere merendo primam gratiam.

Ad argum. R. quòd pauperes Eleemoſynas recipientes dicuntur recipere alios in æterna tabernacula, vel impetrando eis veniam orando, vel merendo per alia bona ex congruo, vel etiam materialiter loquendo; quia per ipſa opera miſericordiæ, quæ quis in pauperes exercet, meretur recipi in æterna tabernacula 1. 2. q. 114. art. 6. *vid.* 2. 2. q. 83. *art.* 7. *ad primum.* & *ſupplementum.* q. 72 *art.* 3 *ad ſecundum.*

HIER. *Cap.* 15. *v.* 17.

Non ſedi in conſilio ludentium.

EXplicatur ſupra *Tobiæ cap.* 3. *v.* 17.

HIER. *Cap.* 15. *v.* 18.

Plaga mea deſperabilis renuit curari.

PEccatum inſanabile videtur eſſe grauiſſimum, ſecundùm Hebr. 30 v. 12. illud, *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua* : ſed peccatum deſperationis eſt inſanabile, vt patet in textu; ergo deſperatio eſt grauiſſimum peccatum.

Dicendum quod peccata quæ opponuntur virtutibus Theologicis, ſunt ſecundùm ſuum genus grauiora peccatis alijs. Cùm enim virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecto, peccata eis oppoſita important directè & principaliter auerſionem à Deo.

In quolibet autem peccato mortali, principalis ratio mali & grauitas eſt ex hoc, quod auertit ſe à Deo. Si enim poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile, ſine auerſione à Deo, quamuis eſſet inordinata; non eſſet peccatum mortale.

Et ideo illud quòd primò & per ſe habet auerſionem à Deo eſt grauiſſimum peccatum inter peccata mortalia.

Virtutibus autem Theologicis opponuntur infidelitas, deſperatio, & odium Dei: inter quæ odium & infidelitas, ſi deſperationi comparentur, inueniuntur ſecundùm ſe quidem, id eſt, ſecundùm rationem propriæ ſpeciei grauiora.

Infidelitas enim prouenit ex hoc, quòd homo ipſam Dei veritatem non credit: odium verò Dei prouenit ex hoc quòd voluntas hominis ipſi diuinæ bonitati contrariatur: deſperatio autem ex hoc quod homo non ſperat ſe bonitatem Dei participare. Infidelitas, odium Dei, & deſperatio quomodo differunt.

Ex quo patet quòd infidelitas & odium Dei ſunt contra Deum, ſecundùm quod in ſe eſt; deſperatio autem ſecundùm quod eius bonum participatur à nobis.

Vnde maius peccatum eſt, ſe-

Digitized by Google

905

cundùm ſe loquendo non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quàm non ſperare conſequi gloriam ab ipſo.

Sed ſi comparetur deſperatio ad alia duo peccata ex parte noſtra, ſic deſperatio eſt periculoſior; quia per ſpem reuocamur à malis, & inducimur ad bona proſequenda,

Et ideo ſublatâ ſpe, irrefrænatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur. 2. 2. *q.* 20. *art.* 3.

HIER. *Cap.* 15. *v.* 19.

Ipſi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 9. *v* 18.

HIER. *Cap.* 17. *v.* 5.

Maledictus qui confidit in homine.

EXplicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 13 *v.* 12., *& Hieremiæ cap.* 9. *v.* 4. *vid.* 2. 2. *q.* 25. *art.* 1. *ad tertium.*

HIER. *Cap.* 17. *v.* 9.

Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile.

Angeli non cognoſcũt cogitationes cordis.

COgnoſcere cogitationes cordis poteſt contingere dupliciter, in ſe, & per ſe, & in aliquo effectu. Primo modo ſolius Dei eſt, vt patet *in textu.* Vnde nec Angeli ſic eas cognoſcunt, cujus ratio eſt triplex; vna propter debilitatem eſſe quod habet, eo quòd ſupra gradum quo aliquid eſt ens in potentia, eſt gradus quo res ſint in anima.

Alia ratio eſt, quia quod eſt in virtute cauſæ alicujus, non poteſt cognoſci niſi à cauſa, quæ nata eſt mouere illam: voluntatem autem mouet ſolus Deus. Cùm ergo omnes cogitationes dependeant ſicut à ſua cauſa, ſolus Deus eas cognoſcit.

Alia ratio eſt, quia Angeli, illa quæ cognoſcunt naturaliter, cognoſcunt per ſpecies naturaliter inditas: & hæ ſunt ſpecies rerum naturalium, non autem cogitationum; quia hæc non reducuntur ad cauſam naturalem, vel non pertinent ad cauſam naturalium.

Tamen per effectus cogitationum cognoſcunt cogitationes, ſicut & homo facit; ſed Angeli ſubtiliùs cognoſcunt effectus qui cauſantur ex cogitationibus.

Nam ſecundùm cogitationes homo afficitur aliquâ paſſione, & per eas mouetur cor: & hos motus ſubtiliùs ipſi cognoſcunt, quàm nos. Et ſic aliquid cognoſcunt de cogitationibus cordis. *Quodlib.* 12. *art.* 6.

HIER. *Cap.* 17. *v.* 9.

Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcit illud? Ego Dominus ſcrutans corda & probans renes.

SOlius Dei eſt cogitationes hominum cognoſcere, vt patet *in textu*; Non ergo Angeli & dæmones eas cognoſcunt. *In quæſt. diſp. q.* 16. *de malo art.* 8. *ſed contra. Et q.* 8. *de verit art.* 4. *ſed*

Digitized by Google

contra.

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 1. Regum cap. 16. v. 7. vid. contra Gentiles lib. 4. cap. 17. 1. p. q. 57. art. 4. ſed contra & 3. p. q. 59. art. 2. ad tertium.*

HIER. *Cap. 17. v. 13.*

Recedentes à te, in terra ſcribentur.

Explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 26.*

HIER. *Cap. 17. v. 14.*

Sana me & ſanabor.

Explicatur ſupra *Sapientia cap. 16. v. 12.*

HIER. *Cap. 18. v. 6.*

Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.

Explicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap. 7. v. 3. vid. lib. 4. ſent. diſt. 17. art. 2. q. 3. ad ſecundum.*

HIER. *Cap. 18. v. 7.*

Loquar aduerſùs gentem & aduerſùs regnum, vt eradicem & deſtruam.

Citatur ſupra *Geneſis cap. 6. v. 7. lib. 4. Regum cap. 20. v. 6. & pſalm. 76. v. 8.*

HIER. *Cap. 18. v. 8.*

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei.

Et ſic è contrario videtur quòd ſi homo pœnitentiam non agat quòd Deus ei non remittat offenſam.

Dicendum, quòd impoſſibile eſt peccatum actuale mortale ſine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia quæ eſt virtus. Cùm enim peccatum ſit Dei offenſa, eo modo Deus peccatum remittit quo remittit offenſam in ſe commiſſam. Offenſa autem directè opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri eſſe offenſus, quòd repellit eum à gratia ſua.

Hoc autem intereſt inter gratiam Dei & gratiam hominis, quòd gratia hominis non cauſat, ſed præſupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato: ſed gratia Dei cauſat bonitatem in homine grato; eo quòd bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, eſt cauſa omnis boni creati. Gratia Dei & hominis quomodo differunt.

Vnde poteſt contingere quòd homo remittat offenſam, quà offenſus eſt, alicui abſque aliqua immutatione voluntatis eius. Non autem contingere poteſt, quòd Deus remittat offenſam alicui, abſque immutatione voluntatis eius.

Offenſa autem peccati mortalis procedit ex hoc quòd voluntas hominis eſt auerſa à Deo per conuerſionem ad aliquod bonum commutabile.

Vnde requiritur ad remiſſionem diuinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic immutetur; vt conuertatur ad Deum cum deteſtatione conuerſionis prædictæ, & propoſito emendæ; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, ſecundùm quod eſt virtus.

Et ideo impoſſibile eſt quòd

Digitized by Google

106

Pœnitentia duplex, virtus & Sacramẽtum. peccatum alicui remittatur ſine pœnitentia, ſecundùm quod eſt virtus.

Sacramentum autem pœnitentiæ perficitur per officium ſacerdotis ligantis & ſoluentis; ſine quo poteſt Deus peccatum remittere: ſicut, *Remiſit Chriſtus mulieri adulteræ*, Et *peccatrici*. Quibus tamen non remiſit peccata ſine virtute pœnitentiæ. 3. *p. q.* 86. *art.* 2. *Ioan* 8. *v.* 11. *Luca*.7. *v.* 47.

HIER. *Cap.* 20. *v.* 10.

Audiui contumelias in circuitu.

NIhil auditu percipitur niſi verbum: ſed contumelia auditu percipitur, vt patet *in textu*; ergo contumelia eſt in verbis. 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. *ſed contra.*

HIER. *Cap.* 23. *v.* 5.

Regnabit rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.

OMnia quæ ſunt virtutum moralium pertinent ad prudentiam ſicut ad dirigentem: vnde & recta ratio prudentiæ ponitur in diffinitione virtutis moralis.

Et ideo etiam executio iuſtitiæ prout ordinatur ad bonum commune, quod pertinet ad officium regis, indiget directione prudentiæ.

Virtutes Regi propriæ. Vnde iſtæ duæ virtutes ſunt maximè propriæ regi, ſcilicet prudentia & iuſtitia, vt patet *in textu*.

Quia tamen dirigere magis pertinet ad regem; exequi autem ad ſubditos: ideo regnatiua magis ponitur ſpecies prudentiæ, quæ eſt directiua; quàm iuſtitiæ quæ eſt executiua. 2. 2. *q.* 50. *art.* 1, *ad primum.*

HIER. *Cap.* 23. *v.* 6.

Hoc eſt nomen quod vocabunt eum Dominus iuſtus noſter.

CItatur *Prouerbior. cap.* 12. *v.* 21. *vid. contra Gentiles lib.* 4. *cap.* 7.

HIER. *Cap.* 23. *v.* 9

Contritum eſt cor meum in medio mei; propheta namque & ſacerdos polluti ſunt; & in domo mea inueni malum eorum.

CItatur ſupra *Lib.* 2. *paralipom. cap.* 19. *v.* 2.

HIER. *Cap.* 23. *v.* 14.

In prophetis Hieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium.

CItatur *Lib.* 2. *paralipom. cap.* 19. *v.* 2.

HIER. *Cap.* 23. *v.* 16

Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, & decipiunt vos.

EXplicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum. cap.* 9. *v.* 9.

HIER *Cap.* 23. *v.* 24.

Cœlum & terram ego impleo.

VBicumque eſt virtus Dei, eſt ipſe Deus: ſed in qualibet re eſt virtus Dei; quia nulla res poteſt agere, niſi virtus Dei in ea operetur, ſicut virtus primæ cauſæ

operatur in cauſa ſecunda; ergo Deus eſt in quahbet re. *Lib.* 1. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 37. *art.* 1. *ſed contra. ſimile* 1. *p. q.* 8. *art.* 2.

Idem locus citatur ſupra *Levitici cap.* 20. *v.* 8. *& ſapientiæ cap.* 7. *v.* 25. *vid. contra Gentiles lib* 3. *cap* 68.

HIER. *Cap.* 23. *v.* 28.

Propheta qui habet ſomnium, narret ſomnium; & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum.

Citatur 2. 2. *q.* 171. *art.* 5. *ad ſecundum.*

HIER. *Cap.* 30. *v.* 12.

Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.

EXplicatur ſupra *Hieremiæ cap.* 15. *v.* 17.

HIER. *Cap.* 31. *v.* 3.

In charitate perpetua dilexi te.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 6. *v.* 7. *lib.* 1. *Regum cap.* 26. *v.* 19. *& prouerbior. cap.* 3. *v.* 28.

HIER. *Cap.* 31. *v.* 16.

Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis; quia eſt merces operi tuo.

ARguitur, ex eo quòd aliquis ſibi proficit, nihil videtur mereri apud eum cui nihil proficit: ſed homo bene operando ſibi proficit: alteri homini, non autem Deo: dicitur enim, *Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ergo homo non poteſt aliquid à Deo mereri. *Iob.* 35. *v.* 7.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*: nam merces dicitur quod pro merito redditur; ergo videtur quòd homo poſſit à Deo mereri.

Ad argum. R. quòd Deus ex bonis noſtris non quærit vtilitatem, ſed gloriam, id eſt, manifeſtationem ſuæ bonitatis; quod etiam ex ſuis operibus quærit.

Ex hoc autem quòd eum colimus, nihil ei accreſcit, ſed nobis: & ideo meremur aliquid à Deo, non quaſi ex noſtris operibus aliquid ei accreſcat; ſed inquantum, propter eius gloriam operamur. 1. 2. *q.* 114. *art.* 1.

Quieſcat vox tua à ploratu. Ploratus & lachrymæ ad actum exterioris pœnitentiæ pertinent, qui non debet eſſe continuus, vt patet in textu 3. *p. q.* 84. *art.* 9. *ad primum.*

HIER. *Cap.* 31. *v.* 18.

Conuerte me, & conuertar.

VIdetur quòd homo poſſit ſeipſum ad gratiam præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratiæ; nihil enim imponitur homini quod ſit ei impoſſibile: *Sed dicitur conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: nihil autem eſt aliud ſe ad gratiam præparare, quàm ad Deum conuerti; ergo videtur quòd homo per ſeipſum poſſit ſe ad gratiam præparare. *Zach v.* 3.

2. Si homo indiget gratiâ ad hoc quòd præparet ſe ad gratiam, pari ratione indigebit gratiâ ad hoc quòd præparet ſe ad illam gratiam, &

Digitized by Google

& ſic procederetur in infinitum, quod eſt inconueniens; ergo videtur ſtandum in primo, vt ſcilicet homo ſine gratia poſſit ſe ad gratiam præparare.

Sed contra eſt quòd dicitur, *Ioan* 6. *v.* 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* Si autem homo ſeipſum præparare poſſet, non oporteret quòd ab alio traheretur; ergo homo non poteſt ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ.

Dicendum, quòd duplex eſt præparatio voluntatis humanæ ad bonum: vna quidem qua præparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendum. Et talis præparatio voluntatis non poteſt fieri ſine habituali gratiæ dono, quod ſit principium operis meritorij.

Alio modo poteſt intelligi præparatio voluntatis humanæ ad conſequendum ipſum gratiæ habitualis donum.

Homo non poteſt ſe ad gratiã præparare ſine gratia. Ad hoc autem quòd præparet ſe homo ad ſuſceptionem huius doni, non oportet præſupponere aliquod aliud donum habituale in anima; quia ſic procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam mouentis, ſiue inſpirantis bonum propoſitum; his enim duobus modis indigemus auxilio diuino.

Ad 1. R. quòd conuerſio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium: & ſecundùm hoc homini præcipitur quòd ſe ad Deum conuertat. Sed liberum arbitrium ad Deum conuerti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe conuertente, vt patet *in textu.* Et, *Thren.* 5 *v.* 21. *Conuerte nos ad te, Domine, & conuertemur.*

Ad 2. R. quòd objectio procedit de gratia habituali, ad quam requiritur aliqua præparatio; quia omnis forma requirit ſuſceptibile diſpoſitum. Sed ad hoc quòd homo moueatur à Deo, non præexigit aliquam aliam motionem; cùm Deus ſit primum mouens: vnde non oportet abire in infinitum. 1, 2. *q.* 109. *art.* 6.

HIER. *Cap.* 31. *v.* 19.

Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.

EXplicatur ſupra *Deuteron. cap.* 5. *v.* 29.

HIER. *Cap.* 31. *v.* 22.

Nouum faciet Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.

CHriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit vir, vt patet *in textu*: ſed perfecti viri eſt mereri; ergo Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis potuit mereri. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *ſed contra.*

Idem locus citatur *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Eccle. cap.* 1. *v.* 10.

HIER. *Cap.* 31. *v.* 31. *&* 32.

Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus nouum.

LEx noua eſt lex noui Teſtamenti: ſed lex noui Teſtamenti eſt indita in corde. Apoſtolus enim dicit inducens textum, *Hebr.* 8. *v.* 10. *dabo leges meas in mentes eorum, & in*

corda eorum ſuperſcribam eas; ergo lex noua eſt lex indita 1. 2. *q.* 106. *art.* 1. *ſed contra.*

HIER. *Cap.* 31. *v.* 33.

Dabo legem meam in cordibus eorum.

ILlud quod Deus in nobis facit per gratiam, inſtruit per legis præcepta, vt patet *in textu*: ſed Deus cauſat in nobis ordinem charitatis, ſecundùm illud, *Ordinauit in me charitatem*; ergo ordo charitatis ſub præcepto legis cadit. 2. 2. *q.* 44, *art.* 8. *ſed contra.*

Cant. 2. *v.* 4.

Idem locus citatur *Contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 114.

HIER. *Cap.* 31. *v.* 34.

Non docebit vir vltra proximum.

CItatur *1. p. q.* 106. *art.* 1. *ad primum. & lib.* 2. *ſent. ad Annibaldum diſt.* 9. *art.* 3. *ſed contra.*

HIER. *Cap.* 31. *v.* 35.

Qui dat ſolem in lumine diei.

CItatur *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 48. *q.* 2. *art.* 2. *ad ſecundum. In quaſt. diſp. q.* 5. *de potentia art.* 5. *ad ſecundum. & ſupplem. q.* 91. *art.* 2. *ad ſecundum.*

HIER. *Cap.* 32. *v.* 8.

Poſſide agrum meum.

EXplicatur ſupra *Hierem. cap.* 1, *v.* 1.

HIER. *Cap.* 32. *v.* 18. *&* 19.

Dominus exercituum nomen tibi, magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.

COmprehendere Deum impoſſibile eſt cuicumque intellectui creato; illud enim comprehenditur quod perfectè cognoſcitur: perfectè autem cognoſcitur quod tantùm cognoſcitur, quantùm eſt cognoſcibile, quod non poteſt dici de Deo, vt patet in textu. *1. p. q.* 12. *art.* 7.

Comprehenſionis deſcriptio.

HIER. *Cap.* 41. *v.* 2.

Interfecerunt Godoliam, quem præferebat rex Babylonis terra.

CItatur ſupra *Exodi cap.* 32. *v.* 19.

HIER. *Cap.* 41. *v.* 8.

Nolite occidere nos; quia habemus theſauros in agro.

PRo nullo incommodo corporali vitando debet homo conſentire in peccatum alterius. Sed tamen pro aliquo incommodo vitando, poteſt homo licitè vti malitiâ alterius, vel materam ei non ſubtrahere, ſed præbere: ſicut ſi latro aliquem iugulare vellet, & ad vitandum mortis periculum aliquis latroni theſaurum ſuum diripiendum detegeret, non peccaret; exemplo illorum decem virorum, qui dixerunt ad Iſmaël, *Noli occidere nos &c.* vt patet in textu. *In quaſt. diſp. q.* 14. *de malo art.* 4. *ad decimum nonum.*

Digitized by Google

108

HIER. *Cap.* 48. *v.* 29.

Audiuimus ſuperbiam Moab.

CItatur *2. 2. q.* 111. *art.* 1. *ad ſecundum.*

HIER. *Cap.* 49. *v.* 32.

Diſpergam in omnem ventum eos qui in comam attonſi ſunt.

EXplicatur ſupra *Deuteron. cap.* 32. *v.* 42.

HIER. *Cap.* 51. *v.* 9.

Curauimus Babylonem, & non eſt curata derelinquamus eam.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 21. *v.* 2. *Et pſalm.* 89. *v.* 13.

Libri Hieremiæ Finis.

LIBER THRENORVM HIEREMIÆ. CAP. III. *Verſ.* 4.

Vetuſtam fecit pellem meam.

EXplicatur ſupra *Leuitici cap.* 26. *v.* 10.

THREN. *Cap.* 3. *v.* 15.

Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſinthio.

HÆc locutio, hic eſt calix ſanguinis mei, figuratiua eſt, & poteſt intelligi dupliciter vno modo vt ſit metonymica locutio, vt ponatur continens pro contento; ſecundùm quod dicere conſueuimus, bibe calicem vini, id eſt, vinum contentum in calice.

Ideo autem talis modus locutionis congruus eſt formæ huic; quia ſanguis de ſui ratione non dicit aliquid potabile, imò magis aliquid, quod natura abhorret in potum.

Et quia in hoc ſacramento ſanguis Chriſti conſecratur vt potus; ideo oportuit aliquid addi quod ad potum pertineret, ſcilicet calicem. *Cur forma ſanguinis Chriſti in Euchariſtia eſt figuratiua.*

Alio modo poteſt intelligi, vt ſit metaphorica locutio; vt per calicem, paſſio Chriſti deſignetur. Sicut enim calix vini inebriat; ita & paſſio ſui amaritudine quaſi hominem extra ſe ponit, vt patet *in textu.* *Paſſio Chriſti Quomodo calix fuit.*

Et hoc modo loquendi vſus eſt

Digitized by Google

Dominus de ſua paſſione loquens, vt patet, *Tranſeat à me calix iſte.* Matt. 26 v. 39.

Et hic modus loquendi etiam eſt conueniens in hac forma; quia in conſecratione ſanguinis exprimitur directè myſterium paſſionis.

Nec obſtat quod ſolet obijci, quòd locutiones figuratiuæ faciunt diſtrahere intellectum, & ita ſunt cauſa euagationis; quia mens ſacerdotis debet eſſe adeo fixa ad ea quæ dicit, quòd non qualibet leui actione euagetur. *Lib. 4. ſent. diſt. 8. q. 2. art. 2. q. 2. in corpore.*

THREN. *Cap. 3. v. 22.*

Miſericordiæ Domini quòd non ſumus conſumpti.

Explicatur ſupra *Pſalm.* 102. *v.* 10.

THREN. *Cap. 3. v. 25.*

Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum.

Citatur 1. *p. q. 6. art.* 1. *ſed contra.*

THREN. *Cap. 3. v. 27.*

Bonum eſt viro cùm portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua.

QVi volunt fieri clerici, non priùs exercentur in vita laicali; ſed à pueritia inſtruuntur in vita clericali. Et hoc modo qui volunt religioſi fieri, non oportet quòd priùs exerceantur in vita ſeculari, ſed optimum eſt eis, ſi à pueritia exerceantur in vita religionis; quia magis poterunt in ea proficere, vt patet in textu. *Quodlib. 4. art. 23. ad ſecundum.*

THREN. *Cap. 3. v. 54.*

Inundauerunt aquæ ſuper caput meum.

Explicatur ſupra *Geneſis cap. 7. v.* 17.

THREN. *Cap. 4. v. 1.*

Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum eius.

Explicatur ſupra *Lib. 1. Regum. cap. 15. v. 21.*

THREN. *Cap. 5. v. 21.*

Conuerte nos ad te, & conuertemur.

ILlud quod ex nobis poſſumus, non habemus neceſſe petere à Deo orando: habemus autem neceſſe petere à Deo vt nos ad gratiam præparet ad ſe conuertendo, vt patet, *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter*; ergo non eſt omnino in poteſtate noſtra nos ad gratiam præparare, vt patet in textu. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 29. art. 4. ſed contra.* Pſal. 84 v. 5.

THREN. *Cap. 5. v. 21.*

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.

COgnitio præcedit voluntatis motum: cognitio autem ſupernaturalis finis eſt hominis à Deo, cùm per rationem naturalem in ipſum attingere homo non poſſit; eò quòd facultatem naturalem excedat. Oportet ergo quòd motus voluntatis noſtræ in vltimum finem, auxilium diuinum

Digitized by Google

præueniat.

Tit. 3. v. 5. Hinc eſt quod dicitur, *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed* Rom. 9. v. 16. *ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Et, *non eſt volentis,* ſcilicet velle, *Sed miſerentis Dei*; quia ſcilicet oportet quòd ad bene volendum & operandum, homo diuino præueniatur auxilio.

Sicut conſuetum eſt quòd effectus aliquis non attribuitur proximo operanti, ſed primo mouenti; attribuitur enim victoria duci, quæ labore militum perpetratur.

Non ergo per huiuſmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, quaſi homo non ſit Dominus ſuorum actuum interiorum & exteriorum; ſed oſtenditur Deo eſſe ſubjectum.

Zach. 1. v. 3. Et dicitur in textu, *Conuerte nos Domine &c.* Per quod patet quòd conuerſio noſtra ad Deũ, præuenitur auxilio Dei nos conuertentis.

Legitur tamen, ex perſona Dei dictum, *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*; non quia Dei operatio noſtram conuerſionem præueniat; ſed quia conuerſionem noſtram qua ad ipſum conuertimur, adjuuat ſubſequenter eam roborando, vt ad effectum perueniat, & ſtabiliendo, vt finem debitum conſequatur. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 149.*

Hier. 2. v. 1. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; innoua dies noſtros ſicut à principio.* Et, *tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Ex his locis apparet quòd ſi fideles poſt gratiam lapſi fuerint, iterum patet eis reditus ad ſalutem.

Per hoc autem excluditur error Nouatianorum, qui peccantibus poſt baptiſmum indulgentiam denegabant. Ponebant autem ſui erroris occaſionem ex eo quod dicitur, *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt* Hebr. 6. v. 4. *illuminati, & guſtauerunt donum cæleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum verbum Dei, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, renouari rurſum ad pœnitentiam.* Sed ex quo ſenſu hoc Apoſtolus dixerit, apparet ex hoc quod ſubditur, *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.*

Eâ igitur ratione qua prolapſi ſunt poſt gratiam perceptam, renouari rurſus ad pœnitentiam non poſſunt; quia filius Dei rurſus crucifigendus non eſt.

Denegatur igitur illa renouatio in pœnitentiam, per quam homo ſimul crucifigitur Chriſto; quod quidem eſt per baptiſmum. Dicitur enim, *Quicumque baptizati ſumus.* Rom. 6. v. 3.

Sicut igitur Chriſtus non eſt iterum crucifigendus; ita qui peccat poſt baptiſmum, non eſt rurſus baptizandus. Poteſt tamen rurſus conuerti ad gratiam per pœnitentiam.

Vnde & Apoſtolus non dixit, quòd impoſſibile ſit eos qui ſemel lapſi ſunt, rurſus reuocari, vel conuerti ad pœnitentiam; ſed quòd, *Impoſſibile ſit renouari,* quòd Tit. 3. v. 5. baptiſmo attribuere ſolet, vt patet, *Secundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti. lib. 4. contra Gentiles cap. 61.*

Idem locus explicatur ſupra *Deuter. cap. 5. v. 29. & lib. 1. Regum cap. 7. v. 3. ſimile quodlib. 1. art. 7. vid. 1. p. q. 23. art. 5. & q. 62. art. 2.*

Libri Threnorum Hieremiæ finis.

LIBER BARUCH.

CAP. III. *Verſ. 38.*

In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

VIdetur quòd Chriſtus non debuerit inter homines conuerſari, ſed ſolitariam vitam agere; oportebat enim quòd Chriſtus ſuâ conuerſatione, non ſolùm ſe hominem oſtenderet eſſe, ſed etiam Deum: ſed Deum non conuenit cum hominibus conuerſari; dici-
Dan. 2. v. 11. tur enim, *Exceptis diis quorum non eſt cum hominibus conuerſatio*; ergo videtur quòd non fuerit conueniens Chriſtum inter homines conuerſari.

2. Chriſtus dum in hac carne mortali vixit, debuit vitam perfectiſſimam ducere: perfectiſſima autem vita eſt contemplatiua.

Ad vitam autem contemplatiuam maximè competit ſolitudo,
Oſee. 2. v. 14. ſecũdùm illud, *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*; ergo.

Dicendum quòd conuerſatio Chriſti talis debuit eſſe, vt conueniret fini incarnationis, ſecundùm quam venit in mundum. Venit autem in mundum, *primò* quidem, ad manifeſtandam veritatem, ſicut
Ioan. 18 v. 37. ipſe dicit, *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.*

Et ideo non debebat ſe occultare, vitam ſolitariam agens, ſed in publicum procedere, publicè prædicando. Vnde dixit illis qui volebant eum detinere, *Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei; quia ideo miſſus ſum.* Luc. 4. v. 43.

Secundò, venit ad hoc, vt homines à peccato liberaret, ſecundùm illud, *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* 1. Tim. 1 v. 15. Et ideo licet in eodem loco manendo poſſet Chriſtus ad ſe omnes attrahere, vt eius prædicationem audirent; non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum, vt perambulemus, & requiramus pereuntem, ſicut paſtor ouem perditam, & medicus accedit ad infirmum.

Tertiò, venit, *Vt per ipſum habeamus acceſſum ad Deum*, vt dicitur. Rom. 5 v. 2. Et ideo familiariter cum hominibus conuerſando, conueniens fuit vt omnibus fiduciam daret ad ſe accedendi. Vnde dicitur, *Factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce* Matt. 9. v. 10. *multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu & diſci-*

Digitized by Google

pulis eius.

Ad 1. R. quòd Chriſtus per humanitatem ſuam voluit manifeſtare diuinitatem. Et ideo conuerſando cum hominibus (quod eſt proprium hominis) manifeſtauit omnibus ſuam diuinitatem, prædicando & miracula faciendo, & innocenter, & iuſtè inter homines conuerſando.

Vitæ contẽplatiuæ & actiuæ cõparatio. Ad 2. R. quòd vita contemplatiua ſimpliciter eſt melior quàm actiua, quæ occupatur circa corporales actus. Sed vita actiua ſecundùm quam aliquis prædicando & docendo contemplata alijs tradit, eſt perfectior quàm vita, quæ ſolùm contemplatur; quia talis vita præſupponit abundantiam contemplationis. Et ideo Chriſtus talem vitam elegit. *3. p. q. 40. art. 1.*

BARVCH. *Cap. 4. v. 1.*

Hic eſt liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum.

Lex vetus dicitur eſſe in æternum, ſecundùm moralia quidem ſimpliciter & abſolutè: ſecundùm cæremonialia verò, quantùm ad veritatem per ea figuratam. *1. 2. q. 103 art. 3. ad primum.*

BARVCH. *Cap 6. v. 30.*

Sacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam.

Explicatur ſupra *Leuitici cap. 21. v. 5.*

Libri Baruch finis.

LIBER EZECHIELIS

CAP. I. *Verſ. 1.*

Et factum eſt in trigeſimo anno.

Explicatur ſupra *Libro 2. Regum. cap. 5. v. 4.*

EZECHI. *Cap. 2. v. 1.*

Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.

Videtur quòd ſtatus in ſui ratione non importet conditionem libertatis vel ſeruitutis; ſtatus enim à ſtando dicitur: ſed ſtare dicitur aliquis ratione rectitudinis, vt patet *in textu.*

2. Nomen ſtatus videtur importare immobilitatem, ſecundùm illud, *Stabiles eſtote & immobiles*; ergo videtur quòd ex omni *1. Cor. 15 v. 58.*

operatione virtuoſa aliquis ſtatum adipiſcatur.

3. Nomen ſtatus videtur ad quandam altitudinem pertinere: nam ex hoc aliquis ſtat quòd in altum erigitur: ſed per diuerſa officia aliquis fit altior.

Similiter etiam per gradus vel ordines diuerſos diuerſimodè homines in quadam altitudine conſtituuntur; ergo ſola diuerſitas graduum, vel ordinum, vel officiorum ſufficit ad diuerſificandum ſtatum.

Dicendum quòd ſtatus propriè loquendo, ſignificat quandam poſitionis differentiam, ſecundùm quam aliquid diſponitur ſecundùm modum ſuæ naturæ, quaſi in quadam immobilitate.

Eſt enim naturale homini, vt caput eius in ſuperiora tendat, & pedes in terra firmentur, & cætera membra media conuenienti ordine diſponantur. Quodquidem non accidit, ſi homo jaceat, vel accumbat; ſed ſolùm quando erectus ſtat. Nec rurſus ſtare dicitur, ſi moueatur, ſed quando quieſcit.

Stare & ſtatus explicantur. Et inde eſt quòd etiam in ipſis actionibus humanis dicitur negotium aliquem ſtatum habere, ſecundùm ordinem propriæ diſpoſitionis cum quadam immobilitate ſeu quiete.

Vnde & circa homines ea, quæ de facili circa eos variantur, & extrinſeca ſunt; non conſtituunt ſtatum; putà, quòd aliquis ſit diues, vel pauper in dignitate conſtitutus, vel plebeius, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi. Vnde & in iure ciuili dicitur, quòd ei qui à ſenatu amouetur, magis dignitas quàm ſtatus aufertur.

Sed ſolùm id videtur ad ſtatum hominis pertinere quod reſpicit obligationem perſonæ hominis, prout ſcilicet aliquis eſt ſui iuris vel alieni. Et hoc non ex aliqua cauſa leui, vel de facili mutabili; ſed ex aliquo permanente. Et hoc eſt quod pertinet ad rationem libertatis vel ſeruitutis.

Vnde ſtatus pertinet propriè ad libertatem vel ſeruitutem, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in ciuilibus.

Ad 1. R. quòd rectitudo, inquantum hujuſmodi, non pertinet ad rationem ſtatus; ſed ſolùm inquantum eſt connaturalis homini, ſimul additâ quadam quiete.

Vnde in alijs animalibus non requiritur rectitudo ad hoc, quòd ſtare dicantur. Nec etiam homines ſtare dicuntur, quantumcumque ſint recti, niſi quieſcant.

Ad 2. R. quòd immobilitas non ſufficit ad rationem ſtatus: nam etiam ſedens, vel jacens quieſcit; qui tamen non dicitur ſtare.

Ad 3. R. quòd officium dicitur per comparationem ad actum: gradus autem dicitur ſecundùm ordinem ſuperioritatis & inferioritatis. Sed ad ſtatum requiritur immobilitas, in eo quod pertinet ad conditionem perſonæ. 2. 2. *q. 183. art. 1.*

Idem locus explicatur ſupra *Libro. 1. Regum cap. 7. v. 7.*

EZECHI. *Cap. 2. v. 6.*

Ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas.

ARrguitur, nihil quod in lege diuina mandatur eſt peccatum;

tum; quia, *Lex Domini immaculata conuertens animas*: ſed timor mandatur in lege Dei, dicitur enim *Serui, obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore*; ergo timor non eſt peccatum.

Pſal. 18. *v.* 8.

Eph. 6. *v.* 5.

2. Nihil quod naturaliter ineſt homini eſt peccatum; quia peccatum eſt contra naturam: ſed timere eſt homini naturale; ergo timor non eſt peccatum.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Et Dominus, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*.

Matt. 10 *v.* 28.

Dicendum quòd aliquid dicitur eſſe peccatum in actibus humanis propter inordinationem; nam bonum actus humani in ordine quodam conſiſtit. Eſt autem hic debitus ordo, vt appetitus regimini rationis ſubdatur.

Ratio autem dictat aliqua eſſe proſequenda. Et inter fugienda quædam dictat eſſe magis fugienda, quàm alia. Et ſimiliter etiam inter proſequenda, quædam dictat eſſe magis proſequenda, quàm alia: & quantùm eſt bonum proſequendum, tantùm eſt aliquod oppoſitum malum fugiendum. Inde eſt quòd ratio dictat quædam bona magis eſſe proſequenda, quàm quædam mala fugienda.

Quando timor eſt peccatum.

Quando ergo appetitus fugit ea quæ ratio dictat eſſe ſuſtinenda, ne deſiſtat ab alijs quæ magis proſequi debet, timor inordinatus eſt, & habet rationem peccati.

Quando autem appetitus timendo refugit id quod eſt ſecundùm rationem fugiendum, tunc appetitus non eſt inordinatus, nec peccatum.

Ad 1. R. quòd timor ille ad quem inducit Apoſtolus, eſt conueniens rationi, vt ſcilicet ſeruus timeat ne deficiat in obſequijs, quæ Domino debet impendere.

Ad 2. R. quòd mala quibus homo reſiſtere non poteſt, & ex quorum ſuſtinentia nihil boni prouenit homini; ratio dictat eſſe fugienda: & ideo timor talium non eſt peccatum. *2. 2. q.* 125. *art.* 1.

Ezech. 1. *Cap.* 3. *v.* 8.

Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.

PRincipium fortitudinis eſt in corde, ſed ſignum apparet in fronte, vt patet *in textu*. Et ideo ſacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſeipſo confirmatur, pertinet ad cor; ſecundùm illud, *Panis cor hominis confirmet*. Sed ad ſacramentum confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios: & ideo exhibetur in fronte. *3. p. q.* 72. *art.* 9. *ad ſecundum*.

Pſ. 103. *v.* 15.

Fortitu- confirmatio- n[i]s & Euchariſtiæ quomodo differunt.

Idem locus citatur *In quæſt. diſp. q.* 12. *de verit. art.* 13. *in corpore*.

Ezech. 1. *Cap.* 3. *v.* 17.

Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël &c.

VIdetur quòd pueri Iudæorum ſint baptizandi inuitis parentibus; majus enim eſt vinculum matrimoniale, quàm jus paternæ poteſtatis; quia paterna poteſt per hominem ſolui, cùm filiusfamilias emancipatur: vinculum autem matrimoniale non poteſt ſolui per hominem, ſecundùm illud, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*.

Mat. 19 *v.* 6.

Sed propter infidelitatem ſolui-

Digitized by Google

tur vinculum matrimoniale ; dicit enim Apoſtolus, *Quòd ſi infidelis diſcedat ; non enim ſeruituti eſt ſubjectus frater aut ſoror in huiuſmodi* ; ergo multò magis propter infidelitatem tollitur jus paternæ poteſtatis. (1 Cor. 7. v. 15.)

Sic ergo infideles Iudæi non habent jus paternæ poteſtatis in ſuos filios ; poſſunt ergo eorum filij baptizari eis inuitis.

2. Magis debet homini ſubueniri contra periculum mortis æternæ, quàm contra periculum mortis temporalis : ſed ſi aliquis videret hominem in periculo mortis temporalis, & ei non ferret auxilium, peccaret.

Cùm ergo pueri Iudæorum infidelium ſint in periculo mortis æternæ, ſi parentibus relinquantur, qui eos in ſua infidelitate informāt, videtur quòd ſint eis auferendi & baptizandi, & in fide inſtruendi.

3. Filij ſeruorum ſunt ſerui, & in poteſtate dominorum : ſed Iudæi ſunt ſerui regum & principum ; ergo & filij eorum. Reges ergo & principes habent poteſtatem de filijs Iudæorum facere quod voluerint ; nulla ergo eſſet injuria, ſi baptizarentur inuitis parentibus.

4. Quilibet homo magis eſt Dei, à quo habet animam, quàm patris carnalis, à quo habet corpus ; non eſt ergo iniuſtum, ſi pueri Iudæorum carnalibus parentibus auferantur, & Deo per baptiſmum conſecrentur.

5. Baptiſmus eſt efficacior ad ſalutem quàm prædicatio ; quia per baptiſmum ſtatim tollitur peccati macula, & reatus pœnæ, & aperitur janua cœli : ſed ſi periculum ſequatur ex defectu prædicationis, imputatur ei qui non prædicauit, vt patet *in textu*. Et, *De eo qui videt gladium venientem, & non inſonuerit tubâ* ; ergo multò magis ſi pueri Iudæorum damnentur propter defectum baptiſmi, imputatur ad peccatum eis qui potuerunt baptizare, & non baptizauerunt. (*Ezech. 33. v. 6.*)

Eccleſiæ cō ſuetudo omnibus doctoribus præferéda.

Dicendum, quòd maximam auctoritatem habet Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda ; quia & ipſa doctrina catholicorum doctorum ab Eccleſiæ conſuetudine auctoritatem habet : vnde magis eſt ſtandum conſuetudini Eccleſiæ, quàm vel auctoritati Aug. vel Hier. vel cujuſcumque doctoris.

Iudæorum, & paganorū filij non ſunt inuitis parentibus baptizandi.

Hoc autem Eccleſiæ vſus nunquam habuit, quòd Iudæorum filij inuitis parentibus baptizarentur ; quamuis fuerint retroactis temporibus multi Catholici principes potentiſſimi, vt Conſtantinus, Theodoſius, & alij plures, quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, vt Sylueſter Conſtantino, & Ambroſius Theodoſio ; qui hoc nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi.

Et ideo, periculoſum hanc aſſertionem de nouo inducere, vt præter conſuetudinem in Eccleſia hactenus obſeruatam Iudæorum filij inuitis parentibus baptizentur.

Et hujus ratio eſt duplex ; vna quidem propter periculum fidei : ſi enim pueri nondum vſum rationis habentes, baptiſmum ſuſciperent ; poſtmodum cùm ad perfectam ætatem peruenirent, de facili poſſent à parentibus induci

Digitized by Google

vt relinquerent, quod ignorantes ſuſceperunt; quod verteretur in fidei detrimentum.

Alia verò ratio eſt, quia repugnat iuſtitiæ naturali: filius enim naturaliter eſt aliquid patris. Et primò quidem, à parente non diſtinguitur ſecundùm corpus, quandiu in matris vtero continetur. Poſtmodùm verò poſtquam ex vtero egreditur, antequam vſum liberi arbitrij habeat, continetur ſub parentum cura, ſicut ſub quodam ſpirituali vtero. Quandiu enim vſum rationis non habet puer, non differt quantùm ad ea quæ agit ab animali irrationali.

Vnde ſicut bos, vel equus iure gentium vel ciuili, eſt poſſeſſoris, vt vtatur eo cùm voluerit, ſicut proprio inſtrumento; ita de iure naturali eſt, quòd filius antequam habeat vſum rationis, ſit ſub cura patris: vnde contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequam haberet vſum liberi arbitrij, à cura parentum ſubtrahatur; vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus.

Poſtquam autem incipit habere vſum liberi arbitrij, jam incipit eſſe ſuus, & poteſt, quantùm ad ea quæ ſunt juris diuini, vel naturalis ſibi ipſi prouidere; & tunc eſt inducendus ad fidem, non coactione, ſed perſuaſione: & poteſt etiam, inuitis parentibus, conſentire fidei, & baptizari; non autem antequam habeat vſum rationis.

Vnde de pueris antiquorum patrum dicitur, quòd ſaluabantur in fide parentum; per quod datur intelligi, quòd ad parentes pertinet prouidere filijs de ſua ſalute, præcipuè antequam habeant vſum rationis.

Ad 1. R. quòd in vinculo matrimonij, vterque conjugum habet vſum liberi arbitrij, & vterque poteſt inuito altero fidei aſſentire. Sed hoc non habet locum in puero, antequam habeat vſum rationis: ſed poſtquam habet vſum rationis, tunc tenet ſimilitudo, ſi conuerti voluerit.

Ad 2. R. quòd à temporali morte non eſt aliquis eripiendus contra ordinem iuris ciuilis. putà ſi aliquis à ſuo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter eripere. Vnde nec aliquis debet irrumpere ordinem iuris naturalis, quo filius eſt ſub cura patris, vt eum liberet à periculo mortis æternæ.

Ad 3. R. quòd Iudæi ſunt ſerui principum ſeruitute ciuili, quæ non excludit ordinem iuris naturalis, vel diuini.

Ad 4. R. quòd homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoſcere poteſt: vnde puer antequam vſum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curæ naturaliter ſubjacet, & ſecundùm eorum diſpoſitionem ſunt circa ipſum diuina agenda.

Ad 5. R. quòd periculum quod ſequitur ex prædicatione omiſſa, nulli imminet, niſi ei, cuj eſt commiſſum prædicationis officium, vt patet *in textu*.

Prouidere autem pueris infidelium de ſacramentis ſalutis, pertinet ad parentes eorum: vnde eis imminet periculum propter ſubtractionem ſacramentorum, ſi eorum paruuli detrimentum ſalutis

Digitized by Google

patiantur. *Quodlib. 2. art. 7. ſimi-mile 2. 2. q. 10. art. 12.*

Idem locus explicatur ſupra *Sapientia cap. 11. v. 25. vid. in quæſt. diſput. q. de correctione fraterna art. 1. ad ſextum.*

EZECHI. *Cap.* 4. *v.* 6.

Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.

ARguitur, dicitur quòd mulier (per quam Eccleſia ſignificatur) *Habet locum paratum à Deo, in quo paſcatur diebus mille ducentis ſexaginta.* Etiam ponitur quidam determinatus numerus dierum, per quos anni ſignificari videntur, vt patet *in textu*; ergo ex ſacra ſcriptura poteſt ſciri determinatè finis mundi, & reſurrectionis tempus.

Apo. 12. v. 6.

Dan. 12. v. 7.

Ad argum. R. quòd per mille ducentos ſexaginta dies, de quibus fit mentio, ſignificatur omne tempus, in quo Eccleſia durat, & non determinatus aliquis numerus annorum. Et hoc ideo, quia prædicatio Chriſti, ſuper quam fundatur Eccleſia, durauit tribus annis cum dimidio; quod tempus ferè continet æqualem numerum dierum numero prædicto.

Apo 12. v. 6.

Et ſimiliter etiam numerus eorum qui in Daniele ponitur, non eſt referendus ad numerum aliquem annorum, qui ſint vſque ad finem mundi, vel vſque ad prædicationem Antichriſti; ſed debet referri ad tempus quo prædicabit Antichriſtus, & quo perſecutio eius durabit. *Lib. 4. ſent. diſt. 43. art. 3. q. 2. ad ſecundum. & ſupplem. q. 77. art. 2. ad ſecundum.*

EZECHI. *Cap.* 8. *v.* 3.

Eleuauit me ſpiritus inter terram & cœlum, & adduxit me in Hieruſalem in viſionibus Domini.

CVm aliqua apparitio per modum viſionis debeat intelligi, ponuntur aliqua verba ad viſionem pertinentia, vt patet *in textu.* Vnde patet quòd illa quæ fieri ſimpliciter narrantur, ſimpliciter etiam intelligi debent eſſe geſta.

Sic autem legitur de pluribus apparitionibus in veteri Teſtamento. Vnde ſimpliciter concedendum eſt quòd Angeli quandoque corpus aſſumunt, formando corpus ſenſibile, exteriori ſiue corporali viſione ſubjectum. Sicut & quandoque aliquæ ſpecies in imaginatione formando apparent ſecundùm imaginariam viſionem.

Hoc autem conueniens eſt propter tres rationes: primò quidem & principaliter, quia omnes illæ apparitiones veteris Teſtamenti, ad illam apparitionem ordinantur, in qua filius Dei viſibilis mundo apparuit. Vnde cùm filius Dei verum corpus aſſumpſerit, conueniens fuit vt etiam vera corpora aſſumendo, Angeli hominibus apparerent.

Cur Angeli hominibus apparuerunt in corporibus aſſūptis.

Secundò, quia cùm Angeli hominibus appareant ad eos perficiendos; conueniens eſt vt non ſolùm intellectum illuminent per intellectualem viſionem, ſed quòd etiam imaginationi prouideant, & exteriori ſenſui, per imaginariam viſionem, & per corporalem viſionem, corporum ſcilicet aſſumptorum.

913

Tertia ratio poteſt eſſe, quia etſi Angeli naturâ ſint nobis ſuperiores per gratiam; tamen adipiſcimur eorum æqualitatem & ſocietatem, ſicut habetur, *Erunt ſicut Angeli in cœlo.* Matt. 22 v. 30.

Et ideo vt ſuam familiaritatem & affinitatem ad nos oſtendant, nobis ſuo modo per corporum aſſumptionem conformantur; vt quod noſtrum eſt accipientes, noſtrum intellectum in illud aſſurgere faciant, quod proprium eſt ipſorum. Sicut & filius Dei, dum ad nos deſcendit, ad ſua nos eleuauit.

Dæmones autem quando, in Angelos lucis ſe transfigurant, quod boni Angeli ad noſtrum profectum faciunt, ipſi ad deceptionem facere moliuntur.

Nota quòd non omne corpus quod mouet Angelus aſſumit; aſſumere enim dicitur, quaſi ad ſe ſumere. Aſſumit ergo Angelus corpus, non vt ſuæ naturæ vniat, ſicut homo aſſumit cibum; neque vt vniat ſuæ perſonæ, ſicut filius Dei aſſumpſit humanam naturam; ſed ad ſuam repræſentationem, illo modo quo intelligibilia per ſenſibilia repræſentari poſſunt.

Quãdo Angelus corpus aſſumere dicitur. Tunc ergo Angelus corpus aſſumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, quod ad repræſentationem ſuam eſt aptum, id eſt, quando per corporales formas, Angelorum proprietates intelliguntur. *In quæſt. diſp. q. 6. de potentia art. 7. in corpore.*

Spiritus eleuauit me inter cœlum & terram. Raptus violentiam quandam importat. Violentum autem dicitur cujus principium eſt extra, nihil conferente eo quod vim patitur. Confert autem vnumquodque ad id in quod tendit ſecundùm propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem. Violenti deſcriptio.

Et ideo oportet quòd ille qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur in aliquid quod eſt diuerſum ab eo in quod eius inclinatio tendit.

Quæquidem diuerſitas attenditur dupliciter; vno quidem modo, quantùm ad finem inclinationis, putà ſi lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc quòd feratur deorſum, proijciatur ſurſum.

Alio modo, quantùm ad modum tendendi, putà ſi lapis velociùs proijciatur deorſum, quàm ſit motus eius naturalis.

Sic igitur & anima hominis dicitur rapi in id quod eſt præter naturam: vno modo, quantùm ad terminum raptus, putà quando rapitur ad pœnas, ſecundùm illud, *Nequando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Raptus animæ deſcriptio. Pſal. 49 v. 22.

Alio modo, quantùm ad modum homini connaturalem, qui eſt vt per ſenſibilia intelligat veritatem. Et ideo quando abſtrahitur à ſenſibilium apprehenſione, dicitur rapi; etiam ſi eleuetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur.

Dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, ſicut accidit in ſomno qui eſt ſecundùm naturam: vnde non poteſt propriè raptus dici.

Hujuſmodi autem abſtractio ad quæcumque fiat, poteſt ex triplici cauſa contingere: vno modo ex cauſa corporali; ſicut accidit in jis qui propter aliquam infirmitatem, alienationem patiuntur.

Secundò modo, ex virtute dæ-

Digitized by Google

monum ; ſicut patet in arreptitijs.

Tertio modo, ex virtute diuina: & ſic loquimur nunc de raptu, prout ſcilicet aliquis ſpiritu diuino eleuatur ad aliquâ ſupernaturalia cum abſtractione à ſenſibus, vt patet *in textu*.

Sciendum tamen quòd rapi quandoque dicitur aliquis, non ſolùm propter alienationem à ſenſibus ; ſed etiam propter alienationem ab his quibus intendebat : ſicut cùm aliquis patitur euagationem mentis præter propoſitum. Sed hoc non ita propriè dicitur. *2. 2. q. 175. art. 1. in corpore.*

Idem locus citatur *2. 2. q. 175. art. 6. in corpore.*

Ezechi. Cap. 8. v. 16.

Habebant dorſa contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum ſolis.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 26. v. 1.*

Ezechi. Cap. 9. v. 9.

Dereliquit Dominus terram.

1. Cor. 9. v. 9. ARguitur, Apoſtolus dicit, *Quòd non eſt cura Deo de bobus*: ſed vnicuique eſt cura eorum quæ gubernantur ab ipſo; non ergo omnia ſubduntur diuinæ gubernationi.

2. Illud quod ſeipſum gubernare poteſt, non videtur alterius gubernatione indigere: ſed creatura rationalis ſeipſam gubernare poteſt, cùm habeat dominium ſui actus, & per ſe agat, & non ſolùm agatur ab alio, quod videtur eſſe eorum quæ gubernantur ; ergo non omnia ſunt diuinæ gubernationi ſubdita.

Dicendum quòd ſecundùm eandem rationem competit Deo eſſe gubernatorem rerum, & cauſam rerum ; quia eiuſdem eſt rem producere, & ei perfectionem dare ; quod ad gubernantem pertinet.

Deus autem eſt cauſa, non quidem particularis vnius generis rerum, ſed vniuerſalis totius entis. Vnde ſicut nihil poteſt eſſe quod non ſit à Deo creatum ; ita nihil poteſt eſſe quod eius gubernationi non ſubdatur.

Patet etiam hoc idem ex ratione finis : intantum enim alicujus gubernatio ſe extendit, inquantum ſe extendere poteſt finis gubernationis.

Finis autem diuinæ gubernationis eſt ipſa ſua bonitas. Vnde cùm nihil eſſe poſſit quod non ordinetur in diuinam bonitatem ſicut in finem ; impoſſibile eſt quòd aliquod entium ſubtrahatur gubernationi diuinæ. Deus gubernat omnia.

Stulta igitur fuit opinio dicentium, quòd hæc inferiora corruptibilia, vel etiam ſingularia, aut etiam res humanæ, non gubernantur à Deo : ex quorum perſona dicitur in textu, *Dereliquit Dominus terram.*

Ad 1. R. quòd gubernatio eſt quædam mutatio gubernatorum à gubernante : omnis autem motus eſt actus mobilis à mouente. Omnis autem actus proportionatur ei cujus eſt actus : & ſic oportet quòd diuerſa mobilia diuerſimodè moueantur, etiam ſecundùm motionem vnius motoris.

Sic igitur ſecundùm vnam ar-

Digitized by Google

rem Dei gubernantis, res diuerſimodè gubernantur, ſecundùm earum diuerſitatem.

Quædam enim ſecundùm ſuam naturam ſunt per ſe agentia, tanquam habentia dominium ſui actus.

Et iſta gubernantur à Deo, non ſolùm per hoc quòd mouentur ab ipſo Deo in eis interiùs operante; ſed etiam per hoc quòd ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo per præcepta & prohibitiones, præmia, & pœnas.

Hoc autem modo non gubernantur à Deo creaturæ irrationales, quæ tantùm aguntur & non agunt.

Cùm ergo Apoſtolus dicit quòd *Deo non eſt cura de bobus*; non totaliter ſubtrahit boues à cura gubernationis diuinæ; ſed ſolùm quantùm ad modum qui propriè competit rationali creaturæ.

Ad 1. R. quòd creatura rationalis gubernat ſeipſam per intellectum & voluntatem, quorum vtrumque indiget regi & perfici ab intellectu & voluntate Dei.

Et ideo ſupra gubernationem, qua creatura rationalis gubernat ſeipſam tanquam domina ſui actus, indiget gubernari à Deo. 1. *p. q.* 103. *art.* 5. *ſimile contra Gentiles lib.* 3. *cap.* 75. *vid. ſupra Deuteron. cap.* 30. *v.* 15.

EZECHI. *Cap.* 13. *v.* 3.

Væ prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.

Explicatur ſupra *Lib.* 1. *Regum cap.* 9. *v.* 9.

EZECHI. *Cap.* 13. *v.* 5.

Non aſcendiſti ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël.

Videtur quòd religioſi non debeant tolerare ſuos impugnatores; in impugnatione enim perfectorum virorum Deus impugnatur; vnde Dominus Saulo perſequenti diſcipulos Chriſti, dixit, *Saule, Saule quid me perſequeris?* Sed perfecti viri non debent impugnatores Dei tolerare; ergo neque impugnatores proprios. *Act.* 9. *v.* 4.

2. Quilibet perfectus debet obuiare his quæ ſtatui perfectionis præjudicant. Vnde Apoſtolus dicit, *Vt non vituperetur miniſterium noſtrum*: ſed per hoc quòd perfecti impugnantur, ſtatui perfectionis derogatur; ergo perfecti viri non debent tolerare ſuos impugnatores. *1. Cor* 6 *v.* 3.

Dicendum quòd perfecti viri dupliciter impugnari poſſunt: vno quidem modo quantùm ad perſonas proprias, vt potè cùm inferuntur eis iniuriæ perſonales.

Alio modo poſſunt impugnari, quantùm ad ſtatum eorum, vt puta, cùm aliquis verbis vel factis perfectionis ſtatui derogat.

Et hæc duo tanguntur, *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos?* Quod pertinet ad perſonales injurias. *Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod inuocatum eſt ſuper vos?* Quod pertinet ad religionem, vel ſtatum. *Iac.* 2. *v.* 6. *Iac* 2. *v.* 7.

In injurijs ergo perſonalibus decet perfectos viros eſſe maximè patientes, vt ſint etiam parati plura ſufferre, ſecundùm illud, *Si quis*

Digitized by Google

Matt. 5. v. 39. *percuſſerit te in dextra maxilla, præbe ei alteram.*

Statum verò ſuum impugnari, non debent pati, quantùm reſiſtere poſſunt, hoc enim vergeret in iniuriam Dei, vt patet *in textu*. Et ideo Dominus injurias quæ contra humanitatem eius inferebantur patienter tolerauit, ſicut
Matt. 11. v. 19. cùm Iudæi dicebant, *Ecce homo vorax & potator vini.* Et ſicut diabolus dixit ei, *Mitte te deorſum*;
Matt. 4. v. 6. quod videbatur ad propriam injuriam pertinere.

Sed injurias Dei non tolerabat: vnde Phariſæos rudè redarguit, quia dicebant quòd, *In Beelzebub*
Matt. 12. v. 24. *eiiceret dæmonia*; quòd pertinebat ad injurias Spiritus ſancti.

Et ſimiliter cùm diabolus ei di-
Matt. 4. v. 9. xit, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*, quod ad iniuriam Dei pertinebat; ſtatim enim eum repulit dicens, *Vade Satana.*

Iniuriæ nobis factæ tolerandæ non alijs.

Et per hoc patet reſponſio ad objecta. *Quodlib.* 5. *art.* 26.

Ezechi. *Cap.* 13. *v.* 19.

Violant ad me populum meum.

Quomodo falſi Prophetæ diſtinguntur à veris.

FAlſi prophetæ diſtinguuntur à veris quantùm ad tria minùs: *primò*, quantùm ad reuelationis auctorem; quia boni Prophetæ futura prædicunt diuino lumine, mediantibus bonis Angelis inſpirati.

Sed falſi Prophetæ vel ſequuntur Spiritum ſuum nihil videntes, ſed mendacia confingentes, vel per reuelationem immundi Spiritus.

Secundò, quantùm ad intentionem prænuntiationis; quia falſorum Prophetarum finis, eſt aliquod lucrum temporale. Vnde dicitur, *in textu*, *Violant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis.*

Vel ſaltem ipſius dæmonis reuelatis intentio peruerſa eſt, qui deceptionem intendit. Sed Prophetarum bonorum rota intentio in rectum finem ordinatur.

Tertiò, quantùm ad certitudinem prænuntiatorum; quia bonorum prophetia innititur diuinæ præſcientiæ, quæ omnium futurorum euentus intuetur.

Sed prænuntiatio malorum prophetarum innititur præſcientiæ dæmonum, quæ conjecturalis eſt. *Lib.* 2. *ſent. diſt.* 7. *q.* 2. *art.* 2. *ad ſecundum.*

Ezechi. *Cap.* 16. *v.* 9.

EXplicatur ſupra *Iob cap.* 4. *v.* 4.

Ezechi. *Cap.* 3. *v.* 22.

Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo.

ARguitur, honeſtum eſt idem virtuti: ſed aliquis decor contrariatur virtuti; vt patet *in textu*; ergo honeſtum non eſt idem decoro.

Ad argum. R. quòd objectio illa procedit de pulchritudine corporali Quamuis poſſit dici quòd etiam propter pulchritudinem ſpiritualem aliquis ſpiritualiter fornicatur, inquantum de ipſa honeſtate ſuperbit, ſecundùm illud, *E-* Ezech. 28. v. 17.
leuatum eſt cor tuum in decore tuo; perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. 2. 2. *q.* 145. *art.* 2. *ad tertium.*

EZECH. *Cap. 16. v. 25.*

Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.

EXplicatur ſupra *Libro 1. Regum cap. 15. v. 17. bis.*

EZECH. *Cap. 16. v. 44.*

Sicut mater, ita & filia.

ARguitur, blaſphemia quæ eſt filia iræ, ſecundùm Grego. eſt grauiſſimum peccatorum; ergo ira eſt grauius peccatum omnibus alijs vitijs.

Ad argum. R. quod quia malum nihil cauſat niſi virtute boni, in proceſſu peccatorum proceditur ab eo quod habet magis ſpeciem boni: & ideo plerumque ex minoribus peccatis homo perducitur in majora. Vnde non oportet quòd ira ſit tantæ quantitatis, ſicut blaſphemia. *In quæſt. diſp. q. 12. de malo art. 4. ad ſextum.*

EZECH. *Cap. 16. v. 51.*

Sceleratiora feciſti illis in omnibus vijs tuis.

NEque omnia bona opera, neque omnia peccata ſunt paria; quia conſilium non datur niſi de meliori bono: dantur autem conſilia in lege diuina de paupertate, continentia, & alijs hujuſmodi, vt patet, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia &c.* Et, *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do &c.* *Matt. 19 v. 21. 1. Cor. 7. v. 25.*

Hæc igitur meliora ſunt quàm matrimonio vti, & temporalia poſſidere: ſecundùm quæ tamen contingit virtuoſè agere, ordine rationis ſeruato; non igitur omnes actus virtutum ſunt pares.

Præterea, ſi ex virtute actus hominis boni redduntur, contingit autem intentionem etiam eandem majorem eſſe in vno quàm in alio; oportet ergo quòd humanorum actuum ſit vnus alio melior.

Item, ſi ex virtutibus actus humani boni redduntur, oportet meliorem eſſe actum qui eſt melioris virtutis: contingit autem virtutem vnam alterâ meliorem eſſe, putà magnificentiam liberalitate, & magnanimitatem moderantiâ; erit igitur humanorum actuum vnus alio melior.

Hinc eſt quod dicitur, *Qui matrimonio iungit virgines ſuas, bene facit; qui autem non iungit melius facit.* *1. Cor. 7. v. 38.*

Et eiſdem etiam rationibus apparet quòd non omnia peccata ſunt paria; cùm per vnum peccatum magis diſcedatur à fine quàm per aliud; & magis peruertatur ordo rationis, & majus nocumentum proximo inferatur, vt patet in textu. *Contra Gentiles lib. 3. cap. 136.*

EZECH. *Cap. 18. v. 4.*

Omnes animæ meæ ſunt; vt anima patris, ita & anima filij mea eſt.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap. 3. v. 12. & libro 2. Regum cap. 24. v. 17.*

EZECH. *Cap. 18. v. 4.*

Anima quæ peccauerit ipſa morietur.

ERgo eadem ratione anima quæ operatur, ipſa præmiabitur; & ita videtur quòd Chriſtus

nobis mereri non potuit.

Ad argum. R. quòd membra & caput ad eandem perſonam pertinent: vnde cùm Chriſtus fuerit caput noſtrum propter diuinitatem, & plenitudinem gratiæ in alios redundantem; nos autem ſumus membra eius, meritum ſuum non eſt extraneum à nobis, ſed in nos redundat, propter vnitatem corporis myſtici. *Lib. 3. ſent diſt. 18. q. 1. art. 6. ad ſecundum. ſimile lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 18. art. 2.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap 20. v. 6. & Pſalm. 61. v. 13.*

EZECH. *Cap. 18. v. 8.*

Vir qui ad vſuram non commodauerit, qui iudicium fecerit inter virum & virum.

Explicatur ſupra *Pſalm. 14, v. 5. vid. 1. 2. q. 104. art. 1. & 2. 2. q. 78. art. 2.*

EZECH. *Cap 18. v. 20.*

Filius non portabit iniquitatem patris.

Videtur quòd illegitimi filij, non debeant ex hoc aliquod damnum reportare; quia, *Filius non debet puniri pro peccato patris*: ſed quòd iſta naſcatur ex illicito coitu non eſt peccatum proprium, ſed peccatum patris.

Illegitimus filius quomodo dãnum incurrit. Dicendum quòd aliquis dicitur damnum ex aliquo incurrere dupliciter. Vno modo per hoc quòd ei ſubtrahitur, quod erat ei debitum; & ſic filius illegitimus nullum damnum incurrit. Alio modo per hoc quod ei aliquid non eſt debitum, quod alias poterat eſſe ei debitum: & ſic filius illegitimus damnum incurrit duplex. Vnũ quia non admittitur ad actus legitimos, ſicut ad officia vel dignitates, quæ requirunt aliquam honeſtatem in illis qui hoc exercent. Aliud damnum incurrit, quia non ſuccedit in hæreditate paterna. Sed incurrere damnum hoc ſecundo modo, non eſt pœna: & ideo non dicimus quòd ſit pœna alicui, quòd non ſuccedit in regno aliquo, per hoc quòd non eſt filius regis. Et ſimiliter non eſt pœna, quòd alicui, qui non eſt legitimus, non debentur ea quæ ſunt legitimorum filiorum. *Lib. 4. ſent. diſt. 41. q. 1. art. 3. q. 2. & ſupplem. q. 68. art. 2.*

Filius non portabit iniquitatem patris. Arguitur, portaret filius iniquitatem patris, ſi pro peccato primi hominis hi qui ab eo naſcuntur damnarentur; non ergo peccatum in poſteros Adæ traducitur propter eius peccatum.

Ad argum. R. quòd peccatum primi hominis eſt quodammodo peccatum commune totius humanæ naturæ: & ideo cùm aliquis punitur pro peccato primi parentis, non punitur pro peccato alterius, ſed pro peccato ſuo. *In quaſt. diſp. q. 4. de malo art. 1. ad decimum nonum. vid. art. 8 ſed contra, & ad ſextum.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 2. v. 17. & exodi cap. 20. v. 6. vid. lib. 2. ſent. diſt. 33. art. 2. & 1. 2. q. 87. art. 8.*

Digitized by Google

916

Ezech. Cap. 18. v. 21.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis &c.

Explicatur ſupra *Eſaia cap.* 65. *v.* 16.

Ezech. Cap. 18. v. 22.

Omnium iniquitatum eius non recordabor.

Explicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 21. *v.* 1.

Ezech. Cap. 18. v. 23.

Nolo mortem peccatoris.

Videtur quòd infideles nullo modo compellendi ſunt ad fidem, quia debemus voluntatem noſtram conformare diuinæ: ſed Deus non vult mortem peccatoris, vt patet in textu; ergo etiam nos non debemus velle quòd infideles occidantur.

Luca. 14 *v.* 23. Sed contra eſt quod dicitur, *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea*: ſed homines in domum Dei, id eſt in ſanctam Eccleſiam intrant per fidem; ergo aliqui ſunt compellendi ad fidem.

Dicendum quòd infidelium quidam ſunt qui nunquam ſuſceperunt fidem, ſicut Gentiles & Iudæi: & tales nullo modo ſunt ad fidem compellendi, vt ipſi credant; quia credere voluntatis eſt.

Sunt tamen compellendi à fidelibus, ſi adſit facultas, vt fidem non impediant, vel blaſphemijs, vel malis perſuaſionibus, vel etiam apertis perſecutionibus.

Et propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum mouent; non quidem vt eos ad credendum cogant (quia ſi etiam eos viciſſent, & captiuos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent: ſed propter hoc vt eos compellant, ne fidem Chriſti impediant.

Alij verò ſunt infideles qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici; & quicumque Apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, vt impleant quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt.

Nota, quòd ſicut vouere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis; ita accipere fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam eſt neceſſitatis. Et ideo hæretici ſunt compellendi vt fidem teneant.

Ad argum. R. quòd nullus noſtrum vult aliquem hæreticum perire. Sed aliter non meruit habere pacem domus Dauid, niſi Abſalon filius eius in bello quod contra patrem gerebat fuiſſet extinctus, vt ait Aug.

Sic Eccleſia catholica ſi ex aliquorum perditione cæteros colligit, dolorem materni ſanat cordis, tantorum liberatione populorum. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8.

Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Videtur quòd deſperatio non ſit peccatum; omne enim peccatum habet conuerſionem ad commutabile bonum cum auerſione ab incommutabili bono: ſed deſperatio non habet conuerſionem ad commutabile bonum; ergo non eſt peccatum.

2. Illud quod oritur ex bona radice, non videtur eſſe peccatum;

Digitized by Google

Matt. 7 v. 18. quia, *Non poteſt arbor bona fructus malos facere*, vt dicitur: ſed deſperatio videtur procedere ex bona radice, ſcilicet ex timore Dei, vel ex horrore magnitudinis propriorum peccatorum; ergo deſperatio non eſt peccatum.

3. Si deſperatio eſſet peccatum, etiam damnatis eſſet peccatum, quòd deſperant: ſed hoc non imputatur eis ad culpam, ſed magis ad damnationem; ergo neque viatoribus imputatur ad culpam; & ita deſperatio non eſt peccatum.

Sed contra, illud per quod homines in peccata inducuntur, videtur eſſe non ſolùm peccatum, ſed principium peccatorum: ſed deſperatio eſt huiuſmodi; dicit enim Apo-
Eph. 4. v 19. ſtolus de quibuſdam, *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ & auaritiæ*; ergo deſperatio non ſolùm eſt peccatum, ſed aliorum peccatorum principium.

Dicendum quòd illud quod eſt in intellectu affirmatio vel negatio, eſt in appetitu proſecutio & fuga: & quod eſt in intellectu verum vel falſum, eſt in appetitu bonum & malum.

Et ideo omnis motus appetitiuus conformiter ſe habens intellectui vero, eſt ſecundùm ſe bonus: omnis autem motus appetitiuus conformiter ſe habens intellectui falſo, eſt ſecundùm ſe malus & peccatum.

Circa Deum autem vera exiſtimatio intellectus eſt, quod ex ipſo prouenit hominum ſalus, & venia peccatoribus datur, vt patet *in textu*.

Falſa autem opinio eſt, quòd peccatori pœnitenti veniam deneget; vel quòd peccatores ad ſe non conuertat per gratiam iuſtificantem.

Et ideo ſicut motus ſpei, qui conformiter ſe habet ad exiſtimationem veram, eſt laudabilis & virtuoſus.

Ita oppoſitus motus deſperationis, qui ſe habet conformiter exiſtimationi falſæ de Deo, eſt vitioſus & peccatum.

Ad 1. R. quòd in quolibet peccato mortali eſt quodammodo auerſio à bono incommutabili, & conuerſio ad bonum commutabile.

Sed aliter & aliter: nam principaliter conſiſtunt in auerſione à bono incommutabili peccata quæ opponuntur virtutibus Theologicis, vt odium Dei & deſperatio & infidelitas; quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto.

Ex conſequenti autem important conuerſionem ad bonum commutabile, inquantum anima deſerens Deum, conſequenter neceſſe eſt quòd ad alia conuertatur.

Peccata verò alia principaliter conſiſtunt in conuerſione ad commutabile bonum. Ex conſequenti verò in auerſione ab incommutabili bono.

Non enim qui fornicatur intendit à Deo recedere, ſed delectatione carnali frui; ex quo ſequitur quòd à Deo recedat.

Ad 2. R. quòd ex radice virtutis poteſt aliquid procedere dupliciter: vno modo directè, ex parte ipſius virtutis, ſicut actus procedit ex habitu.

Et hoc modo ex virtuoſa radice, non poteſt aliquod peccatum

Digitized by Google

procedere; hoc enim ſenſu Aug. dicit quòd virtute nemo malè vtitur.

Alio modo procedit aliquid ex virtute indirectè, ſiue occaſionaliter: & ſic nihil prohibet aliquod peccatum ex aliqua virtute procedere; ſicut interdum aliqui de virtutibus ſuperbiunt.

Et hoc modo ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit deſperatio; inquantum his bonis aliquis malè vtitur, occaſionem ab eis accipiens deſperandi.

Ad 3. R. quòd damnati non ſunt in ſtatu ſperandi propter impoſſibilitatem reditus ad beatitudinem, Et ideo quòd non ſperant, non imputatur eis ad culpam, ſed eſt pars damnationis ipſorum.

Sicut etiam in ſtatu viæ, ſi quis deſperaret de eo quòd non eſt natus adipiſci, vel quod non eſt debitum adipiſci, non eſſet peccatum: putà ſi medicus deſperet de curatione alicujus infirmi: vel ſi aliquis deſperet ſe fore diuitias adepturum. 2. *2. q.* 20. *art.* 1.

Matt. 13 *v.* 29. *Nolo mortem peccatoris*. Videtur quòd non ſit licitum occidere homines peccatores: Dominus enim in parabola prohibuit extirpare zizania, qui ſunt filij nequam, vt ibidem dicitur; ſed omne quod eſt prohibitum à Deo eſt peccatum; ergo occidere peccatorem eſt peccatum.

2. Iuſtitia humana conformatur iuſtitiæ diuinæ: ſed ſecundùm diuinam iuſtitiam peccatores ad pœnitentiam reſeruantur, vt patet *in textu*; ergo videtur omnino eſſe iniuſtum, quòd peccatores occidantur,

Dicendum quòd ſicut licitum eſt occidere animalia bruta, inquantum ordinantur naturaliter ad hominum vſum, ſicut imperfectum ordinatur ad perfectum. Omnis autem pars ordinatur ad totum, vt imperfectum ad perfectum; & ideo omnis pars naturaliter eſt propter totum.

Et propter hoc videmus quòd ſi ſaluti totius corporis humani expediat præciſio alicujus membri, putà cùm eſt putridum, vel corruptiuum aliorum membrorum, laudabiliter & ſalubriter abſcinditur.

Quælibet autem perſona ſingularis comparatur ad totam communitatem ſicut pars ad totum: & ideo ſi aliquis homo ſit periculoſus communitati & corruptiuus ipſius propter aliquod peccatum, laudabiliter & ſalubriter occiditur; vt bonum commune conſeruetur. *Modicum* enim *fermentum totam maſſam corrumpit.* 1 *Cor.* *v.* 6.

Ad 1. R. quòd Dominus abſtinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum, vt tritico parceretur, id eſt, bonis. Quod quidem fit quando non poſſunt occidi mali, quin ſimul occidantur & boni; vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos ſequaces; ita quòd ſine bonorum periculo interfici non poſſunt, vt Aug. dicit.

Vnde Dominus docet magis eſſe ſinendum malos viuere, & vltionem reſeruandam vſque ad extremum iudicium, quàm quòd boni ſimul occidantur.

Quando verò ex occaſione malorum non imminet periculum bonis, ſed magis tutela & ſalus,

tunc licitè poſſunt mali occidi.

Ad 2. R. quòd Deus ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ quandoque ſtatim peccatores occidit ad liberationem bonorum; quandoque autem eis pœnitendi tempus concedit, ſecundùm quod ipſe nouit ſuis electis expedire.

Et hoc etiam humana iuſtitia imitatur pro poſſe; illos enim qui ſunt pernicioſi in alios occidit; eos verò qui peccant, alijs grauiter non nocentes, ad pœnitentiam reſeruat. 2. 2. q. 64. art. 4.

EZECH. *Cap. 18. v. 24.*

Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnium quæ operatus eſt, non recordabor ampliùs.

VIdetur quòd opera in charitate facta per peccatum ſequens mortificari non poſſunt; quia quod non eſt, non poteſt mortificari: ſed opera quæ in charitate facta fuerant, tranſeunt, & poſt peccatum ſequens non ſunt; ergo non poſſunt mortificari.

2. Pœna non debet excedere culpam: ſed in aliquo qui multa bona facit ex maxima charitate, pœna culpam excederet, ſi per vnum peccatum mortale paruum fortè ex ſurreptione factum, omnia bona præcedentia perderet; ergo peccatum ſequens non mortificat omnia bona priùs in charitate facta.

3. Illud quod eſt mortuum non poteſt actum vitæ habere reſpectu alicujus: ſed opera in charitate facta, etiam poſt peccatum facientis, actum vitæ habent in alijs ſanctis; vnde dicitur *Vnus alterius coronam accipere*; ergo peccatum Apo. 3. v. 11. ſequens bona præcedentia non mortificat.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Præterea, vita operum ex vita operantis dependet: ſed per peccatum mortale ille qui opera fecerat in charitate mortificatur; ergo & opera ab ipſo facta mortificantur.

Dicendum quod illud propriè viuere apparet, quod ex ſe aliquem motum habet. Et inde vitæ nomen propriè ad illa omnia trahitur, quæ ex ſe habent operationem aliquam ſine aliquo principio extra: ſicut quæ intelligunt & ſentiunt, vel mouentur, vel appetunt, vel nutriunt. Vitæ ſigna.

Et inde eſt quòd nomen vitæ tranſſumitur ad omnia illa quæ habent debitam operationem, vel effectum: & illa quæ priuantur hæc, dicuntur mortua; ſicut dicimus aquam viuam quæ eſt in impetu ſurgendi.

Proprius autem effectus humanorum operum eſt, quòd per ea homo ad vltimum finem humanæ vitæ perueniat, ſcilicet beatitudinem.

Et ideo illa opera hominis propriè viua dicuntur, quæ hominem ad vitam æternam perducere poſſunt: illa autem mortua, quæ hoc faciendi poteſtatem amiſerunt, cùm eam priùs habuerint.

Et ideo opera bona ex charitate facta in eo qui gratiam habet, viua ſunt: in eo autem qui gratiâ caret, opera non ex charitate facta mortua ſunt.

Opera autem priùs ex charitate facta in eo qui gratiam dimittit, per peccatum mortificata ſunt; quia peccatum ſequens impedit

quòd homo per illa opera non poſſit ad vitam introduci.

Ad 1. R. quòd ſicut opera peccati tranſeunt actu, ſed manent reatu; ita opera bona in charitate facta, quamuis actu tranſeant, tamen manent in merendo; & ſecundùm hoc poſſunt mortificari.

Ad 2. R. quòd per ingratitudinem meretur homo accepta beneficia amittere; & ideò per quantumcumque paruum peccatum mortale, quo homo Deo ingratus de beneficijs perceptis fit, omnia bona præcedentia perdit, quantumcumque fuerint ad fructum vitæ æternæ; nec propter hoc pœna culpam excedit.

Ad 3. R. quòd illud quòd eſt in ſe mortuum, non poteſt reſpectu alterius actum vitæ habere. Sed accipiendo viuum metaphoricè, vt dictum eſt; nihil prohibet quod in ſe viuum eſt, reſpectu vnius eſſe viuum, & reſpectu alterius eſſe mortuum; quia reſpectu vnius habet effectum ſuum, ſed reſpectu alterius non habet propter indiſpoſitionem ipſius: ſicut oculis ægris odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis. *Lib. 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 3. q. 2.*

Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua &c. Arguitur ex textu, ergo in eodem ſtatu eſt, ac ſi nullam iuſtitiam feciſſet: ſed ſi non feciſſet iuſtitiam pœnitentiæ, non eſſent ei peccata dimiſſa; ergo dimiſſio illi annulatur, etſi peccata dimiſſa redeant.

Ad argum. R. quòd iuſtitiæ eius non rememorabuntur quantùm ad effectum, qui ex eis expectabatur in futuro; quia per eas ad vitam æternam non perueniret: ſed rememorabuntur quantùm ad hunc effectum, qui eſt peccata præterita abolere, quem in præſenti faciebant. *Lib. 4. ſent. diſt. 22. q. 1. ad tertium.*

Si auerterit ſe iuſtus &c. Videtur quòd aliquis poſſit ſibi mereri reparationem poſt lapſum; illud enim quod iuſtè à Deo petitur, homo videtur poſſe mereri: ſed nihil iuſtius à Deo petitur (vt Aug. dicit) quàm quòd reparetur poſt lapſum, ſecundùm illud, *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine*; ergo homo poteſt mereri vt reparetur poſt lapſum. *Pſal. 70 v. 9.*

2. Multò magis homini proſunt opera ſua, quàm proſint alij: ſed homo poteſt aliquo modo alteri mereri reparationem poſt lapſum, ſicut & primam gratiam; ergo multò magis ſibi mereri poteſt, vt reparetur poſt lapſum.

3. Homo qui aliquando fuit in gratia per bona opera quæ fecit meruit ſibi vitam æternam: ſed ad vitam æternam non poteſt quis peruenire niſi reparetur per gratiam; ergo videtur quòd ſibi meruit reparationem per gratiam.

Sed contra eſt quod dicitur *in textu.* Dicendum quod nullus poteſt ſibi mereri reparationem poſt lapſum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui.

Merito quidem condigni hoc ſibi mereri non poteſt; quia ratio hujus meriti dependet ex motione diuinæ gratiæ, quæquidem motio interrumpitur per ſequens peccatum. Homo non poteſt mereri reparationē poſt lapſum.

Vnde omnia beneficia quæ poſtmodum aliquis à Deo conſequitur, quibus reparatur, non cadunt

Digitized by Google

ſub merito, tanquam motione prioris gratiæ vſque ad hæc non ſe extendente.

Meritum etiam congrui, quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur ne conſequatur effectum propter impedimentum peccati in eo, cui quis meretur.

Multò igitur magis impeditur talis meriti efficacia per impedimentum quod eſt in eo qui meretur, & in eo cui meretur; hic enim vtrumque in vnam perſonam concurrit: & ideo nullo modo aliquis poteſt ſibi mereri reparationem poſt lapſum.

Ad 1. R. quòd deſiderium quo quis deſiderat reparationem poſt lapſum, iuſtum dicitur, & ſimiliter oratio; quia tendit ad iuſtitiam. Non tamen ita, quòd iuſtitiæ innitatur per modum meriti, ſed ſolùm miſericordiæ.

Ad 2. R. quòd aliquis poteſt alteri mereri ex congruo primam gratiam; quia non eſt ibi impedimentum, ſaltem ex parte merentis, quod inuenitur dum aliquis poſt meritum gratiæ à iuſtitia recedit.

Ad 3. R. quòd quilibet actus charitatis meretur abſolutè vitam æternam: ſed per peccatum ſequens ponitur impedimentum præcedenti merito, vt non ſortiatur effectum. Sicut etiam cauſæ naturales deficiunt à ſuis effectibus propter ſuperueniens impedimentum. 1. 2. *q.* 114. *art.* 7.

Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia. Arguitur, inter alias iuſtitias quas fecit iuſtus, etiam præcedens pœnitentia continetur, cùm pœnitentia ſit pars iuſtitiæ; ergo poſtquam pœnitens peccat, non imputatur ei præcedens pœnitentia, per quam conſecutus eſt veniam peccatorum. Redeunt ergo illa peccata.

Ad argum. R. quòd per ſequens peccatum, iuſtitiæ priores obliuioni traduntur, inquantum erant meritoria vitæ æternæ: non tamen inquantum erant impeditiuæ peccati.

Vnde ſi aliquis peccet mortaliter poſtquam reſtituit debitum, non efficitur reus, quaſi debitum non reddidiſſet.

Et multò minus traditur obliuioni pœnitentia priùs acta, quantùm ad remiſſionem culpæ; cùm remiſſio culpæ magis ſit opus Dei, quàm hominis. *3. p. q.* 88. 1. *ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerb. cap.* 10. *v.* 12.

EZECHI. *Cap.* 20. *v.* 11.

Dedi eis præcepta non bona.

PEr gratiam eſt vita animæ: ſed de præceptis veterum ſacramentorum dicitur in textu, *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent*; ergo gratiam non conferebant. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 1. *q.* 1, *art.* 5. *q.* 1. *ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 20. *v.* 17.

EZECH. *Cap.* 21. *v.* 21.

Rex Babylonis ſtetit in biuio &c.

EXplicatur ſupra *Libro* 1. *Regum cap.* 14. *v.* 42.

EZECH.

EZECHI. *Cap. 22. v. 27.*

Principes eius in medio eius quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, & auarè lucra ſectanda.

Auari deſcriptio. AVarus dicitur qui recipit, vel retinet aliena contra debitum iuſtitiæ, vt patet in textu. *In quæſt. diſp. q. 13. de malo art. 1. in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerbior. cap. 24. v. 11. vid. 2. 2. q. 66. art. 8. ad tertium.*

EZECHI. *Cap. 28. v. 2.*

Eo quòd eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum.

DVpliciter jactantia conſiderari poteſt; vno modo ſecundùm ſe, prout eſt mendacium quoddam; & ſic quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale.

Mortale quidem, quando aliquis jactanter de ſe profert quod eſt contra gloriam Dei, vt patet *in textu.*

Iactātia quando eſt peccatum mortale. Vel etiam contra charitatem proximi; ſicut cùm aliquis jactando ſeipſum, prorumpit in contumelias aliorum; ſicut habetur de Phariſæo qui dicebat, *Non ſum ſicut cæteri hominum &c. velut etiam hic publicanus.* *Leu. 18. v. 11.*

Quandoque verò eſt peccatum veniale, quando ſcilicet aliquis de ſe talia jactat, quæ neque ſunt contra Deum, neque contra proxi- 2. 2. q. 112. *art. 2. in corpore.*

EZECH. *Cap. 28. v. 12. & 13.*

Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiæ in delicijs paradiſi fuiſti.

QVod ineſt alicui naturaliter, ineſt ei ſemper: ſed dæmon aliquando fuit bonus, vt patet *in textu*; ergo non eſt naturalitér malus. *In quæſt. diſp. q. 16. de malo art. 2 in corpore. vid. art. 4. ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 26. & Eſaya cap. 14. v. 12.*

EZECH. *Cap. 28. v. 14.*

Tu Cherub protegens & extentus.

VIdetur quòd Lucifer non fuerit ſupremus Angelorum; quia ad eum ſecundùm Gregor. dicitur, *Tu Cherub. &c.* Sed ordo Cherubim non eſt ſupremus ordo; ergo nec ille Angelus fuit ſupremus, vel ſuperior inter omnes.

Ad argum. R. quòd etiam ſuperiores quandoque cenſentur nominibus inferiorum ordinum Et ſic Lucifer, quamuis ad ordinem Seraphim ſpectaret; rectè tamen Cherub dicitur, quod plenitudo ſcientiæ interpretatur; ad deſignandum quòd per elationem cecidit, quia *Scientia inflat*, vt dicitur. *Lib. 2. ſent. ad Annibald. diſt. 6. art. 1. ad primum. Et lib. 2. ſent. diſt. 6. q. 1. art. 1. ad primum.* *1 Cor. 8. v. 1.*

Tu Cherub extentus & protegens &c. Arguitur, ordo Cherubim eſt ſub ordine Seraphim; ergo Angelus qui fuit ſupremus inter peccantes, non fuit ſupremus inter omnes.

Ad argum. R. quòd Cherub interpretatur plenitudo ſcientiæ,

Seraphim interpretatur ardentes ſiue intendentes: & ſic patet quòd Cherubim denominatur à ſcientia, quæ poteſt eſſe cum mortali peccato: Seraphim verò denominatur ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali eſſe non poteſt. Et ideo primus Angelus peccans non eſt denominatus Seraphim, ſed Cherubim. 1. *p. q.* 63. *art.* 7. *ad primum.*

EZECH. *Cap.* 28. *v.* 15.

Ambulaſti perfectus in vijs tuis à die conceptionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.

ARguitur, ambulatio cùm ſit motus continuus requirit aliquam moram; ergo aliqua mora fuit inter creationem diaboli & eius lapſum.

Ad argum R. quòd per motus corporales, qui per tempus menſurantur, quandoque in ſacra ſcriptura intelliguntur metaphoricè motus ſpirituales inſtantanei. Et ſic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrij tendentis in bonum. 1. *p. q.* 63. *art.* 6. *ad primum.*

EZECH. *Cap.* 28. *v.* 17.

Eleuatum eſt cor tuum.

EXplicatur ſupra *Ezechielis cap.* 16. *v.* 15.

EZECH. *Cap.* 29. *v.* 18.

Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magnâ aduerſus Tyrum, & merces non eſt reddita ei.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 53. *v.* 11.

EZECH. *Cap.* 31. *v.* 8.

Omne lignum Paradiſi Dei, non eſt aſſimilatum illi, neque pulchritudini eius.

PEr lignum Paradiſi ſignificantur Angeli; ergo videtur quòd Angelo peccanti, ad quem verba prædicta referuntur, nullus Angelorum æquari potuit. *Libro.* 2. *ſen.. diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 1. *ſed contra.*

EZECH. *Cap.* 32. *v.* 27.

Deſcendunt ad infernum damnati cum armis.

EXplicatur ſupra *Sapientiæ* 5. *v.* 3.

EZECH. *Cap.* 33. *v.* 6.

Qui videt gladium venientem &c.

EXplicatur ſupra *Ezechielis cap.* 3. *v.* 17.

EZECH. *Cap.* 33. *v.* 12.

Impietas impii non nocebit.

EXplicatur ſupra *Eccli.. cap.* 17. *v.* 27.

EZECH. *Cap.* 34. *v.* 3.

Quod craſſum erat occidebatis &c.

EXplicatur ſupra *Exodi cap.* 12. *v.* 19. *&* *numerorum cap.* 16. *v.* 26.

Digitized by Google

EZECH. *Cap. 36. v. 25.*

Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.

ARguitur, Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, quæ contraponitur generationi carnali: ſed per generationem carnalem homo contrahit ſolum originale peccatum; ergo per baptiſmum ſoluitur ſolùm originale peccatum.

2. Pœnitentia eſt ſufficiens cauſa remiſſionis actualium peccatorum: ſed ante baptiſmum in adultis requiritur pœnitentia, ſecundùm illud, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*; ergo baptiſmus nihil operatur circa remiſſionem actualium peccatorum.

Act. 2. v. 38.

Dicendum, quòd ſicut Apoſtolus dicit, *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Et poſtea concludit, *Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Rom. 6. v. 3.

Baptiſmus tollit omnia peccata.

Ex quo patet quòd per baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati, & incipit viuere nouitati gratiæ. Omne autem peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet. Vnde conſequens eſt quòd omne peccatum per baptiſmum tollatur.

Ad 1. R. quòd ſicut Apoſtolus dicit, peccatum Adæ non tantùm poteſt, quantùm poteſt donum Chriſti, quod in baptiſmo percipitur; *Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.*

Rom. 5 v. 15. & 16.

Ad 2. R. quòd nullius peccati remiſſio fieri poteſt, niſi per virtutem paſſionis Chriſti. Vnde & Apoſtolus dicit quòd *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

Vnde motus humanæ voluntatis qui eſt in pœnitente non ſufficeret ad remiſſionem culpæ, niſi adeſſet fides paſſionis Chriſti, & propoſitum participandi ipſam, vel ſuſcipiendo baptiſmum, vel ſubijciendo ſe clauibus Eccleſiæ.

Et ideo quando aliquis adultus pœnitens ad baptiſmum accedit, conſequitur quidem remiſſionem omnium peccatorum ex propoſito baptiſmi; perfectiùs autem ex reali ſuſceptione baptiſmi. 3. *p. q. 69. art. 1.*

EZECH. *Cap. 37. v. 6.*

Dabo vobis ſpiritum, & viuetis.

RErum gubernatio à Deo ſecundùm quandam motionem eſſe intelligitur, ſecundùm quod Deus omnia dirigit & mouet in proprios fines. Si igitur impulſus & motio ad Spiritum ſanctum ratione amoris pertinet, conuenienter rerum gubernatio & propagatio Spiritui ſancto attribuitur.

Vnde dicitur, *Spiritus Domini fecit me.* Et, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et quia gubernare ſubditos, proprius actus Domini eſt, conuenienter Spiritui ſancto dominium attribuitur; dicit enim Apoſtolus, *Spiritus autem Dominus eſt.* Et in ſymbolo fidei dicitur, Credo in Spiritum

Iob. 33. v. 4. *Pſ. 142. v. 10.* *2. Cor 3. v. 17.*

ſanctum Dominum.

Spiritus ſanctus eſt Dominus. Item, vita maximè in motu manifeſtatur; mouentia enim ſeipſa, viuere dicimus; & vniuerſaliter quæcumque à ſeipſis aguntur ad operandum.

Spiritus ſanctus vita eſt. Si igitur ratione amoris ſpiritui ſancto impulſio & motio competit, conuenienter etiam ſibi attribuitur vita, dicitur enim *Spiritus eſt qui viuificat*, Et in textu, *dabo vobis ſpiritum, & viuetis.* *Ioan. 6. v. 63.*

Et in Symbolo fidei nos in Spiritum ſanctum viuificantem credere profitemur. Quod etiam & nomini ſpiritus conſonat: nam etiam corporalis vita animalium eſt per Spiritum vitalem à principio vitæ in cætera membra diffuſum. *Contra Gentiles lib. 4. cap. 20.*

EZECH. *Cap.* 37. *v.* 7. *&* 8.

Acceſſerunt oſſa ad oſſa, & vidi, & ecce ſuper ea nerui & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper, & Spiritum non habebant.

ARguitur, prænuntiatur reſurrectio mortuorum *in textu*; ergo reparatio corporum tempore præcedit coniunctionem animarum, & ſic reſurrectio non erit ſubita.

Dicendum quòd in reſurrectione aliquid fiet miniſterio Angelorum, & aliquid virtute diuinâ immediatè. Illud ergo quod Angelorum miniſterio fiet, non erit in inſtanti, ſi inſtans dicat indiuiſibile temporis.

Erit tamen in inſtanti ſi inſtans accipiatur pro tempore imperceptibili.

Illud autem quod fiet virtute diuinâ immediatè, fiet ſubitò, ſcilicet in termino temporis quo Angelorum opus complebitur; quia virtus ſuperior inferiorem ad perfectionem adducit.

Ad argum. R. quòd Ezechiel loquebatur populo rudi, ſicut & Moyſes. Vnde ſicut Moyſes diſtinxit opera ſex dierum per dies, vt rudis populus capere poſſet; quamuis omnia ſimul ſint facta ſecundùm Aug.

Ita Ezechiel diuerſa quæ in reſurrectione futura ſunt expreſſit; quamuis omnia ſimul futura ſint in inſtanti. *Lib. 4 ſent. diſt. 43. q. 1. art. 3. q. 3. & ſuppl. m. q. 77. art. 4.*

EZECH. *Cap.* 44. *v.* 2.

Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.

EXplicatur de Virginitate Beatæ Virginis. 3. *p. q.* 28. *art.* 3. *ſed contra.*

EZECH. *Cap.* 44. *v.* 10.

Leuitæ qui receſſerunt à me numquam appropinquabunt mihi, vt Sacerdotio fungantur.

ARguitur, aliquis quantùm ad ſpirituale Sacerdotium appropinquat Deo per charitatem; ergo non habet tantam charitatem quantam priùs.

2. Charitas incipiens numquam eſt tanta, quanta proficiens & perfecta: ſed aliquis quando cecidit, habuit charitatem proficientem, vel perfectam: quando autem re-

421

ſurgit, habet charitatem incipientem; ergo non habet tantam charitatem quantam priùs.

3. Nunquàm poteſt tantùm diſponere ſe ad recipiendum diuini luminis influentiam, qui eſt ſine charitate, quantùm cum charitate: ſed ſecundùm quod aliquis diſpoſuit ſe ad gratiam, Deus illi gratiam infundit; ergo ſemper magis recipit de influentia gratiæ aliquis permanens in charitate, quàm de nouo charitatem accipiens; & ſic idem quod priùs.

Mal. 3. v. 4. Sed contra, *Placebit Deo Sacrificium Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi, & anni antiqui*: ſed charitas facit omnia noſtra Deo eſſe accepta; ergo aliquis poſt lapſum reſurgens poteſt habere tantùm de charitate quantùm priùs.

Dicendum quòd menſura charitati præfigitur à Deo ſecundùm ſuam voluntatem; & aliquo modo commenſuratur ad conatum illius qui gratiam recipit.

Vnde cùm aliquis per peccatum poſſit multùm & parum conari ad recipiendum charitatem, & diuinæ liberalitati non ponatur terminus per peccatum; cùm ipſe quantùm in ſe eſt, ſit paratus omnia peccata totaliter delere; oportet dicere, ſicut & communiter dicitur, quòd aliquis poteſt poſt peccatum in majori & in minori, & æquali charitate reſurgere.

Homo poſt peccatū poteſt in majori, & minori, & æquali charitate reſurgere.

Ad 1. R. quòd ab officio dignitatis aliquis repellitur propter peccatum commiſſum, etiamſi pœnitentiam egerit; ſicut propter homicidium repellitur à ſacerdotio. Et hoc eſt propter hoc quòd non reducitur ad ſtatum tantæ dignitatis quamuis reducatur ad æqualem charitatem.

Ad 2. R. quòd loquendo de vna & eâdem charitate, verum eſt quòd charitas incipiens minor eſt, quàm proficiens, vel perfecta: ſed vna incipiens poteſt eſſe major, quàm alterius qui eſt in ſtatu proficientium; ſicut aliquod animal ſtatim natum eſt majus, quàm aliud etiam perfectum.

Ad 3. R. quòd cæteris paribus, ſemper ille qui habet charitatem, recipit plus de influentia diuini luminis: ſed ille qui non habet charitatem poteſt plus conari, & magis recipiet. *Lib. 3. ſent. diſt 31. q. 1. art. 4.*

Idem locus citatur *3. p. q. 89. art. 3. ad tertium.*

Libri Ezechielis finis.

LIBER DANIELIS

Scripſit Sanctus Thomas in Danielem. Extat ille commentarius Tom. 1. Danielis.

CAPVT I. *Verſ. 17.*

Pueris his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia.

ARguitur, operatio ſanitatum, & loqui diuerſa genera linguarum, miracula quædam ſunt: interpretatio etiam ſermonum ad ſapientiam vel ſcientiam pertinet, vt patet *in textu* ergo inconuenienter diuiduntur gratia ſanitatum, & genera linguarum, contra operationem virtutum; & interpretatio ſermonum, contra ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ.

Ad argum. ℞. quòd gratia ſanitatum diſtinguitur à generali operatione virtutum; quia habet ſpecialem rationem inducendi ad fidem, ad quam aliquis magis promptus redditur per beneficium corporalis ſanitatis, quam per fidei virtutem aſſequitur.

Similiter etiam loqui varijs linguis, & interpretari ſermones, habent ſpeciales quaſdam rationes mouendi ad fidem: & ideo ponuntur ſpeciales gratiæ gratis datæ. 1. 2. *q.* 111. *art.* 4. *ad tertium*.

Pueris his dedit Deus ſcientiam. Arguitur, vnumquodque magis patitur à propinquiori, quàm à remotiori: ſed propinquiora ſunt menti vitia ſpiritualia, quàm carnalia; ergo cæcitas mentis & hebetudo ſenſus magis cauſantur ex vitijs ſpiritualibus, quàm ex vitijs carnalibus.

Dicendum quòd perfectio intellectualis operationis in homine conſiſtit in quadam abſtractione à ſenſibilium phantaſmatibus: & ideo quantò intellectus hominis magis fuerit liber ab hujuſmodi phantaſmatibus, tantò potiùs conſiderare intelligibilia poterit.

Manifeſtum eſt autem quòd delectatio applicat intentionem ad ea in quibus aliquis delectatur.

Vitia autem carnalia, ſcilicet gula & luxuria conſiſtunt circa delectationes tactus, ciborum ſcilicet & venereorum, quæ ſunt vehementiſſimæ inter omnes corporales delectationes.

Et ideo per hæc vitia intentio hominis maximè applicatur ad corporalia, & per conſequens debilitatur operatio hominis circa in-

Digitized by Google

intelligibilia,

Cæcitas mentis filia luxuriæ. Magis autem per luxuriam, quàm per gulam; quantò delectationes venereorum ſunt vehementiores, quàm ciborum.

Et ideo ex luxuria oritur cæcitas mentis, quæ quaſi totaliter ſpiritualium bonorum cognitionem excludit. Ex gula autem hebetudo ſenſus, quæ reddit hominem debilem circa hujuſmodi intelligibilia.

Et è conuerſo oppoſitæ virtutes, ſcilicet abſtinentia & caſtitas, maximè diſponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis.

Vnde dicitur in textu, quòd *pueris his*, ſcilicet abſtinentibus & continentibus, *Dedit eis ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia.*

Ad argum. R. quòd vitia carnalia, quò magis remota ſunt à mente, eò magis eius intentionem ad remotiora diſtrahunt; vnde magis impediunt mentis contemplationem. 2. 2. q. 15. art. 3.

DAN. Cap. 2. v. 11.

Deorum non eſt cum hominibus conuerſatio.

Videtur quòd Angeli non ſint diligendi ex charitate; quia charitas, cùm ſit amicitia, eſt inter eos qui adinuicem nati ſunt conuerſari: ſed Angelorum, qui dicuntur dij conuerſatio non eſt cum hominibus, vt patet *in textu*; ergo ex charitate non ſunt diligendi.

2. Charitas, cùm ſit amicitia, æqualitas quædam eſt: ſed Angeli ſunt nobis multò ſuperiores; ergo ad eos charitas vel amicitia haberi non poteſt.

3. Plus diſtant à nobis Angeli, cùm ſint incorporei, & ita alterius generis, quàm animalia irrationalia quæ ſunt vnius generis nobiſcum: ſed animalia irrationalia non poſſumus diligere ex charitate; ergo multò minùs Angelos.

Dicendum quòd charitas non poteſt eſſe, ſicut nec amicitia, niſi inter eos qui eandem vitam participant. Vita autem hominis & Angeli eſt duplex, vna quæ competit eis ſecundùm naturam ſuam: & ſic homines & Angeli non communicant in eadem vita, ſed homines ad inuicem, & Angeli adinuicem; quia conuenit eis circa eaſdem operationes occupari. Angeli ſunt diligendi ex charitate.

Alia vita vtriuſque eſt per gratiam, ſecundùm quam fiunt participes diuinæ vitæ, & in hac vita communicant & ad inuicem, & cum Deo. Et ideo ſecundùm hanc vitam poteſt eſſe amicitia eorum ad inuicem; & hæc amicitia eſt charitas.

Ad 1. R. quòd nati ſunt ad inuicem conuerſari homines & Angeli in patria, quando, *Erimus æquales Angelis*, vt dicitur. Matt. 22. v. 30. Et ſic in hac vita aliquo modo cum Angelis conuerſamur, inquantum angelicam vitam in terris ducimus.

Ad 2. R. quòd amicitia non requirit æqualitatem æquiparentiæ, ſed æqualitatem proportionis, vt ſcilicet vnus amicorum operetur ad alterum ſecundùm ſuam proportionem. Tamen magna inæqualitas amicitiam ſoluit, quando ſcilicet non communicant in eadem vita.

Digitized by Google

Homo plus diſtat à brutis, quàm ab Angelis. Ad 3. R. quòd cum Angelis magis communicamus, quàm cum brutis quantùm ad animam; ſed cum brutis quantùm ad corpus, & ad virtutes corporeas. Homo autem magis eſt id quod eſt ex parte animæ, quàm ex parte corporis; quia vnumquodque eſt id quod eſt potiſſimum in ipſo. Et ideo ſimpliciter loquendo magis diſtamus à brutis, quàm ab Angelis. *Lib. 3. ſent. diſt. 33. q. 1. art. 3.*

Idem locus explicatur ſupra *Baruch cap. 3. v. 38.*

DAN. *Cap. 2. v. 28.*

Eſt Deus in cœlo reuelans myſteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.

ARguitur, Bern. dicit quòd iuſtificatio eſt reuelatio diuini conſilij: ſed diuinum conſilium reuelatur aliquando eis quibus non dimittitur peccatum, vt patet *in textu*; ergo iuſtificatio non eſt peccatorum remiſſio.

Ad argum. R. quòd reuelatio ſumitur ibi materialiter, pro eo ſcilicet in quo conſilium reuelatur: conſilium autem diuinæ prædeſtinationis fuit de iuſtificatione. Vnde hoc conſilium reuelatur per ipſam iuſtificationem, ſicut effectus per cauſam. *Lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 1 art. 1. ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Leuitici cap. 20. v. 8.*

DAN. *Cap. 2. v. 44.*

Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.

COeleſte regnum Chriſti comminuit & conſumit vniuerſa regna terræ, & ipſum ſtabit in æternum, vt patet in textu. 3. *p. q. 36. art. 7. ad tertium.*

DAN. *Cap. 2. v. 45.*

De monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus.

EXplicatur ſupra *Ioſue cap. 4. v. 8.*

DAN. *Cap. 3 v. 50.*

Non tetigit eos omnino ignis.

ALiquod corpus in ſtatu grauitatis exiſtens, poteſt miraculosè participare actum agilitatis, vel impaſſibilitatis; ſicut de Abacuc legitur, & de tribus pueris conſeruatis in fornace, vt patet *in textu*. Nec tamen eorum corpora erant glorioſa. Dan. 14 v. 35.

Ea autem quæ fiunt miraculosè, non dicuntur poſſibilia ſecundùm naturam in qua fiunt, ſed ſecundùm virtutem facientis tantum. *Lib. 4. ſent. diſt. 49. q. 2. art. 7. in corpore.*

Idem locus explicatur ſupra *Pſalm. 96. v. 3. & Eſaya cap. 53. v. 4.*

DAN. *Cap. 3. v. 82.*

Benedicite filij hominum Domino.

VIdetur quòd non liceat maledicere aliquem; quia omnes tenentur Deum benedicere; vt patet *in textu*: ſed non poteſt ex eodem ore procedere benedictio Dei, & maledictio hominis, vt probatur, Et Apoſtolus præcipit, *Benedicite, & nolite maledicere*; ergo non licet aliquem maledicere. Iac. 3. v. 11. Rom 12. v. 14.

2. Diabo-

2. Diabolus per obſtinationem maximè ſubjectus eſt malitiæ: ſed non licet alicui maledicere diabolum, ſicut nec ſeipſum; dicitur enim cùm maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam; ergo multò minùs licet maledicere hominem. Sed contra eſt quod dicitur, maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus. Eliſæus etiam pueris ſibi illudentibus maledixit.

Eccl. 21. v. 30.

Deu. 17. v. 26.

4 Reg. 2 v. 24.

Dicere & maledicere tripliciter dicitur.

Dicendum quòd maledicere idem eſt quod malum dicere. Dicere autem tripliciter ſe habet ad id quod dicitur: vno modo per modum enuntiationis, ſicut aliquid exprimitur modo indicatiuo. Et ſic maledicere nihil aliud eſt, quàm malum alterius referre, quod pertinet ad detractionem: vnde quandoque maledici detractores dicuntur.

Alio modo, dicere ſe habet ad id quod dicitur per modum cauſæ. Et hoc quidem primò & principaliter competit Deo, qui omnia ſuo verbo fecit, ſecundùm illud, *Dixit & facta ſunt.*

Pſal. 32. v. 9.

Conſequenter autem competit hominibus, qui verbo ſuo alios monent per imperium ad aliquid faciendum: & ad hoc inſtituta ſunt verba imperatiui modi.

Tertio modo, ipſum dicere ſe habet ad id quod dicitur, quaſi expreſſio quædam affectus deſiderantis id quod verbo exprimitur: & ad hoc inſtituta ſunt verba optatiui modi.

Prætermiſſo ergo primo modo maledictionis, qui eſt per ſimplicem enuntiationem mali, conſiderandum eſt de aliis duobus. Vbi ſcire oportet quòd facere aliquid, & velle illud, ſe conſequuntur in bonitate & malitia. Vnde in iſtis duobus modis, quibus malum dicitur per modum imperantis, vel per modum optantis; eadem ratione eſt aliquid licitum, & illicitum.

Si enim aliquis imperet vel optet malum alterius, inquantum eſt malum, quaſi ipſum malum intendens; ſic maledicere vtroque modo erit illicitum. & hoc eſt maledicere, per ſe loquendo.

Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum, nec erit maledictio, per ſe loquendo, ſed per accidens; quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bonum.

Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando ſub ratione duplicis boni: quandoque quidem ſub ratione iuſti; & ſic iudex licitè maledicit illum, cui præcipit iuſtam pœnam inferri.

Et ſic etiam Eccleſia maledicit anathematizando; ſicut etiam Prophetæ in ſcripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quaſi conformantes voluntatem ſuam diuinæ iuſtitiæ: licet hujuſmodi imprecationes poſſint etiam per modum prænuntiationis intelligi.

Quandoque verò dicitur aliquod malum ſub ratione vtilis, putà cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum; vel vt ipſe melior efficiatur, vel vt ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet.

Ad 1. R. quòd Apoſtolus pro-

hibet maledicere, per ſe loquendo cum intentione mali.

Ad 2. R. quòd in diabolo eſt conſiderare naturam & culpam. Natura quidem eius bona eſt, & à Deo; nec eam maledicere licet. Culpa autem eius eſt maledicenda, ſecundùm illud, *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* *Iob. 3. v. 8.*

Cùm autem peccator maledicit diabolum propter culpam, ſeipſum ſimili ratione indicat maledictione dignum: & ſecundùm hoc dicitur maledicere animam ſuam. *2. 2 q. 76 art. 1.*

DAN. *Cap. 4. v. 24.*

Peccata tua Eleemoſynis redime.

VIdetur quòd religioſi qui nihil habent in proprio, vel communi, non poſſunt Eleemoſynam facere, quæ eis proficiat; non enim proficit Eleemoſyna facienti, niſi debito modo fiat: ſed tales religioſi non poſſunt Eleemoſynam debito modo facere; debet enim Eleemoſyna de proprio fieri, ſecundùm illud, *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi autem modicum, idipſum libenter impertiri ſtude;* ergo tales religioſi qui nihil ſuum habent, nec in proprio, nec in communi, non poſſunt Eleemoſynam facere, quæ eis proficiat: ſed ſi quam Eleemoſynam de Eleemoſynis ſibi factis faciunt, eis proficit, à quibus Eleemoſynam perceperunt. *Tob. 4. v. 9.*

Sed contra, inter alia opera, Eleemoſynarum largitio plurimùm inuenitur eſſe fructuoſa, vt patet *in textu.* Si ergo religioſi Eleemoſynas facere non poſſunt quæ eis proficiant, videntur eſſe pejoris conditionis quàm alij, etiam in ſpiritualibus bonis.

Dicendum quòd religioſi, quamuis proprium habere non poſſint, poſſunt tamen aliquarum rerum diſpenſationem habere, ſiue de fructibus poſſeſſionum communium, ſiue etiam de Eleemoſynis particulariter eis collatis.

Nec refert quantùm ad propoſitum pertinet, vtrum hujuſmodi diſpenſationem habeant auctoritate ſui ordinis, vel auctoritate alicujus ſuperioris prælati.

His ergo quibus diſpenſatio commiſſa eſt, poſſunt meritoriè Eleemoſynam facere de bonis quæ eorum diſpenſationi committuntur, ſecundùm quod eis committitur, & hujuſmodi Eleemoſyna meritoria eſt, & eis qui minimè miniſterium exequuntur, & illis quorum hujuſmodi res deputatæ noſcuntur.

Si verò aliquis religioſus ſit, cui non ſit hujuſmodi rerum diſpenſatio commiſſa, ei non licet Eleemoſynam facere. Et per hoc patet reſponſio ad objecta. *Quodlib. 5. art. 15.*

DAN. *Cap. 5. v. 5.*

Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis &c.

EXplicatur ſupra *Numerorum. cap. 12. v. 6.*

Peccata tua Eleemoſynis redime. Arguitur, Eleemoſyna computatur inter opera ſatisfactoria, vt patet *in textu*: ſed ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ; ergo dare Eleemoſynam non eſt actus charitatis, ſed iuſtitiæ.

Ad argum R. quòd nihil prohibet, actum qui eſt propriè vnius virtutis, elicitiuè attribui alteri virtuti, ſicut ordinanti & imperanti ad ſuum finem.

Et hoc modo dare Eleemoſynam ponitur inter opera ſatisfactoria, inquantum miſeratio in defectum patientis ordinatur ad ſatisfaciendum pro culpa.

Secundùm autem quod ordinatur ad placandum Deum, habet rationem ſacrificij; & ſic imperatur à latria. *2. 2. q. 32. art. 1. ad ſecundum.*

Peccata Eleemoſynis &c. Arguitur, conſilia à præceptis diſtinguuntur: ſed dare Eleemoſynam eſt conſilium, vt patet in textu, *Conſilium meum regi placeat, peccata tua Eleemoſynis &c.* ergo dare Eleemoſynam non eſt in præcepto.

Ad argum. R. quod Daniel loquebatur regi, qui non erat legi Dei ſubjectus: & ideo ea etiam, quæ pertinent ad præceptum legis, quam non profitebatur, erant ei proponenda per modum conſilij.

Vel poteſt dici quòd loquebatur in caſu illo, in quo dare Eleemoſynam non eſt in præcepto. *2. 2. q. 32. art. 5. ad primum.*

Peccata tua Eleemoſynis redime. Rationabiliter dici poteſt quòd per ingreſſum religionis aliquis conſequatur remiſſionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus Eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis, vt patet *in textu*: multò magis in ſatisfactione pro omnibus peccatis ſufficit, quòd aliquis ſe totaliter diuinis obſequijs mancipet per religionis ingreſſum; quæ excedit omne genus ſatisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, *2. 2. q. 189. art. 3. ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Leuitici cap. 19. v. 2. Tobiæ cap. 4. v. 11. Pſalm. 23. v. 1. & Prouerb. cap. 10. v. 12. Vid. 1. p. q. 50. art. 3. ſed contra. q. 1. 2. art. 2. ad quartum. Et art. 4. ad primum.*

Peccata tua Eleemoſynis redime. Arguitur, hoc dicitur à Daniele Nabuchodonoſor regi: ſed adhuc ipſe peccator erat; ergo poteſt exiſtens in peccato ſatisfacere.

Ad argum. R. quòd conſilium Danielis intelligitur quòd à peccato ceſſaret, & pœniteret; & ſic per Eleemoſynas ſatisfaceret. *Lib. 4. ſent ad Annibald. diſt. 15. art. 2. ad ſecundum. ſimile Lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 3. q. 2. ad primum. & ſupplem. q. 14. art. 2.*

DAN. *Cap. 4. v. 29.*

Dominator excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.

EXplicatur ſupra *Pſalm. 23. v. 1.*

DAN. *Cap. 5. v. 5.*

Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum.

CItatur ſupra *Numeror. cap. 12. v. 6.*

DAN. *Cap. 5. v. 16.*

Audiui de te quòd poſſis obſcura interpretari.

INterpretatio ſermonum poteſt reduci ad donum prophetiæ, in-

quantum ſcilicet mens illuminatur ad intelligendum, & exponendum quæcumque ſunt in ſermonibus obſcura, ſiue propter difficultatem rerum ſignificatarum, ſiue etiam propter ipſas voces ignotas quæ proferuntur, ſiue etiam propter ſimilitudines rerum adhibitas, vt patet *in textu*.

Vnde interpretatio ſermonum eſt potior quàm donum linguarum, vt patet per illud quod Apoſtolus dicit, *Maior eſt qui Prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur.*

1. Cor. 2. u. 15.

Poſtponitur autem interpretatio ſermonum dono linguarum; quia etiam ad interpretandum diuerſa linguarum genera interpretatio ſermonum ſe extendit. 2. 2. q, 176. *art. 1. ad quartum.*

DAN. *Cap.* 7. *v.* 2.

Quatuor venti cæli pugnabant.

EXplicatur ſupra *Iob cap.* 25. *v.* 2.

DAN. *Cap.* 7. *v.* 9.

Antiquus dierum ſedit.

ET poſtea ſubditur, *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*: ſed antiquus dierum intelligitur pater; ergo videtur *per textum* quòd iudiciaria poteſtas magis ſit attribuenda patri quàm Chriſto.

Ad argum. R. quòd auctoritas iudicandi attribuitur patri inquantùm eſt principium filij ſed ipſa ratio iudicandi attribuitur filio qui eſt ars & ſapientia patris; vt ſcilicet ſicut pater facit omnia per filium, inquantum eſt ars eius, ita etiam iudicet omnia per filium, inquantum eſt ſapientia & veritas eius.

Et hoc ſignificatur *in textu*, Nam poſtea ſubditur quòd, *Filius hominis peruenit vſque ad antiquum dierum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum.* Per quod datur intelligi quòd auctoritas iudicandi eſt apud patrem, à quo filius accepit poteſtatem iudicandi. 3. *p. q.* 59 *art.* 1. *ad ſecundum. vid. art.* 4. *in corpore. Et Supplem. q.* 50 *art.* 1.

Idem locus explicatur ſupra *Iob. cap.* 36. *v.* 17.

DAN. *Cap.* 7. *v.* 10.

Millia millium miniſtrabant ei.

EXplicatur ſupra *Iob. cap.* 2. *v.* 1. *& cap* 25. *v.* 3.

Idem locus citatur *Lib.* 2. *ſent. diſt.* 10. *q.* 1. *art.* 1. *ſed contra. lib.* 2. *ſent. ad Annibald. diſt.* 3. *art.* 2. *ſed contra. & diſt.* 10. *art.* 1. *ſed contra.*

DAN. *Cap.* 8. *v.* 21.

Hircus caprarum, rex Græcorum eſt.

EXplicatur ſupra *Ioſue cap.* 4. *v.* 8.

DAN. *Cap.* 9. *v.* 18.

Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam &c.

EXplicatur ſupra *Hierem. cap.* 15. *v.* 1. *vid.* 2. 2. *q.* 83. *art.* 17. *in corp.*

925

DAN. *Cap. 9. v. 24.*

Septuaginta hebdomades abbreuiata ſunt ſuper populum tuum.

CItatur ſupra *Pſal. 49. v. 3* *vid. in quaſt. diſp. q. 5. de potentia art. 6. ad ſeptimum. & ſupplem. q. 88. art. 3.*

DAN. *Cap. 10. v. 1.*

Intelligentiâ opus eſt in viſione.

EXplicatur ſupra *Numerorum cap. 24. v. 16. vid. 2. 2. q. 173. art. 2. ad ſecundum.*

DAN. *Cap. 10. v. 2.*

In diebus illis lugebam ego Daniel &c.

ARguitur, ad obſeruationem ieiunij videtur non ſolùm pertinere abſtinere à cibis, ſed etiam lugere, & vnguento non vti, vt patet *in textu.*

Ad argum. R. quòd ieiunium ex ſuo nomine directè importat abſtinentiam à cibis. Vnde obſeruationes quæ à ieiunantibus patribus obſeruatæ leguntur, non ſunt de eſſentia iejunij, ſed ad modum iejunandi pertinent. *Lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 3. art. 1. q. 1. ad tertium.*

DAN. *Cap. 10. v. 3.*

Trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi.

VIdetur quòd iejunium non ſit actus virtutis; omnis enim actus virtutis Deo eſt acceptus: ſed iejunium non ſemper eſt Deo acceptum, ſecundùm illud, *Quare iejunauimus, & non aſpexiſti?* *Eſa. 58. v. 3.* Ergo iejunium non eſt actus virtutis

2. Nullus actus virtutis recedit à medio virtutis: ſed ieiunium recedit à medio virtutis; quod quidem in virtute abſtinentiæ accipitur ſecundùm hoc, vt ſubueniatur neceſſitati naturæ, cui per iejunium aliquid ſubtrahitur, alioquin non iejunantes non haberent virtutem abſtinentiæ; ergo iejunium non eſt actus virtutis.

3. Id quod communiter omnibus conuenit, & bonis & malis, non eſt actus virtutis: ſed iejunium eſt hujuſmodi; quilibet enim antequam comedat, iejunus eſt; ergo iejunium non eſt actus virtutis.

Dicendum quòd ex hoc aliquis actus eſt virtuoſus, quòd per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum: hoc autem conuenit iejunio; aſſumitur enim iejunium principaliter ad tria: *primò* quidem, ad concupiſcentias carnis reprimendas, vt patet, vbi Apoſtolus dicit, *In iejunijs, in caſtitate &c.* quia per iejunia caſtitas conſeruatur. *Ieiuniū aſſumitur ad tria.* *1. Cor. 6. v. 5. & 6.*

Secundò, aſſumitur ad hoc quòd mens liberiùs eleuetur ad ſublimia contemplanda; vt patet *in textu*; nam poſt iejunium trium hebdomadarum, Daniel reuelationem accepit à Deo.

Tertiò, ad ſatiſfaciendum pro peccatis: vnde dicitur, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in iejunio, & fletu, & planctu.* Vnde patet quòd iejunium eſt actus virtutis. *Ioel. 2. v. 12.*

Ad 1. R. quòd contingit quòd aliquis actus, qui ex genere ſuo eſt

Digitized by Google

virtuoſus, ex aliquibus circumſtantijs adjunctis redditur vitioſus. Vnde ibidem dicitur, *Ecce in diebus ieiunij veſtri, inuenitur voluntas*
Eſa. 58. v. 3.
veſtra, & Paulò poſt ſubditur, *Ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.*

Ad 2. R. quòd medium virtutis non accipitur ſecundùm quantitatem, ſed ſecundùm rationem rectam. Ratio autem iudicat quòd propter aliquam ſpecialem cauſam aliquis homo minùs ſumat de cibo, quàm ſibi competeret ſecundùm ſtatum communem: ſicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda.

Et multò magis ratio recta hoc ordinat ad ſpiritualia mala vitanda & bona proſequenda. Non tamen ratio recta tantùm de cibo ſubtrahit, vt natura conſeruari non poſſit.

Ad 3. R. quòd iejunium naturæ, quo quis dicitur iejunus antequam comedat, conſiſtit in pura negatione: vnde non poteſt poni actus virtutis; ſed ſolùm illud iejunium, quo quis ex rationabili propoſito, à cibis aliqualiter abſtinet. Vnde primum dicitur iejunium jejunij; ſecundùm verò iejunium iejunantis, quaſi ex propoſito aliquid agentis. 2. 2. q. 147. art. 1.

D A N. *Cap.* 10. *v.* 13.

Princeps regni perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.

EXplicatur ſupra *Iob cap.* 25. *v.* 2. *Pſalm.* 90. *v.* 11. & *pſalm.* 147. *v.* 3. *vid. lib.* 2. *ſent. diſt.* 11. *art.* 5. *ſed contra.* & *libro* 4. *ſent. diſt.* 45. *q.* 3. *ad tertium.* 1. *p. q.* 108. *art.* 6. *in corpore* & *q.* 113. *art.* 3. *in corpore.*

D A N. *Cap.* 10. *v.* 13.

Et ecce Michaël vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum.

ARguitur, ſi ad aliquos Angelos miniſterium reſurrectionis pertineat, maximè videtur pertinere ad virtutes, quarum eſt miracula facere: ſed eis non aſcribitur, ſed Archangelis, vt patet
Dominus in voce Archangeli deſcendet de cœlo, & mortui reſurgent; 1. Teſſ. 4 v. 16.
ergo reſurrectio non fiet miniſterio Angelorum.

Ad argum. R. quòd miniſterium illud erit principaliter vnius Archangeli, ſcilicet Michaëlis, qui eſt princeps Eccleſiæ, ſicut fuit Synagogæ, vt patet *in textu.* Qui tamen agit ex influentia virtutum, & aliorum ſuperiorum ordinum.

Vnde quod ipſe faciet, ſuperiores ordines quodammodo facient. Similiter inferiores Angeli cooperabuntur ei circa reſurrectionem ſingulorum, quorum cuſtodiæ deputati fuerunt. Vnde vox tubæ poteſt dici vnius & plurium Angelorum. *Lib.* 4. *ſent diſt.* 43. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad ſecundum.* & *ſuppl. q.* 76. *art.* 3. *ad ſecundum.*

D A N. *Cap.* 10. *v.* 20.

Nunc reuertar vt prælier aduerſus Principem Perſarum.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 147. *v.* 5.

Digitized by Google

DAN. Cap. 12. v. 2.

Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt.

Explicatur ſupra *Pſalm. 1. v. 5. vid. ſupplem. q. 75. art. 2.*

DAN. Cap 12. v. 3.

Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ &c.

Explicatur ſupra *Iob cap. 24. v. 19. vid. lib. 1. ſent. diſt. 19 q. 2. art. 2. ad ſecundum.*

DAN. Cap. 12. v. 4.

Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia.

Arguitur dictionibus ſemel ſumptis non eſt vtendum æquiuocè vel multipliciter: ſed pluralitas ſenſuum facit multiplicem locutionem; ergo in eadem locutione ſacræ ſcripturæ non poſſunt plures ſenſus latere.

2. Id quod poteſt eſſe occaſio erroris, debet in ſacra ſcriptura vitari: ſed ponere alios ſenſus præter literalem in ſcriptura poteſt eſſe occaſio erroris; quia quilibet poſſet exponere ſacram ſcripturam ſecundùm quod ipſe vellet ad confirmationem opinionis ſuæ; ergo non debent eſſe plures ſenſus in ſacra ſcriptura.

3. Quicumque ſenſus ex verbis alicujus ſcripturæ trahitur, quem auctor non intendit, non eſt ſenſus proprius; quia auctor per vnam ſcripturam non poteſt intelligere niſi vnum; ergo non poſſunt eſſe plures ſenſus proprij ſacræ ſcripturæ.

Dicendum quòd ſacra ſcriptura ad hoc diuinitus eſt ordinata, vt per eam nobis veritas manifeſtetur neceſſaria ad ſalutem. Manifeſtatio autem vel expreſſio alicujus veritatis poteſt fieri de aliquo rebus & verbis, inquantum ſcilicet verba ſignificant res, & vna res poteſt eſſe figura alterius. Scriptura ſacra habet plures ſenſus.

Actor autem rerum, non ſolùm poteſt verba accomodare ad aliquid ſignificandum, ſed etiam res poteſt diſponere in figuram alterius. Et ſecundùm hoc in ſacra ſcriptura manifeſtatur veritas dupliciter: vno modo, ſecundùm quod res ſignificantur per verba; & in hoc conſiſtit ſenſus literalis.

Alio modo, ſecundùm quod res ſunt figuræ aliarum rerum; & in hoc conſiſtit ſenſus ſpiritualis: & ſic ſacræ ſcripturæ plures ſenſus competunt.

Ad 1. R. quòd varietas ſenſuum, quorum vnus ab alio non procedit, facit multiplicationem locutionis: ſed ſenſus ſpiritualis ſemper fundatur ſuper literalem, & procedit ex eo. Vnde ex hoc quòd ſacra ſcriptura exponitur literaliter, & ſpiritualiter; non eſt in ipſa aliqua multiplicitas.

Ad 2. R. quòd ſicut dicit Aug. nihil eſt quòd occultè in aliquo loco ſacræ ſcripturæ tradatur, quod non alibi manifeſtè exponatur. Vnde ſpiritualis expoſitio ſemper debet habere fulcimentum ab aliqua literali expoſitione ſacræ ſcripturæ: & ita vitatur omnis erroris occaſio.

Ad 3. R. quòd auctor principalis ſcripturæ ſacræ eſt ſpiritus ſanctus, qui in vno verbo ſacræ ſcripturæ intellexit multò plura, quàm per

Digitized by Google

affectus præſentis ſeculi, id eſt, omnium eorum per quæ ad finem intentum peruenit, quæ ad ſeculum iſtud pertinent.

Et per oppoſitum ponitur deſperatio futuri ſeculi; quia dum nimis affectat carnales delectationes, magis deſpicit ſpirituales *In quæſt. diſp. q. 15. de malo art. 4. in corpore. ſimile 2. 2. q. 153 art. 5.*

DAN. *Cap. 13. v. 45.*

Suſcitauit Dominus ſpiritum ſanctum pueri iunioris.

QVomodo Daniel ſimul fuit accuſator & iudex contra iniquos ſenes. Explicatur ſupra *Geneſis cap. 4. v. 10. vid. lib. 2. Regum cap 5. v. 4. vid. 2. 2. q. 63. art. 6. ad tertium.*

DAN *Cap. 13. v. 56.*

Species decepit te; & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.

ARguitur, concupiſcentia carnis maxime ex viſione oculorum excitatur, vt patet *in textu*; ergo non debet diuidi concupiſcentia oculorum contra concupiſcentiam carnis. *1. Ioan. 2. v. 16.*

Ad argum. R. quòd concupiſcentia oculorum, non dicitur hic concupiſcentia omnium rerum quæ videri oculis poſſunt: ſed ſolùm earum in quibus non quæritur delectatio carnis, quæ eſt ſecundùm tactum, ſed ſolùm delectatio oculi, id eſt, cujuſcumque apprehenſiuæ virtutis. 1. 2. *q. 77. art. 5. ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 23. v. 8. & Danielis cap. 13. v. 9. vid. 1. 2. q. 77. art. 1. ſed contra.*

Libri Danielis finis.

LIBER OSEÆ

CAP. I. *Verſ.* 2.

Vade ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.

Arguitur, Concubina differt præcipuè ab vxore in hoc, quod non eſt inſeparabiliter juncta: ſed habere concubinam fuit indiſpenſabile; ergo & dimittere vxorem.

Dicendum quòd habere concubinam eſt contra bonum prolis, quamùm ad id quod natura in ea, primâ intentione intendit, ſcilicet educationem & inſtructionem, quæ requirit diuturnam commanſionem parentum; quod non eſt in concubina quæ ad tempus aſſumitur, & ideo non eſt ſimile. Tamen quantùm ad ſecundam intentionem, etiam habere concubinam, ſub diſpenſatione cadere poteſt, vt patet in textu. *Supplem. q. 67. art. 2. ad 2.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 16. v. 4. Et cap. 22. v. 2. Exodi cap. 3. v. 22. lib. 3. Reg. cap. 22. v. 22. & Tobiæ cap. 4. v. 13. vid. lib. 4. ſent diſt. 33. q. 2. art. 2. q. 1. ad ſecundum.*

OSEÆ. *Cap. 1. v. 11.*

Congregabuntur filii Iuda, & filij Iſraël pariter.

Citatur. *Contra Gentile. lib. 4. cap. 76.*

OSEÆ. *Cap. 2. v. 5.*

Vadam poſt amatores meos.

Prohibemur non colere niſi vnum Deum. Et ad hoc inducimur quinque rationibus. *Prima* ſumitur ex Dei dignitate, quæ ſi auferatur, fit Deo injuria; ſicut poteſt videri ex conſuetudine hominum; cuilibet enim dignitati debetur reuerentia, vnde proditor regis eſt qui aufert quod exhibere teneretur. Non debemus colere niſi vnũ Deum. probatur 5. rationibus.

Et hoc quidam Deo faciunt, *Qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Et hoc ſummè Deo diſplicet, *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Rom. 1. v. 23. Eſa. 42. v. 8.

Secunda ratio ſumitur ex eius largitate; omne enim bonum habemus à Deo, *Aperiente te manum* Pſal. 103 v. 29.

928.

tuam omnia implebuntur bonitate.

Nimis ergo ingratus es, ſi hoc ab illo tibi collatum non recognoſcis; imò facis tibi alium Deum, ſicut filij Iſraël educti de Ægypto fecerunt idolum, vt patet *in textu.*

Hoc etiam fit, quando quis in
alio quàm in Deo ſpem ponit,
hoc eſt, quando adjutorium ab a-
Pſal. 39. lio petit, *Beatus vir cuius eſt no-*
v. 6. *men Domini ſpes eius.*

Tertia ratio ſumitur ex promiſ-
ſi firmitate; abrenuntiauimus
enim diabolo, & fidem promiſi-
mus ſoli Deo; vnde non debemus
Hebr. 10 ipſam infringere, *Irritam quis fa-*
v. 28. *ciens legem Moyſi, ſine vlla miſe-*
ratione moritur; quantò magis pu-
tatis deteriora mereri ſupplicia qui
filium Dei conculcauerit &c.

Hier. 5. *Quarta ratio* ex dominij diabo-
v. 19. lici grauitate, *Seruietis diis alienis*
die ac nocte, qui non dabunt vobis
requiem. Non enim quieſcit in
vno peccato, ſed potiùs nititur ad
Ioan. 8. aliud ducere. *Qui facit peccatum,*
v. 34. *ſeruus eſt peccati*; ideo non de facili
quis egreditur de peccato.

Contrarium de dominio diui-
1. Ioan. 5 no; *Quia mandata eius grauia non*
v. 3. *ſunt. Iugum enim meum ſuaue eſt,*
Matt. 11. *& onus meum leue.* Satis enim re-
v. 30. putatur quis facere, ſi tantùm facit
pro Deo, quantùm fecit pro pec-
Rom. 6. cato. *Sicut exhibuiſtis membra ve-*
v. 19. *ſtra ſeruire immunditiæ, & iniqui-*
tati ad iniquitatem; ita nunc exhi-
bete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ
ad ſanctificationem.

Sed de ſeruis diaboli dicitur,
Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, &*
v. 7. *perditionis, & ambulauimus vias*
Hier. 9. *difficiles. Vt iniquè agerent, labora-*
v. 5. *uerunt.*

Quinta, ex præmij, ſiue muneris immenſitate; in nulla enim lege talia promittuntur præmia, ſicut in lege Chriſti. Sarracenis enim promittuntur fluuij lactis & mellis; Iudæis terra promiſſionis, ſed Chriſtianis Angelorum gloria,
Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Matt. 22.
Opuſculo de 10. *præceptis cap.* 11. v. 30.

OSEÆ. *Cap. 2. v. 14.*

Ducam eam in ſolitudinem.

Explicatur ſupra *Baruch. cap. 3. v. 38.*

OSEÆ. *Cap. 2. v. 20.*

Sponſabo te mihi in fide.

Arguitur, ſicut infidelitas eſt fornicatio ſpiritualis, ita etiam quodlibet peccatum; ſi ergo propter hoc infidelitas matrimonium ſoluit, quia eſt fornicatio ſpiritualis, quodlibet aliud peccatum matrimonium ſoluit pari ratione.

2. *Auaritia Idololatria eſt*; vt di- Epheſ. 5
citur: ſed propter idololatriam v. 5.
poteſt mulier dimitti; ergo pari ratione propter auaritiam; & ita propter alia peccata quæ ſunt majora quàm auaritia.

Sed contra eſt quod dicitur,
Qui dimiſerit vxorem, exceptâ causâ Matt. 5.
fornicationis, mœchatur. v. 32.

Præterea, ſecundùm hoc totâ die fierent diuortia, cùm rarò inueniatur matrimonium, in quo conjugum alter in peccatum non labatur.

Dicendum quòd fornicatio corporalis, & infidelitas ſpecialem habent contrarietatem ad bona matrimonij; vnde ſpecialiter ha-

Digitized by Google

Oſeæ. Cap. 6. v. 1.

In tribulatione ſua mane conſurgent ad me.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap. 7. v. 17.*

Oſeæ. Cap. 6. v. 3.

Viuificabit nos poſt duos dies, in tertia ſuſcitabit nos.

CHriſti reſurrectio non debuit vſque ad finem mundi differri, nec etiam nimis accelerari; vt virtus diuinitatis oſtenderetur & veritas mortis infra triduum approbaretur.

Tertiâ verò die reſurrexit; vt in veritate Trinitatis ſe oſtenderet reſurrexiſſe.

Reſurrectio Chriſti explicatur. Vnde etiam quandoque dicitur eum pater reſſuſcitaſſe; quandoque ipſe filius propriâ virtute ſurrexiſſe, quod non eſt contrarium; cùm eadem ſit virtus omnino patris, & filii, & Spiritus ſancti.

Item in ſignum ſpiritualis reſurrectionis; vt patet *in textu*; nam primus dies eſt contritio, ſecundus eſt confeſſio, tertius ſatisfactio.

Item ſicut diem reſurrectionis præceſſit dies mortis in paraſceue, & dies quietis in Sabbato; ita reſurrectionem noſtram glorioſam præcedat mortificatio vitiorum, & quies contemplationis æternorum. *Opuſculo de humanitate Chriſti art. 22.*

Oſeæ. Cap. 6. v. 6.

Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

DEum non colimus per exteriora ſacrificia aut munera propter ipſum, ſed propter nos, & propter proximos. Non enim indiget ſacrificiis noſtris: ſed vult ſibi ea offerri propter noſtram deuotionem & proximorum vtilitatem.

Et ideo miſericordia qua ſubuenitur defectibus aliorum, eſt ſacrificium ei magis acceptum; vtpote propinquius vtilitatem proximorum inducens, ſecundùm illud, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Hebr. 13. v. 16. *2. 2. q. 30. art. 4. ad primum.*

Oſeæ. Cap. 8. v. 4.

Ipſi regnauerunt, & non ex me.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 18. v. 22.*

Idem locus explicatur ſupra *Oſeæ cap. 13. v. 11.*

Oſeæ. Cap. 8. v. 12.

Scribam eis multiplices leges intus.

VIdetur quòd non debuerint eſſe multa cæremonialia præcepta: ea enim quæ ſunt ad finem, debent eſſe fini proportionata: ſed cæremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei; & in figuram Chriſti.

Eſt autem vnus Deus, à quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, vt dicitur; 1 Cor. 8. v. 6.

bent vim ſeparandi matrimonia.

Soluitur matrimonium per fornicationem & infidelitatem.

Sed tamen intelligendum quòd matrimonium dupliciter ſoluitur, vno modo, quantùm ad vinculum; & ſic non poteſt ſolui poſtquam matrimonium eſt ratificatum; neque per infidelitatem, neque per adulterium.

Sed ſi non eſt ratificatum, ſoluitur vinculum, permanente infidelitate in altero coniugum, ſi alter conuerſus ad fidem ad aliud coniugium tranſeat.

Non autem ſoluitur vinculum prædictum per adulterium; aliàs infidelis liberè poſſet dare libellum repudij vxori adulteræ, & eâ dimiſſâ alteram ducere; quod falſum eſt.

Alio modo, ſoluitur matrimonium quantùm ad actum. Et ſic ſolui poteſt tam per infidelitatem, quàm per fornicationem corporalem.

Sed propter alia peccata non poteſt ſolui matrimonium, etiam quantùm ad actum, niſi fortè ad tempus vir ſe velit ſubtrahere à conſortio vxoris ad caſtigationem eius, ſubtrahendo ei præſentiæ ſuæ ſolatium.

Nota quòd quamuis adulterium magis directè opponatur matrimonio, inquantum eſt in officium naturæ, quàm infidelitas; tamen è conuerſo eſt ſecundùm quod matrimonium eſt ſacramentum Eccleſiæ ex quo habet perfectam firmitatem, inquantum ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ.

Et ideo matrimonium quod non eſt ratum, magis poteſt ſolui quantùm ad vinculum per infidelitatem, quàm per adulterium.

Ad 1. R. quòd prima coniunctio animæ ad Deum eſt per fidem: & ideo per eam anima quaſi deſponſatur Deo, vt patet *in textu.* Vnde in ſacra Scriptura ſpecialiter per fornicationem idololatria & infidelitas deſignatur. Sed alia peccata magis remotâ ſignificatione dicuntur ſpirituales fornicationes.

Ad 2. R. quòd auaritia dicitur idololatria per quandam ſimilitudinem ſeruitutis; quia tam auarus quàm idololatra potiùs ſeruit creaturæ, quàm creatori. Non autem per ſimilitudinem infidelitatis: quia corruptio infidelitatis eſt in intellectu, ſed auaritiæ in affectu. *Lib. 4. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 6.*

OSEÆ. *Cap. 4. v. 6.*

Quia repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

CItatur ſupra *Deuteronom. cap. 4. v. 2.*

OSEÆ. *Cap. 4. v. 8.*

Peccata populi mei comedent.

EXplicatur ſupra *Eccli. cap. 34. v. 23.*

OSEÆ. *Cap. 4. v. 10.*

Comedent & non ſaturabuntur.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 32. v. 6.*

OSEÆ. *Cap. 4. v. 10.*

Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 12. v. 43.*

Digitized by Google

OSEÆ. Cap. 6. v. 1.

In tribulatione ſua mane conſurgent ad me.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap. 7. v. 17.*

OSEÆ. Cap. 6. v. 3.

Viuificabit nos poſt duos dies, in tertia ſuſcitabit nos.

CHriſti reſurrectio non debuit vſque ad finem mundi differri, nec etiam nimis accelerari; vt virtus diuinitatis oſtenderetur & veritas mortis infra triduum approbaretur.

Tertiâ verò die reſurrexit; vt in veritate Trinitatis ſe oſtenderet reſurrexiſſe.

Reſurrectio Christi explicatur. Vnde etiam quandoque dicitur eum pater reſſuſcitaſſe; quandoque ipſe filius propriâ virtute ſurrexiſſe, quod non eſt contrarium; cùm eadem ſit virtus omnino patris, & filii, & Spiritus ſancti.

Item in ſignum ſpiritualis reſurrectionis; vt patet *in textu*; nam primus dies eſt contritio, ſecundus eſt confeſſio, tertius ſatisfactio.

Item ſicut diem reſurrectionis præceſſit dies mortis in paraſceue, & dies quietis in Sabbato; ita reſurrectionem noſtram glorioſam præcedat mortificatio vitiorum, & quies contemplationis æternorum. *Opuſculo de humanitate Chriſti art. 22.*

OSEÆ. Cap. 6. v. 6.

Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

DEum non colimus per exteriora ſacrificia aut munera propter ipſum, ſed propter nos, & propter proximos. Non enim indiget ſacrificiis noſtris: ſed vult ſibi ea offerri propter noſtram deuotionem & proximorum vtilitatem.

Et ideo miſericordia qua ſubuenitur defectibus aliorum, eſt ſacrificium ei magis acceptum; vtpote propinquius vtilitatem proximorum inducens, ſecundùm illud, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Hebr. 13. v. 16. *2. 2. q. 30. art. 4. ad primum.*

OSEÆ. Cap. 8. v. 4.

Ipſi regnauerunt, & non ex me.

EXplicatur ſupra *Exodi cap. 18. v. 22.*

Idem locus explicatur ſupra *Oſeæ cap. 13. v. 11.*

OSEÆ. Cap. 8. v. 12.

Scribam eis multiplices leges meas.

VIdetur quòd non debuerint eſſe multa cæremonialia præcepta: ea enim quæ ſunt ad finem, debent eſſe fini proportionata: ſed cæremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei; & in figuram Chriſti.

Eſt autem *vnus Deus, à quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia*, vt dicitur; 1 Cor. 8. v. 6.

ergo] cæremonialia non debuerunt multiplicari.

2. Multitudo cæremonialium præceptorum tranſgreſſionis erat occaſio, ſecundùm illud quod dicit Petrus, *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?* *Act. 15. v. 10.*

Sed tranſgreſſio diuinorum præceptorum contrariatur humanæ ſaluti; cùm igitur lex omnis debeat ſaluti congruere hominum, videtur quod non debuerint multa præcepta cæremonialia dari.

3. Præcepta cæremonialia pertinebant ad cultum Dei exteriorem & corporalem: ſed hujuſmodi cultum corporalem lex debebat diminuere; quia ordinabat ad Chriſtum, qui docuit homines Deum colere, *In ſpiritu & veritate*; non ergo debuerunt multa præcepta cæremonialia dari. *Ioan. 4. v. 23.*

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Et, *vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ quòd multiplex ſit lex eius.* *Iob. 11. v. 6.*

Dicendum quòd omnis lex alicui populo datur. In populo autem duo genera hominum continentur, quidam proni ad malum, qui ſunt per præcepta legis coërcendi; quidam habentes inclinationem ad bonum, vel ex natura, vel ex conſuetudine, vel etiam ex gratia: & tales ſunt per legis præceptum inſtruendi, & in melius promouendi.

Præceptorum cæremonialium neceſſitas. Quantùm igitur ad vtrumque genus hominum expediebat præcepta cæremonialia in veteri lege multiplicari: erant enim in illo populo aliqui ad idololatriam proni; & ideo neceſſe erat vt ab idololatriæ cultu per præcepta cæremonialia reuocarentur ad cultum Dei.

Et quia multipliciter homines idololatriæ deſeruiebant, oportebat è contrario multa inſtitui ad ſingula reprimenda; & iterum multa talibus imponi, vt quaſi onerati ex his quæ ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriæ deſeruire.

Ex parte verò eorum qui erant proni ad bonum, etiam neceſſaria fuit multiplicatio cæremonialium præceptorum; tum quia per hoc diuerſimodè mens eorum referebatur in Deum, & magis aſſiduè; tum etiam quia myſterium Chriſti, quod per hujuſmodi cæremonialia figurabatur, multiplices vtilitates attulit mundo, & multa circa ipſum conſideranda erant, quæ oportuit per diuerſa cæremonialia figurari.

Ad 1. R. quòd quando id quod ordinatur ad finem, eſt ſufficiens ad ducendum in finem, tunc ſufficit vnum ad vnum finem; ſicut vna medicina ſi ſit efficax, ſufficit quandoque ad ſanitatem inducendam; & tunc non oportet multiplicari medicinam: ſed propter debilitatem & imperfectionem eius, quod eſt ad finem, oportet eam multiplicari; ſicut multa adhibentur remedia infirmo, quando vnum non ſufficit ad ſanandum.

Cæremoniæ autem veteris legis inualidæ, & imperfectæ erant ad repræſentandum Chriſti myſterium, quod eſt ſuperexcellens, & ad ſubjugandum mentes hominum Deo. Vnde Apoſtolus dicit, *Reprobatio fit præcedentis mandati* *Hebr. 7. v. 18.*

Digitized by Google

propter infirmitatem & inutilitatem; *nihil enim ad perfectum adduxit lex*; & ideo oportet hujuſmodi cæremonias multiplicari.

Ad 2. R quòd ſapientis legiſlatoris eſt minores tranſgreſſiones permittere, vt majores caueantur. Et ideo vt caueretur tranſgreſſio idololatriæ & ſuperbiæ, quæ in Iudæorum cordibus naſceretur, ſi omnia præcepta legis implerent; non propter hoc prætermiſit Deus multa cæremonialia præcepta tradere; quia de facili ſumebant ex hoc tranſgrediendi occaſionem.

Ad 3. R. quòd vetus lex in multis diminuit corporalem cultum, propter quod ſtatuit, quòd non in omni loco ſacrificia offerrentur, neque à quibuſlibet; & multa hujuſmodi ſtatuit ad diminutionem exterioris cultus. Oportebat tamen non ita attenuare corporalem cultum Dei, vt homines ad cultum dæmonum declinarent. 1. 2. q. 101. *art. 3.*

OSEÆ. *Cap. 9. v. 7.*

Scitote Iſrael ſtultum Prophetam inſanum.

Citatur ſupra *Libro 1. Regum cap. 9. v. 9.*

OSEÆ. *Cap. 9. v. 10.*

Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.

Fit homo Deo abominabilis propter malitiam ſuæ operationis: ergo malitia operationis eſt ſecundùm objecta mala, quæ homo diligit: & eadem ratio eſt de bonitate actionis. 1. 2. *q.* 18. *art. 2. ſed contra.*

Facti ſunt abominabiles. Actio intellectus perficitur ſecundùm quod res intelligibiles ſunt in intellectu per modum ipſius intellectus; & ideo intellectus ex eis non inficitur, ſed magis perficitur. Intellectus & voluntatis differētia.

Sed actus voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res; ita quòd amor rei amatæ animam conglutinat, & ex hoc anima maculatur quando inordinatè inhæret, vt patet in textu. 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. *ad ſecundum.*

Idem locus explicatur ſupra *Canticor. cap. 2. v. 5.*

OSEÆ. *Cap. 10. v. 2.*

Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.

Omnis voluntas quæ in diuerſa tendit diuiſa eſt in plura: ſed rectum cor diuiſum non eſt, ſed vnitum, vt patet *in textu*; ergo recti cordis eſt vnus finis vltimus. *Lib. 2. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 1. ſed contra.*

OSEÆ. *Cap. 10. v. 5.*

Vaccas Bethauen coluerunt.

Citatur ſupra *Exodi cap. 32. v. 4.*

OSEÆ. *Cap. 12. v. 10.*

Ego viſione multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum.

Multiplicatio viſionum non fit ſecundùm lumen intelligibile, quod eſt commune in om-

omni Prophetica viſione, ſed ſolùm ſecundùm diuerſitatem ſpecierum, ſecundùm quas etiam eſt aſſimilatio; ergo videtur quòd in Prophetica reuelatione imprimantur nouæ ſpecies rerum, & non ſolùm intelligibile lumen. 2. 2. q. 173. *art.* 2. *ſed contra.*

Oseæ. Cap. 13. v. 9.

Perditio tua ex te.

Arguitur, ſi Deus aliquem hominem reprobat, oportet quòd ſic ſe habeat reprobatio ad reprobatos, ſicut prædeſtinatio ad prædeſtinatos: ſed prædeſtinatio eſt cauſa ſalutis prædeſtinatorum; ergo reprobatio erit cauſa perditionis reproborum: hoc autem eſt falſum, vt patet *in textu*; non ergo Deus aliquem reprobat.

Sed contra eſt quod dicitur, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* *Mal. 1. v. 2.*

Dicendum quòd Deus aliquos reprobat. Nam prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ: ad prouidentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus quæ prouidentiæ ſubduntur. Vnde, cùm per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam vt permittat aliquos ab iſto fine deficere. Et hoc dicitur reprobare.

Sic igitur ſicut prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ reſpectu eorum qui diuinitus ordinantur in æternam ſalutem; ita reprobatio eſt pars prouidentiæ reſpectu illorum qui ab hoc fine decidunt.

Vnde reprobatio non nominat præſcientiam tantùm, ſed aliquid addit ſecundùm rationem, ſicut & prouidentia.

Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.

Ad argum. R. quòd aliter ſe habet reprobatio in cauſando quàm prædeſtinatio. Nam prædeſtinatio eſt cauſa & eius quod expectatur in futura vita à prædeſtinatis, ſcilicet gloriæ; & eius quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratiæ.

Reprobatio verò non eſt cauſa eius quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ: ſed eſt cauſa derelictionis à Deo. Eſt tamen cauſa eius quod redditur in futuro, ſcilicet pœnæ æternæ. Sed culpa prouenit ex libero arbitrio eius qui reprobatur, & à gratia deſeritur. Et ſecundùm hoc verificatur textus. 1. *p. q.* 23. *art.* 3.

Perditio tua ex te. Arguitur, humilitas præcipuè conſiſtit in ſubjectione hominis ad Deum: ſed id quod debetur Deo non eſt homini exhibendum, vt patet in omnibus actibus latriæ; ergo homo per humilitatem non debet ſe homini ſubijcere. *Humilitatis deſcriptio.*

Sed contra eſt quod dicitur, *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.* *Phil. 2. v. 3.*

Dicendum, quòd in homine duo poſſunt conſiderari, ſcilicet id quod eſt Dei, & id quod eſt hominis. Hominis autem eſt quicquid pertinet ad defectum: ſed Dei eſt quicquid pertinet ad ſalutem & perfectionem, vt patet *in textu.*

Humi-

Digitized by Google

Humilitas autem propriè reſpicit reuerentiam, qua homo Deo ſubijcitur: & ideo quilibet homo ſecundùm id quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubijcere, quantùm ad id quod eſt Dei in ipſo.

Non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id quod eſt Dei in ſeipſo, ſubijciat ei quod apparet eſſe Dei in altero. Nam illi qui dona Dei participant, cognoſcunt

1.Cor.2. ea ſe habere ſecundùm illud, *Vt*

v. 12. *ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.*

Et ideo abſque præjudicio humilitatis poſſunt dona quæ ipſi acceperunt, præferre donis Dei quæ alijs apparent collata, ſicut Apo-

Eph. 3. ſtolus dicit, *Alijs generationibus*

v. 5. *non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius.*

Similiter etiam non hoc requirit humilitas, vt aliquis id quod eſt ſuum in ſeipſo, ſubijciat ei quod eſt hominis in proximo: alioquin oporteret vt quilibet reputaret ſe magis peccatorem quolibet alio; cùm tamen Apoſtolus abſque præjudicio humilitatis di-

Gal. 2. cat, *Nos naturâ Iudæi, & non ex*

v. 15. *gentibus peccatores.*

Poteſt tamen aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet; vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, ex quo ſe poteſt ei ſubijcere per humilitatem.

Ad argum. R. quòd non debemus ſolum Deum reuereri in ſeipſo, ſed etiam id quod eſt eius debemus reuereri in quolibet. Non tamen eo modo reuerentiæ quo reueremur Deum.

Et ideo per humilitatem debemus nos ſubijcere omnibus proximis propter Deum, ſecundùm illud, *Subiecti eſtote omni humanæ* 1. Pet. 2.

creaturæ propter Deum. Latriam v. 13.

tamen ſoli Deo debemus exhibere. *2. 2. q. 161. art. 3.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 1. Regum cap. 7. v. 3. & Hierem. cap. 10. v. 7. vid. 1. 2. q. 112. art. 3. ad ſecundum.*

OSEÆ. *Cap. 13. v. 11.*

Dabo tibi regem in furore meo.

Videtur quod non omnis prælatio à Deo ſit; primò per id quod dicitur, *Ipſi regnauerunt, ſed* Oſe. 8.

non ex me. v. 4.

2. Illud quod peruersè fit à Deo non eſt: ſed quædam prælationes peruersè acquiruntur, vt patet in ſimoniacis; ergo non omnis prælatio à Deo eſt.

3. Quod Deus dedit, homo non debet auferre, ſicut, *Quod Deus* Matth.19

coniunxit, homo non ſeparet: ſed v. 6.

quibuſdam iuſtè aufertur prælationis poteſtas; ergo eorum prælationes non ſunt à Deo.

4. *Omne quod à Deo eſt, ordina-* Rom 13.

tum eſt: ſed in quibuſdam præla- v. 1.

tionibus videtur magna inordinatio eſſe, vt quod ſtultus ſapienti, puer ſeni, peccator iuſto præponatur, vt plerumque contingit; ergo non omnis prælatio eſt à Deo.

Sed contra, magis videtur quòd prælatio bonorum ſit à Deo quàm malorum: ſed prælationes malorum à Deo ſunt, *Qui regnare facit* Iob. 34.

hominem Hypocritam, propter v. 30.

peccata populi; ergo & omnes prælationes ſunt à Deo.

Digitized by Google

Dicendum quòd cùm Deus dicitur eſſe actor omnium bonorum, & non ſit actor mali, oportet vt ſi in prælationibus aliquid boni, & aliquid mali inueniatur, quòd prælatio illa à Deo ſit, quantùm ad id bonum quod eſt in ea; quantùm verò ad id mali quod ſibi adjungitur, à Deo non ſit.

Prælatio quando bona.

Eſt autem in prælatione conſiderare tria, ſcilicet prælationis principium, modum, & vſum. In quibuſdam igitur quodlibet horum bonum eſt, qui ſcilicet debitè ad prælationem perueniunt, & debitè prælationis actum exercent.

In quibuſdam verò principium eſt malum, ſed vſus bonus; ſicut qui non dignè ad prælationem perueniunt, vel propter eorum inſufficientiam, vel propter modum perueniendi ad ipſam: & tamen actum prælationis, quam indebitè conſecuti ſunt, debito modo exercent.

In quibuſdam verò eſt è conuerſo: in quibuſdam autem vtrumque eſt malum. Modus autem ſeu forma prælationis in omnibus bonus eſt; conſiſtit enim in quodam ordine alterius tanquam regentis, & alterius tanquam ſubjacentis.

Et quia iudicium de re ſimpliciter dicendum eſt ex conſideratione eius quod eſt formale in ipſa. Ideo ſimpliciter dicendum eſt omnem prælationem à Deo eſſe: ſed ſecundùm quid aliquas prælationes non eſſe à Deo; quia ſcilicet abuſus earum non eſt à Deo, vel quia etiam injuſta actio, per quam ad prælationem peruenitur, à Deo non eſt.

Ad 1. R. quòd dicuntur non ex Deo regnaſſe Iudæorum reges, inquantum diſſuadente Samuele regem ſibi eligere voluerunt: ſed tamen ipſa prælationis forma à Deo eſt inſtituta.

Ad 2. R. quòd non eſt inconueniens effectum eſſe à Deo, cujus cauſa ſecundùm aliquid à Deo non eſt; ſicut pœna, vel paſſio aliqua à Deo eſt; cùm tamen iniuſta actio, cuius effectus eſt, à Deo non ſit.

Similiter etiam non eſt inconueniens vt prælatio, quantùm ad ſuam formam ſit à Deo, quamuis iniuſta actio, per quam ad prælationem peruenitur, à Deo non ſit, niſi fortè permiſſiuè.

Ad 3. R. quòd aliqui propter abuſum, priuat ſe beneficio accepto. Vnde etſi aliqui prælationem à Deo conſecuti ſint; tamen propter hoc quòd eâ abutuntur, dignum eſt vt eis prælationis poteſtas auferatur.

Et vtrumque à Deo eſt, ſcilicet & quòd prælationem habuerunt, & quod eam iuſtè amittunt: ſicut omnes vitam à Deo habent, tamen aliquis iuſtè vitâ priuatur.

Ad 4. R. quòd non eſt omnino inordinatum quòd indigni ad prælationem aſſumuntur; ordinatur enim in pœnam ſubditorum, qui hoc merentur, vt patet in textu. Vnde cùm pœna omnis à Deo ſit, etiam tales prælationes à Deo ſunt. *Lib. 2. ſent. diſt. 44. q. 1. art. 2.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap. 18. v. 22.*

OSEÆ Cap. 13. 14. v.

Ero morſus tuus ô mors.

IN futura reſurrectione homines non ſic reſurgent, vt ſint

iterùm morituri; neceſſitas enim moriendi eſt defectus in naturam humanam ex peccato proueniens.

Chriſtus autem merito ſuæ paſſionis naturæ defectus reparauit, qui in ipſum ex peccato prouenerunt.

Rom. 5. v. 15. Vt enim dicit Apoſtolus, *Non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.*

Ex quo habetur quòd efficacius eſt meritum Chriſti ad tollendum mortem, quàm peccatum Adæ ad inducendum. Illi igitur qui per meritum Chriſti reſurgent à morte liberati, mortem vlteriùs non patientur.

Præterea, illud quod eſt in perpetuum duraturum, non eſt deſtructum, ſi igitur homines reſurgentes adhuc iterum morientur, vt ſic mors in perpetuum duret; nullo modo mors per mortem Chriſti deſtructa eſt.

Eſt autem deſtructa, nunc quidem in cauſa, vt patet *in textu*. Vltimò autem deſtruetur in actu, ſe-

1 Cor. 15 v. 26. cundùm illud, *Nouiſſima inimica deſtruetur mors*; eſt igitur ſecundùm fidem Eccleſiæ hoc tenendum, quòd reſurgentes non iterum morientur.

Adhuc, effectus ſimilatur ſuæ cauſæ: reſurrectio autem Chriſti cauſa eſt futuræ reſurrectionis; ſic autem reſurrexit Chriſtus, vt non vlteriùs moreretur, ſecundùm il-

Rom. 6. v. 9. lud, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur*; Homines igitur ſic reſurgent, vt vlteriùs non moriantur. *Contra Gentiles lib. 4 cap. 82.*

Morſus tuus ero inferne. Quadruplex eſt infernus; *Primus* eſt damnatorum, in quo eſt carentia lucis diuinæ, & viſionis æternæ, & pœna ſenſus.

Infernus quadruplex.

Secundus infernus ſuper iſtum dicitur lymbus puerorum, in quo ſunt duo prima ſine tertio.

Tertius ſuper iſtum eſt infernus qui dicitur purgatorium, in quo ſunt duo vltima ſine primo.

Quartus ſupra iſtum eſt ſinus Abrahæ, in quo non ſunt duo extrema, ſed medium ſcilicet carentia diuinæ viſionis.

A primo nunquam tranſierunt animæ ad ſecundum, nec è conuerſo. A tertio verò tranſierunt ad quartum, ſed non è conuerſo.

In hunc verò quartum Chriſtus deſcendit, & quos ibi inuenit, liberauit. Vnde dicitur infernum momordiſſe, vt patet *in textu*; quia partem inde abſtulit.

Fuit autem anima Chriſti in hoc inferno per triduum mortis ſuæ cum ſanctis patribus; vt ſimul educeretur & corpus de ſepulchro, & anima de inferno. *Opuſculo de humanitate Chriſti art. 21.*

Idem locus explicatur ſupra *Eſaiæ cap. 25. v. 8. & cap. 53. v. 4.*

OSEÆ, *Cap. 14. v. 3.*

Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

EXplicatur ſupra *Pſalm. 49. v. 5.*

Libri Oſeæ finis.

LIBER IOELIS

CAP. II. *Verſ. 12.*

Conuertimini ad me in toto corde veſtro.

Matt. 12 v. 37. D*illiges Dominum Deum*
tuum ex toto corde tuo.
Ad hoc quòd illud præ-
ceptum dilectionis poſ-
Deus ſuper omnia diligendus propter quatuor. ſit perfectè impleri, quatuor re-
quiruntur. Primum eſt diuino-
rum beneficiorum rememoratio;
quia omnia quæ habemus, ſiue a-
nimam, ſiue corpus, ſiue exteriora,
habemus à Deo.

Et ideo oportet quòd ei de om-
nibus ſeruiamus, & eum diliga-
mus corde perfecto. Nimis enim
ingratus eſt, qui cogitans alicu-
jus beneficia, eum non diligit.

Hæc recogitans Dauid dicebat,
1. Parap *Tua ſunt omnia, & quæ de manu*
v. 9. *tua accepimus, dedimus tibi.* Et ideo
v. 14. in eius laudem dicitur, *De omni*
Eccl. 47 *corde ſuo laudauit Dominum, &*
v. 10. *dilexit Deum qui fecit illum.*

Secundum eſt diuinæ excellen-
1. Ioan. 3 tiæ conſideratio, *Deus* enim *Ma-*
v. 20. *ior eſt corde noſtro*: vnde ſi toto cor-
de & viribus ei ſeruiamus, adhuc
Eccl. 43 non ſufficimus. *Glorificantes Do-*
v. 32. *minum quantumcumque potueritis,*
ſuperualebit adhuc. Benedicentes
Dominum exaltate illum quantum
poteſtis, major eſt enim omni laude.

Tertium eſt mundanorum &
terrenorum abdicatio; magnam
enim injuriam Deo facit, qui ali-
quid ei adæquat, *Cui ſimilem feciſti* Eſa. 40.
Deum? Tunc autem alia Deo a- v. 18.
dæquamus, quando res tempora-
les & corruptibiles ſimul cum
Deo diligimus.

Sed hoc eſt omnino impoſſibi-
le. Propterea dicitur, *Pallium breue* Eſa. 28.
vtrumque operire non poteſt. Vbi v. 10.
cor hominis aſſimilatur pallio
breui; cor enim humanum arctum
eſt in reſpectu ad Deum.

Vnde quando alia ab eo in cor-
de tuo recipis, ipſum expellis; ipſe
enim non patitur conſortem in
anima, ſicut nec vir in vxore. Et
ideo dicit ipſe, *Ego ſum Deus tuus* Ex. 20.
zelotes; nihil enim vult quòd di- v. 5.
ligamus quantùm eum, aut præter Ex. 34.
eum. v. 14.

Quartum eſt omnimoda pecca-
torum vitatio; nullus enim poteſt
diligere Deum in peccato exi-
ſtens. Vnde dicebat Elias, *Quouſ-* 3. Reg. 18
que claudicatis in duas partes? ſicut v. 21.
claudicans nunc huc, nunc illuc
inclinatur, ſic peccator nunc pec-
cat, & nunc Deum quærere nititur.
Et ideo dicitur in textu, *Con-
uertimini ad me in toto corde veſtro.*
Opuſculo de 10. præceptis cap. 4.

Idem locus explicatur ſupra

Digitized by Google

Danielis cap. 10. v. 2.

Ioel. *Cap. 2. v. 13.*

Scindite corda veſtra.

EXplicatur ſupra *Leuitici cap. 4. v. 2.*

Deus præſtabilis eſt ſuper malitia. Sicut Deus aliquos punit, ita & aliquibus parcit, vt patet *in textu.* Sed ex hoc quòd punit ponimus in Deo iram, quamuis ira ſit paſſio; ergo ex eo quòd parcit, debet dici miſericors; quamuis miſericordia in nobis ſit paſſio. *Lib. 4. ſent. diſt. 46. q. 2. art. 1. ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerbior. cap. 21. v. 1.*

Ioel. *Cap. 2. v. 15.*

Sanctificate ieiunium.

ARguitur, videtur *per textum.* quòd pueri teneantur ad jejunium; nam poſtea ſequitur, *Congregate paruulos & ſugentes vbera.*

Ad argum. R. quòd loquitur in caſu, quando magnâ tribulatione imminente major afflictio ad placandum Deum ſuperaddenda eſt. *Lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 3. art. 2. q. 5. ad primum.*

Ioel. *Cap. 2. v. 28.*

Effundam de ſpiritu meo.

ARguitur, multi de gentilibus ante Chriſti aduentum ſaluati ſunt: ſed illi non habebant fidem explicitam de redemptione; quia eis reuelatio non fuerat facta,
Pſ. 147. v. 9. *Non fecit taliter omni nationi.* Nec iterum in fide Iudæorum ſuam fidem implicitam habebant; ergo fides redemptoris non fuit neceſſaria ad ſalutem ſecundùm omne tempus.

Ad argum. R. quòd multis etiam gentilibus reuelationes per Angelos factæ ſunt de Chriſto. Alij autem ſaluabantur fide implicitâ redemptoris, implicando fidem ſuam in cognitione Dei. *Lib. 3. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 2. ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 2. Et exodi cap. 4. v. 25. vid. lib. 4. ſent. diſt. 47. q. 1. art. 1. q. 3. ad ſecundum. Contra Gentiles lib. 4. cap. 19. & 1. p. q. 36. art. 1.*

Ioel. *Cap. 2. v. 32.*

Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

ARguitur, quicumque colit Deum quocumque modo, inuocat nomen eius; ergo omnis cultus Dei confert ad ſalutem; nullus ergo eſt pernicioſus.

Ad argum. R. quòd cùm Deus ſit veritas, illi inuocant Deum qui, *In ſpiritu & veritate*, eum colunt, vt dicitur. Et ideo cultus Ioan. 4. v. 24. continens falſitatem, non pertinet propriè ad Dei inuocationem quæ ſaluat. 2. 2. *q. 93. art. 1. ad primum.*

Ioel. *Cap. 3. v. 2.*

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.

QValiter iudicium ſit futurum, & quomodo homines ad iudicium conuenient, non po-

teſt multùm per certitudinem ſciri. Tamen probabiliter poteſt colligi ex ſcripturis, quòd circa locum montis Oliueti deſcendet, ſicut & inde aſcendit.

Act. 1. v. 11. Dicitur enim, *Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum, ita veniet*; ſed ipſe aſcendit in cœlum de monte Olíueti, qui præminet valli Ioſaphat; ergo & circa loca illa ad judicium veniet; vt idem eſſe oſtendatur qui deſcendit & qui aſcendit. *Supplem. q. art.* 4.

Congregabo omnes gentes. Probabiliter creditur Chriſtus venturus ad judicium circa locum montis Oliueti, & vallis Ioſaphat, quæ ſubjacet monti Olíueti; tum vt idem oſtendatur eſſe qui deſcendit, & qui aſcendit; tum quia conueniens eſt vt ibi veniat cum gloria iudicaturus, vbi fuerat cum ignominia judicatus.

Poſſumus etiam rationem hujus conuenientiæ ſumere ex nominibus locorum: mons enim Oliueti deſignat miſericordiam; Ioſaphat, quod interpretatur iudicium, deſignat iuſtitiam.

Quia verò in extremo iudicio tractandum eſt opus miſericordiæ, & iuſtitiæ; conuenienter dicitur Chriſtus venturus ad locum prædictum ad iudicandum.

Non autem deſcendet ad terram, ſed in ſpatio hujus aëris ſedebit circa locum montis Oliueti ex quo aſcendit. *Opuſc. de humanitate Chriſti art.* 30.

IOEL. *Cap. 3. v.* 4.

Velociter reddam vicißitudinem vobis.

Citatur ſupra *Leuitici cap.* 19. *v.* 13.

IOEL. *Cap. 3. v.* 18.

In die illa ſtillabunt montes dulcedinem.

Citatur ſupra *Iob cap.* 26. *v.* 14.

Libri Ioëlis finis.

Digitized by Google

LIBER AMOS

CAP. II. *Verſ.* 2.

Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quatuor non conuertam eum, eò quòd incenderit oſſa regis Idumeæ vſque ad cinerem.

REx Idumeæ Chriſtus qui communicauit carni & ſanguini; idumea enim ſanguinea interpretatur. Oſſa eius ſunt fortiora & difficiliora ad intelligendum de myſterijs humanitatis eius; quæ non ſunt igne curioſi ſtudij vſque ad minima inquirenda, quod eſt oſſa in puluerem redigere; ſed ſunt ſilentio honoranda quaſi intellectum excedentia. *Lib. 3. ſent. diſt. 23. in expoſitione textus.*

AMOS. *Cap. 3. v. 6.*

Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.

ARguitur, textus non poteſt intelligi de malo pœnæ; nam dicitur quòd, *Deus mortem non fecit*; ergo oportet intelligi de malo culpæ; & ſic Deus eſt actor mali culpæ.

Sap. 1. v. 13.

Ad argum R. quòd textus intelligitur de malo pœnæ. Quod autem dicitur, *Deus mortem non fecit*, intelligitur quantùm ad ipſam cauſam mortis, quæ eſt meritum culpæ: vel quantùm ad primam naturæ inſtitutionem, quâ fecit hominem ſuo modo immortalem. *In quæſt. diſp. q. 1. de potentia art. 6. ad vndecimum.*

Idem locus explicatur ſupra *Sapientiæ cap. 11. v. 25. & Eccli. cap. 11. v. 14.*

AMOS. *Cap. 3. v. 7.*

Non faciet Dominus verbum ſuum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.

ARguitur, Prophetæ per Angelos inſtruuntur: ſed Prophetæ myſteria gratiæ cognouerunt, vt patet *in textu*; ergo Angeli myſteria gratiæ cognoſcunt.

Ad argum. R. quòd quicquid Prophetæ cognouerunt de myſterio gratiæ per reuelationem diuinam, multò excellentiùs eſt Angelis reuelatum.

Et licet Prophetis ea quæ Deus facturus erat circa ſalutem humani generis in generali reuelauerit; quædam tamen ſpecialia Apoſtoli circa hoc cognouerunt, quæ Prophetæ non cognouerant, ſe-

Epheſ. 3. v. 4. cundùm illud, *Poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum, ſicut reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius 1. p. q. 57. art. 5. ad tertium.*

Idem locus explicatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 4. v. 38.*

AMOS. *Cap. 4. v. 13.*

Formans montes & creans ſpiritum.

Explicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 2. vid. 1. p. q. 41. art. 3. ad quartum.*

AMOS. *Cap. 5. v. 25.*

Nunquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi?

Citatur 1. 2. *q. 98. art. 4. in corpore.*

AMOS. *Cap. 6. v. 1.*

Capita populorum pompaticè ingredientes domum Iſraël.

Explicatur ſupra *Libro 1. Regum cap. 15. v. 17.*

AMOS. *Cap. 7. v. 14.*

Non ſum Propheta.

Amos negauit ſe eſſe Prophetam origine; quia ſcilicet non erat de genere Prophetarum. Vnde & ibidem ſubdit, *Nec filius Prophetæ. 2. 2. q. 113. art. 1. ad primum.*

Libri Amos finis.

LIBER IONÆ

CAP. I. *Verſ. 15.*

Ionas à facie Domini fugiens ſorte deprehenſus eſt.

Explicatur ſupra *Lib. 1. Regum cap. 14. v. 42.*

IONÆ. *Cap. 2. v. 9.*

Circumdederunt me aquæ vſque ad animam.

Explicatur ſupra *Geneſis cap. 7. v. 17.*

IONÆ. *Cap. 3. v. 4.*

Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.

Explicatur ſupra *Libro 1. Paralipom. cap. 1. v. 12.*

IONÆ. Cap. 3. v. 6.

Rex indutus eſt ſacco.

Explicatur ſupra *Lib. 3. Regum cap. 21. v. 27.*

IONÆ. Cap. 3. v. 10.

Miſertus eſt Dominus ſuper malitiam quam dixit vt faceret eis, & non fecit.

Explicatur ſupra *Lib. 4. Regum cap. 20. v. 6.*

IONÆ. Cap. 4. v. 7.

Parauit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit.

Arguitur, nulli fit præceptum niſi ei qui cognoſcit præceptum; ergo vermis poteſt cognoſcere diuinum præceptum, vt patet *in textu.*

Ad argum. R. quòd præceptum Dei non venit ad vermem vt apprehenderet rationem præcepti; ſed diuinâ virtute mota eſt eius æſtimatiua ad complendum illud quod Deus diſponebat. *Lib. 1. ſent. diſt. 3. q. 1. art. 3. ad tertium, & ad Annibald diſt. 3. q 2. art. 1. ad tertium. ſimile in queſt. diſp. q. 24. de verit. art. 2. ad octauum.*

Libri Jonæ finis.

LIBER MICHEÆ

CAP. II. *Verſ. 13.*

Aſcendit pandens iter ante eos.

Explicatur ſupra *Eſaiæ cap. 51. v. 6. vid. lib. 3. ſent. diſt. 18. q. 1. art. 6. q. 3. ad tertium. Et diſt. 22. q. 3. art. 1. ſed contra. 3. p. q. 57. art. 1. ad tertium. & q. 69. art. 69. art. 7. ad ſecundum.*

MICHEÆ. Cap. 3 v. 4.

Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos.

Explicatur ſupra *Eccli. cap. 17. v. 27.*

MICHEÆ. Cap. 5. v. 2.

Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, &c.

EXplicatur de Chriſto. *Eſaye cap. 26. v. 5.*

Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. Arguitur, plures dies non poſſunt eſſe ſimul, nec plura tempora; ſed in æternitate pluraliter dicuntur dies, & tempora, vt patet *in textu*; Et, *Secundùm re-*
Rom. 16 v. 25. *uelationem myſterij temporibus æternis taciti*; ergo æternitas non eſt tota ſimul.

Ad argum. R. quòd ſicut Deus, cùm ſit incorporeus, nominibus rerum corporalium metaphoricè in ſcripturis nominatur: ſic æternitas tota ſimul exiſtens nominibus temporalibus ſucceſſiuis. 1. p. q. 10. art. 1. ad quartum.

Egreſſus eius ab initio. Arguitur, nihil quod exiuit ab aliquo, eſt in eo: ſed filius àb æterno exiuit à patre, vt patet *in textu*: ergo filius non eſt in patre.

Ad argum. R. quòd exitus filij à patre eſt ſecundùm modum proceſſionis interioris, prout verbum exit à corde, & manet in eo. Vnde exitus iſte in diuinis eſt ſecundùm ſolam diſtinctionem relationum, non ſecundùm eſſentialem aliquam diſtantiam. 1. p. q. 42. art. 5. ad ſecundum.

MICHEÆ. Cap. 7. v. 6.

Filius contumeliam facit patri, filia conſurgit aduersùs matrem ſuam.

EXplicatur ſupra *Libro 3. Regum cap. 19. v. 10.*

MICHEÆ. Cap. 7. v. 8.

Cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt.

EXplicatur ſupra *Libro 3. Regum cap. 19. v. 11.*

Libri Micheæ finis.

LIBER NAHVM

CAP. I. *Verſ.* 4.

Nebulæ puluis pedum eius.

Explicatur ſupra *Eccli. cap.* 43. *v.* 15.

NAHVM. *Cap.* I. *v.* 9.

Non iudicabit Deus bis in idipſum.

Arguitur, Deus iudicat de ſingulis hominum operibus, cùm poſt mortem vnicuique pœnas, vel præmia pro meritis tribuit: & dum etiam in hac vita quoſdam pro bonis vel malis operibus præmiat, vel punit; ergo videtur quòd non ſit aliud iudicium futurum.

Duplex nominis iudicium. Ad argum. R. quòd quilibet homo & eſt ſingularis quædam perſona, & eſt pars totius humani generis; vnde & duplex ei iudicium debetur. Vnum ſingulare quod de eo fiet poſt mortem, quando recipiet iuxta ea quæ in corpore geſſit, quamuis non totaliter; quia non quoad corpus, ſed quoad animam tantùm.

Aliud iudicium debet eſſe de eo, ſecundùm quod eſt pars totius humani generis. Sicut aliquis iudicari dicitur ſecundùm humanam iuſtitiam, etiam quando iudicium datur de communitate, cujus ipſe eſt pars.

Vnde & tunc quando fiet vniuerſale iudicium totius humani generis, per vniuerſalem ſeparationem bonorum à malis; etiam quilibet per conſequens iudicabitur.

Nec tamen Deus bis iudicat in idipſum; quia non duas pœnas pro vno peccato infert, ſed pœna quæ ante iudicium completè inflicta non fuerat, in vltimo iudicio complebitur; poſt quod impij cruciabuntur quoad corpus & animam ſimul. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 47. *q.* 1. *art.* 1. *ad primum. & ſupplem. q.* 88. *art.* 1. *ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Numeror. cap.* 16. *v.* 26. *Iob cap.* 40. *v.* 28. *& Eccli. cap.* 30. *v.* 4. *vid. lib.* 4. *ſent. diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4 *ſed contra.* 2. 2. *q* 99. *art.* 4. *ad ſecundum & lib.* 4. *ſent ad Annibald. diſt.* 22. *art.* 2. *ed contra.*

Libri Nahum finis.

LIBER ABACVCH

CAP. I. *Verſ. 13.*

Mundi ſunt oculi tui Domine, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.

DEus non poteſt velle malum; virtus enim rei eſt ſecundùm quam aliquis bene operatur: omnis autem operatio Dei eſt operatio virtutis, cùm ſua virtus ſit ſua eſſentia; non poteſt igitur malum velle.

Item, voluntas nunquam ad malum fertur, niſi aliquo errore in ratione exiſtente, ad minus in particulari eligibili: cùm enim voluntatis obiectum ſit bonum apprehenſum, non poteſt voluntas ferri in malum, niſi aliquo modo proponatur ſibi vt bonum; & hoc ſine errore eſſe non poteſt.

In diuina autem cognitione non poteſt eſſe error, quia in Deo eſt pura veritas, cui nulla falſitas & deceptio admiſceri poteſt; veritas enim falſitatem non compatitur; ſicut nec albedo nigredinem: Deus autem non ſolùm eſt verus, ſed eſt ipſa veritas; ergo in eo falſitas eſſe non poteſt; non igitur voluntas eius poteſt ad malum tendere.

Ampliùs, Deus eſt ſummum bonum: ſummum autem bonum non patitur aliquod conſortium mali; ſicut nec ſummè calidum permixtionem frigidi; diuina igitur voluntas non poteſt flecti ad malum. Præterea, cùm bonum habeat rationem finis, malum non poteſt incidere in voluntatem, niſi per auerſionem à fine: voluntas autem diuina à fine auerti non poteſt; cùm nihil poſſit velle niſi volendo ſeipſum; non poteſt igitur velle malum. Et ſic patet quòd liberum arbitrium in ipſo naturaliter ſtabilitum eſt in bono. *Contra Gentiles lib. 1. cap. 95.*

ABACVCH. *Cap. 1. v. 14.*

Nunquid facies homines & piſces maris?

ET hoc dicit admirando ea quæ videntur inordinatè in hominibus contingere; ergo videtur quod ad bruta non ſe extendat Dei prouidentia.

Dicendum quòd ex illa auctoritate innuitur quòd non eſt ſimiliter prouidentia de brutis & de hominibus. *Lib. 1. ſent. diſt. 35. q. 2. art. 2. ſimile in quæſt. diſp. q. 5. de verit. art. 6. ad ſecundum.*

ABACVCH. *Cap.* 2. *v.* 4.

Iuſtus in fide ſua viuet.

FIdes eſt virtus; quia nihil viuificat niſi virtus: ſed fides iu- ſtificat, *Iuſtificati ex fide*; ergo fides eſt virtus. *Rom.* 5. *v.* 1.

Præterea, vita ſpiritualis eſt per virtutem: eſt autem vita ſpiritualis per fidem, vt patet *in textu*; ergo fides eſt virtus. Fides eſt virtus.

Præterea, per virtutes efficimur filij Dei: hoc autem fit per fidem, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt*; ergo fides eſt virtus. *Ioan.* 1. *v.* 12. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 4 *ſed contra.*

ABACVCH. *Cap.* 2. *v.* 6. & 9.

Væ ei qui multiplicat non ſua, vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum.

FVrtum cauendum eſt. Primò, ex grauitate eius peccati, aſſimilatur enim hoc peccatum homicidio, *Panis egentium vita pauperis eſt, qui defraudat illum vir ſanguinis eſt.* Et iterum, *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* *Eccl.* 34 *v.* 25. *Ibid. v.* 27.

Secundò, ex periculi qualitate; nullum enim peccatum remittitur ſine ſatisfactione & pœnitentia. De omnibus citò pœnitet quis; ſicut patet de homicidio, ceſſante irâ; & de fornicatione, ceſſante paſſione concupiſcentiæ; & ſic de alijs.

De hoc autem peccato licet aliquando pœniteat quis; non tamen de facili ſatisfacit; & maximè, cùm non ſolùm teneatur ad id quod accepit; ſed etiam de damno quod fecit patrono: ex hoc & cum hoc etiam tenetur facere pœnitentiam de peccato.

Ideo dicitur in textu, *Væ ei qui multiplicat non ſua; vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Denſum lutum dicit, quòd non de facili homo egreditur. Furtum graue peccatū propter quatuor.

Tertiò, ex talium inutilitate; non enim ſunt vtilia neque ſpiritualiter, *Nihil proderunt theſauri impietatis.* Diuitiæ enim ſpiritualiter proſunt ad Eleemoſynas & ſacrificia, *Redemptio animæ viri diuitiæ ſuæ.* *Prou.* 10 *v.* 2. *Prou.* 13 *v.* 8.

Sed de non proprijs dicitur; *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſtum.* Et, *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi victimat filium in conſpectu patris ſui.* *Eſa.* 61. *v.* 8. *Eccl.* 34 *v.* 24.

Nec temporaliter; quia parum durant, *Væ qui congregat auaritiam in malum domui ſuæ, & liberari ſe putat de manu mali.* *Abac.* 2. *v.* 9.

Quartò, ex nocumenti ſingularitate; faciunt enim perdere alia. ſunt enim ſicut ignis paleis commiſtus, *Ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.* *Ib.* 15. *v.* 34.

Scias inſuper quòd talis non ſolùm ſuam amittit animam, ſed etiam filiorum: quia illi tenentur reddere. *Opuſculo de* 10. *præceptis cap.* 25.

ABACVCH, *Cap.* 3. *v.* 2.

In medio annorum notum facies.

NOn debuit incarnationis myſterium per quod Chriſtus mundo innotuit, vſque in finem mundi differri, vt patet in textu. 3. *p. q. art.* 1. 6. *ſed contra.*

Idem locus explicatur ſupra *Prouerbior. cap.* 3. *v.* 28.

Libri Abacuch finis.

Digitized by Google

LIBER ZACHARIÆ

CAP. I. *Verſ. 3.*

Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Explicatur ſupra *Libro 1. Regum cap. 7. v. 3. bis. Hieremiæ cap. 31. v. 18. Thren. cap. 5. v. 21. vid. lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 2. q. 3. ſed contra. 1. p. q. 62. art. 2. ad tertium. 1. 2. q. 89. art. 6. ad tertium. & q. 109. art. 6. ad primum. lib. 2. ſent. ad Annibaldum. diſt. 28. art. 4. ad primum. & diſt. 29. art. 4. ad primum.*

ZACHA. *Cap. 1. v. 12.*

Reſpondit Angelus Deo, & dixit, Domine exercituum vſquequo non miſereberis Ieruſalem?

Conſtat per textum quòd Angelus loquitur Deo. *1. p. q. 107. art. 3. ſed contra.*

ZACHA. *Cap. 2. v. 3.*

Reuerſus eſt Angelus qui loquebatur ad eum.

Arguitur, non reuertitur niſi qui abſcedit, ergo videtur quòd Angelus quandoque hominem relinquat.

Ad argum. R quòd Angelus ab eo receſſerat quantùm ad aliquem effectum; quia ſcilicet ipſum de futuris non illuminauerat, & non quantùm ad omnem effectum cuſtodiæ. *Lib. 2. ſent. diſt. 11. q. 1. art. 4. ad quartum.*

ZACHA. *Cap. 2. v. 8.*

Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.

Explicatur ſupra *Libro 3. Regum cap. 19. v. 10.*

ZACHA. *Cap. 3. v. 9.*

Super lapidem vnum ſunt ſeptem oculi.

Per lapidem Chriſtum, per oculum autem ſcientia intelligitur; ergo videtur quòd in Chriſto fuerint plures habitus ſcientiæ. *3. p. q. 11. art. 6. ſed contra.*

ZACHA. *Cap. 5. v. 3.*

Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur iudicatur.

Explicatur ſupra *Prouerbior. cap. 6. v. 30.*

938

ZACHA. *Cap.* 6. *v.* 12.

Ecce vir oriens nomen eius.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap.* 2. *v.* 8.

ZACHA. *Cap.* 8. *v.* 17.

Vnuſquiſque malum contra proximum ſuum ne cogitetis.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 7. *v.* 7.

ZACHA. *Cap.* 8. *v.* 19.

Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam.

IVdæi iejunabant in Iulio, qui eſt quartus menſis ab Aprili, quem primum habent; quia tunc Moyſes deſcendens de monte Sinaï, tabulas legis confregit. Et iuxta Hieremiam muri primum rupti ſunt ciuitatis.

In quinto autem menſe, qui apud nos vocatur Auguſtus, cùm propter exploratores ſeditio eſſet orta in populo, iuſſi ſunt in montem non aſcendere. Et in hoc menſe à Nabuchodonoſor, & poſt à Tito templum Hieroſolymis eſt incenſum.

In ſeptimo verò, qui appellatur October, Godolias occiſus eſt, & reliquiæ populi diſſipatæ. In decimo verò menſe, qui apud nos Ianuarius dicitur, populus cum Ezechiele in captiuitate poſitus audiuit templum eſſe ſubuerſum. 2.2. *q.* 147. *art.* 5. *ad ſecundum.*

ZACHA. *Cap.* 9. *v.* 11.

Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.

ARguitur, dicitur *Congregabuntur congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur in carcerem, & poſt multos dies viſitabuntur.* Eſa. 24. v. 22.

Et loquitur ibi de damnatis, quod pater per hoc quod ipſe præmiſit de malitia cœli; ergo videtur quòd etiam damnati per Chriſtum viſitati & liberati ſunt.

Ad argum R. quòd loquitur de viſitatione quæ erit in generali reſurrectione, quando educentur de inferno iterum in perpetuum includendi. *Lib.* 3. *ſent. diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *ad quartum.*

Idem locus explicatur ſupra *Eſaye cap.* 53. *v.* 4. *bis. Vid. lib.* 3. *ſent. diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *ſed contra. diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad ſecundum & lib.* 3. *ſent. ad Annibald. diſt.* 19. *art.* 3. *ſed contra.*

ZACHA. *Cap.* 12. *v.* 1.

Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis.

QVod Zacharias de Deo dicit quòd eſt creans vel fingens ſpiritum hominis in eo, de humana anima intelligit. *Contra Gentiles libro* 4. *cap.* 23.

Digitized by Google

ZACHA. Cap. 13. v. 2.

Spiritum immundum auferam de terra.

VIdetur quòd miracula quæ fecit Chriſtus circa ſpirituales ſubſtantias non fuerint conuenientia; inter ſpirituales enim ſubſtantias ſancti Angeli præpollent dæmonibus: ſed Chriſtus non legitur aliqua miracula feciſſe circa Angelos bonos; ergo nec etiam circa dæmones aliqua miracula facere debuit.

2. Miracula Chriſti ordinabantur ad manifeſtandam diuinitatem ipſius: ſed diuinitas Chriſti non erat dæmonibus manifeſtanda; quia per hoc impeditum fuiſſet myſterium paſſionis eius, ſecun-
1.Cor.2. v. 8. dùm illud, *Si cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*; ergo non debuit circa dæmones aliqua miracula facere.

Dicendum quòd miracula quæ Chriſtus fecit, argumenta quædam fuerunt fidei quam ipſe docebat. Futurum autem erat vt per virtutem diuinitatis eius excluderet dæmonum poteſtatem ab hominibus credituris in eum, ſecun-
Ioan.12. v.31. dùm illud, *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Et ideo conueniens fuit vt inter alia miracula, etiam obſeſſos à dæmonibus liberaret.

Ad 1. R. quòd homines ſicut per Chriſtum erant à poteſtate dæmonum liberandi, ita per eum erant Angelis conſociandi, ſecun-
Coloſſ.1. v. 10. dùm illud, *Pacificans per ſanguinem crucis eius, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt.*

Et ideo circa Angelos alia miracula hominibus demonſtrare non conueniebat, niſi vt Angeli hominibus apparerent; quod quidem factum eſt in natiuitate ipſius, & in reſurrectione, & aſcenſione eius.

Ad 3. R. quòd Chriſtus tantùm innotuit dæmonibus, quantùm voluit: tantùm autem voluit, quantùm oportuit. Sed innotuit eis, non ſicut Angelis ſanctis per id quòd eſt vita æterna: ſed per quædam tẽporalia ſuæ virtutis effectu.

Nota quòd miracula in expulſione dæmonum non fecit Chriſtus propter vtilitatem dæmonum, ſed propter vtilitatem hominum, vt ipſi eum glorificarent. 3. p. q. 44. art. 1.

ZACHA. Cap. 13. v. 5.

Homo agricola ego ſum; quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.

IMaginem primi parentis tripliciter quis poteſt habere: *Primò* quidem, quantùm ad ſimilitudinem naturæ; ſicut dicitur, *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Gen. 5. v. 2. Adami triplex imago.

Secundò, quantùm ad culpam, de quo dicitur, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* 1 Cor. 15 v. 49.

Tertiò, ſecundùm pœnalitatem, vt patet *in textu.* Primam ergo Adæ imaginem Chriſtus aſſumpſit cum noſtra natura, & nunquam depoſuit. Secundam verò nunquam habuit. Tertiam quidem aſſumpſit, ſed in reſurrectione depoſuit. *Opuſculo contra errores Græcorum cap. 22.*

Libri Zachariæ Finis.

LIBER

LIBER MALACHIÆ

CAP. I. *Verſ. 2. & 3.*

Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

EXplicatur ſupra *Geneſis cap. 1. v. 31. & cap. 23. v. 9. Leuitici cap. 19. v. 17. Pſalm. 5. v. 7. Prouerbior. cap. 14. v. 17. & Oſee cap. 13. v. 9. vid. Libro 3. ſent. diſt. 32. art. 2. ad ſecundum. Contra Gentiles lib. 3. cap. 163. lib. 1. ſent. ad Annibald. diſt. 40. art. 3. ad tertium. Et diſt. 46. art. 2. ad tertium.*

MALAC. *Cap. 1. v. 6.*

Si ego pater, vbi eſt honor meus?

VIdetur quòd religio non ſit vna virtus; per religionem enim ordinamur ad Deum: in Deo autem eſt accipere tres perſonas, & iterum multa attributa, quæ ſaltem ratione differunt. Diuerſa autem ratio objecti ſufficit ad diuerſificandum virtutes; ergo religio non eſt vna virtus.

2. Vnius virtutis vnus eſt actus; habitus enim diſtinguuntur ſecundùm actus: religionis autem multi ſunt actus, ſicut colere & ſeruire, vouere, orare, ſacrificare, & multa hujuſmodi, ergo religio non eſt vna virtus.

3. Adoratio ad religionem pertinet; ſed adoratio aliâ ratione adhibetur imaginibus, & alia ipſi Deo; cùm ergo diuerſa ratio diſtinguat virtutes, videtur quòd religio non ſit vna virtus.

Sed contra eſt quod dicitur, *Vnus Deus, vna fides*: ſed vera religio proteſtatur fidem vnius Dei; *Eph. 4. v. 5.* ergo religio eſt vna virtus.

Dicendum quòd habitus diſtinguuntur ſecundùm diuerſam rationem objecti. Ad religionem autem pertinet exhibere reuerentiam vni Deo ſecundùm vnam rationem, inquantum ſcilicet eſt primum principium creationis, & gubernationis rerum, vt patet *in textu*: patris enim eſt, & producere, & gubernare. Et ideo manifeſtum eſt quòd religio eſt vna virtus.

Ad 1. R. quòd tres perſonæ diuinæ ſunt vnum principium creationis & gubernationis rerum: & ideo eis vnâ religione ſeruitur.

Diuerſæ autem rationes attributorum concurrunt ad rationem primi principij; quia Deus producit omnia, & gubernat ſapientiâ, voluntate, & potentiâ bonitatis ſuæ. Et ideo religio eſt vna virtus.

Ad 2. R. quòd eodem actu homo ſeruit Deo, & colit ipſum.

Nam cultus reſpicit Dei excellentiam, cui reuerentia debetur. Seruitus autem reſpicit ſubjectionem hominis: qui ex ſua conditione obligatur ad exhibendum reuerentiam Deo.

Et ad hæc duo pertinent omnes actus qui religioni attribuuntur; quia per omnes homo proteſtatur diuinam excellentiam & ſubjectionem ſui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei, vel iterum aſſumendo aliquid diuinum.

Quomodo adorandæ ſint imagines. Ad 3. R. quòd imaginibus non exhibetur religionis cultus, ſecundùm quod in ſeipſis conſiderantur, quaſi res quædam; ſed ſecundùm quod ſunt imagines ducentes in Deum incarnatum.

Motus autem qui eſt in imaginem, prout eſt imago, non conſiſtit in ipſa, ſed tendit in id cujus eſt imago. Et ideo ex hoc quòd imaginibus Chriſti exhibetur religionis cultus, non diuerſificatur ratio latriæ, nec virtus religionis. *2. 2. q. 81. art. 3.*

Si ego pater vbi eſt honor meus? Videtur quod tentatio Dei ſit grauius peccatum quàm ſuperſtitio; nam tantò aliquod peccatum videtur eſſe grauius, quantò magis virtuti opponitur; ſed irreligioſitas cujus ſpecies eſt tentatio Dei, magis opponitur virtuti religionis quàm ſuperſtitio, quæ habet aliquam ſimilitudinem cum ipſa; ergo tentatio Dei eſt grauius peccatum quam ſuperſtitio.

2. Majus peccatum videtur eſſe irreuerenter ſe habere ad parentes, quàm reuerentiam parentibus debitam alijs exhibere: ſed Deus eſt honorandus à nobis ſicut omnium pater vt patet *in textu*; ergo majus peccatum eſſe videtur tentatio Dei, per quam irreuerenter nos habemus ad Deum, quàm idololatria, per quam reuerentia Deo debita, exhibetur creaturæ.

Dicendum, quòd in peccatis quæ religioni aduerſantur, tantò aliquid grauius eſt, quantò magis diuinæ reuerentiæ aduerſatur. Cui quidem minùs aduerſatur quòd aliquis de diuina excellentia dubitet, quàm quod contrarium per certitudinem ſentiat.

Sicut enim magis eſt infidelis qui in errore confirmatus eſt, quàm qui de veritate fidei dubitat: ita etiam magis contra Dei reuerentiam agit, qui ſuo facto proteſtatur errorem contra diuinam excellentiam, quam qui proteſtatur dubitationem.

Superſtitioſus autē proteſtatur errorem: ille autem qui tentat Deum verbis vel factis proteſtatur dubitationem de diuina excellentia; & ideo grauius eſt peccatum ſuperſtitionis, quàm peccatum tentationis Dei. Grauitas peccati ſuperſtitionis.

Ad 1. R. quòd ſuperſtitio habet ſimilitudinem cum religione quantùm ad materialem actum quem exhibet, ſicut religio: ſed quantùm ad finem plus contrariatur ei, quàm tentatio Dei; quia plus pertinet ad diuinam irreuerentiam.

Ad 2. R. quòd de ratione diuinæ excellentiæ eſt quòd ſit ſingularis & incommunicabilis. Et ideo idem eſt contra diuinam reuerentiam agere aliquid, & diuinam reuerentiam alteri communicare.

Non eſt autem ſimilis ratio ex honore parentum, qui poteſt ſine

Digitized by Google

culpa alijs communicari. 2. 2. q. 97. art. 4.

Si ego pater, vbi eſt honor meus In majori includitur minus : & ideo cultus qui Deo debetur, includit in ſe, ſicut aliquid particulare, cultum qui debetur parentibus. Et ideo nomen pietatis etiam ad diuinum cultum refertur. 2. 2. q. 101. *Art. 1. ad primum.*

MALACH. *Cap. 1. v. 6.*

Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?

VIdetur quòd timor euacuetur gloriâ adueniente ; ratio enim timoris eſt poſſibilitas ad malum : ſed in illis qui ſunt in gloria non eſt poſſibilitas ad aliquod malum, quod eſt timoris objectum ; ergo non erit ibi timor aliquis.

2. Spes videtur eſſe majoris perfectionis quàm timor ; quia ſpes perficitur per fortitudinem cordis, timor autem per debilitatem : ſed ſpes non manet in patria; ergo multo minus timor.

3. Omne quod eſt perfectionis, eſt in Deo : ſed timor non eſt in Deo ; ergo non eſt perfectionis ; ergo excluditur adueniente gloriâ.

Pſal. 18. v. 10. Sed contra, *Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi.* Præterea, timor debetur ſummæ majeſtati, vt patet *in textu* : ſed in futuro exoluemus Deo quicquid ei debemus ; ergo timebimus ipſum.

Dicendum, quòd timor propriè loquendo habet malum pro objecto ; non autem quodlibet malum, ſed malum in arduo conſtitutum ; aliàs non eſſet in iraſcibili. Malum autem quod facilè vinci, aut vitari poteſt, non timemus, ſed odimus tantùm.

Malum autem ſeparationis à Deo eſt in arduiſſimo conſtitutum: vnde quando poſſibilitas ad hoc malum tolletur, remanebit adhuc operatio hominis ad Deum vt ad arduum.

Et ideo tolletur timor, quantùm ad hunc actum, qui eſt timere ſeparationem ; ſed manebit quantùm ad actum, qui eſt admirari, vel reuereri illud arduum, quod fit quando ex conſideratione tantæ altitudinis, homo in propriam reſilit paruitatem. Et per hoc patet ſolutio ad primum.

Ad 2. R. quòd ſpes ponit diſtantiam ad illud arduum non autem timor : & ideo ſpes non manet ſicut timor.

Ad 3. R. quòd ſubdi ſuperiori eſt de perfectione creaturæ non autem de perfectione cr[…] ris. Non enim quod eſt [...] ctionis in vno, eſt perfectio[…] altero, & præcipuè in [...] *Lib. 3. ſent. diſt. 34. q. 2. a[…] q. 4.*

Si ego Dominus, vbi eſt t[…] meus? Arguitur, illud videtur e[…] potiſſimum in donis, quod maximè Deus ab homine requirit : ſed maximè requirit Deus ab homine timorem ; dicitur enim, *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te niſi vt timeas Dominum Deum tuum?* Et in textu, *Si ego Dominus, vbi timor meus?* Ergo videtur quòd timor ſit maximum donorum. *Deu. 10. 12.*

Ad argum. R. quòd timor maximè requiritur quaſi primordium quoddam perfectionis donorum;

Digitized by Google

Pſ. 110. v. 10. *Quia initium ſapientia timor Domini*, non propter hoc quòd ſit cæteris dignius: priùs enim eſt ſecundùm ordinem generationis, vt aliquis recedat à malo quod fit per timorem, quàm quod operetur bonum, quod fit per alia dona. 1. 2. 68. art. 7. ad primum.

Idem locus explicatur ſupra Ieremi. cap. 10. v. 7.

MALACH. Cap. 1. v. 8.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt?

Explicatur ſupra *Prouerbior. cap. 3. v. 9. bis.*

MALACH. Cap. 1. v. 11.

Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus.

Videtur quòd non ſint conuenienter electi illi, quibus eſt Christi natiuitas manifeſtata: Dominus enim mandauit diſcipulis, *In viam gentium ne abieritis*, vt prius manifeſtaretur Iudæis, quàm Gentibus; ergo videtur quòd multò minus à principio debuit reuelanda Chriſti natiuitas Gentilibus, qui ab Oriente venerunt, vt habetur.

Matt. 2. v. 1. 2. Manifeſtatio diuinæ veritatis præcipuè debet fieri ad Dei amicos, ſecundùm illud, Iob. 36. v. 33. *Annuntiat de ea amico ſuo*: ſed magi videntur eſſe Dei inimici; dicitur enim, Leu. 19. v. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini*; non ergo debuit Chriſti natiuitas magis manifeſtari.

3. Chriſtus venerat totum mundum à poteſtate diaboli liberare, vt patet *in textu*; non ergo ſolùm in Oriente poſitis debuit manifeſtari, ſed etiam vbique terrarum.

Sed contra eſt quod dicitur, *Ego ſcio quos elegerim*: quæ autem Ioan. v. 18. fiunt ſecundùm Dei ſapientiam, conuenienter fiunt; ergo conuenienter ſunt electi illi, quibus eſt manifeſtata Chriſti natiuitas.

Dicendum quòd ſalus quæ erat futura per Chriſtum, ad omnem diuerſitatem hominum pertinebat; quia ſicut dicitur, *In Chriſto Ieſu* Col. 3. v. 11. *non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, ſeruus & liber*, & ſic Gal. 3. v. 28. de alijs hujuſmodi.

Et vt hoc in ipſa Chriſti natiuitate præfiguraretur, omnibus conditionibus hominum eſt manifeſtatus; quia paſtores fuerunt Iſraëlitæ, magi Gentiles. Magi fuerunt ſapientes & potentes, paſtores autem ſimplices & viles. Chriſti natiuitas omnibus manifeſtata fuit.

Manifeſtatus etiam eſt iuſtis Simeoni & Annæ, viris & mulieribus; vt per hoc oſtenderetur nullam conditionem hominum excludi à Chriſti ſalute.

Ad 1. R. quòd illa manifeſtatio Natiuitatis Chriſti fuit quædam prælibatio plenæ manifeſtationis quæ erat futura.

Ad 2. R. quòd iſti magi non fuerunt malefici, ſed ſapientes aſtrologi, qui apud Perſas vel Chaldæos magi vocantur.

Ad 3. R. quòd omnes qui ad Chriſtum veniunt, ab ipſo & per ipſum veniunt: vnde dicitur, *Ecce* Zach. 6. v. 12. *vir, Oriens nomen eius.* Vnde credibile eſt etiam in alijs partibus mundi aliqua indicia natiuitatis Chriſti apparuiſſe; ſicut Romæ fluxit oleum, & in Hiſpania apparuerunt tres ſoles paulatim in vnum coeuntes. Et ſic dici poteſt

quòd nedum magiſ, ſed omnes ad Chriſtum venerunt. 3 p q 36. art. 3.

MALACH. Cap. 2 v. 2.

Maledicam benedictionibus veſtris.

ARguitur ſacramentum Euchariſtiæ ſacerdotis benedictione conſecratur: ſed benedictio ſacerdotis peccatoris non eſt efficax ad conſecrationem hujus ſacramenti, vt patet *in textu*.

Dicendum quòd ſacerdos conſecrat hoc ſacramentum, non virtute propriâ, ſed ſicut miniſter Chriſti, in cujus perſona conſecrat hoc ſacramentum. Non autem ex hoc ipſo deſinit aliquis miniſter eſſe Chriſti, quòd eſt malus; habet enim Dominus bonos & malos miniſtros ſeu ſeruos.

Mat. 24 v. 46. & 48. Vnde Dominus dicit, *Quis putas eſt fidelis ſeruus &c.* Et poſtea ſubdit, *Si autem dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo &c.* Et Apoſtolus dicit, *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Christi*: Et tamen poſtea ſubdit, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Erat ergo certus ſe eſſe miniſtrum Chriſti: tamen non erat certus ſe eſſe iuſtum. (1. Cor. 4. v. 1.; 1. Cor 4. v. 4.)

Sacerdotes malicóſecrant corpus Christi ſicut boni. Poteſt ergo aliquis eſſe miniſter Chriſti, etiam ſi iuſtus non ſit, & hoc ad excellentiam Chriſti pertinet, cui ſicut vero Deo ſeruiunt non ſolùm bona, ſed etiam mala, quæ per ipſius prouidentiam in eius gloriam ordinantur.

Vnde manifeſtum eſt quòd ſacerdotes, etiam ſi non ſunt iuſti, ſed peccatores, poſſunt Euchariſtiam conſecrare.

Ad argum. R. quòd ſicut eadem actio, inquantum fit ex praua intentione miniſtri, poteſt eſſe mala, bona autem inquantum fit ex bona intentione Domini: ita benedictio ſacerdotis peccatoris, inquantum ab ipſo indignè fit, eſt maledictione digna, & quaſi infamia ſiue blaſphemia, & non oratio reputatur.

Inquantum autem profertur ex perſona Chriſti eſt ſancta & efficax ad ſanctificandum. Vnde ſignanter dicitur in textu, *Maledicam benedictionibus veſtris.* 3. p. q. 82. art. 5.

MALACH. Cap. 2. v. 7.

Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.

VIdetur quòd dæmon in figura hominis apparens poſſit baptizare; nam in baptizante non requiritur aſſimilatio ad Deum per gratiam; quia etiam mali poſſunt baptizare: nec etiam aſſimilatio per characterem; quia etiam pagani baptizare poſſunt; ergo ſufficit aſſimilatio per naturam; ſed hoc eſt in dæmonibus; ergo poſſunt baptizare.

Sed contra, miniſtri baptiſmi ad Chriſtum eſt aliqua conuentio: ſed, *Nulla eſt conuentio Chriſti ad diabolum*, vt patet; ergo diabolus non poteſt conferre ſacramentum baptiſmi. (1. Cor 6. v. 14. & 15.)

Vlteriùs videtur quòd bonus Angelus in figura hominis apparens baptizare poſſit; baptiſmus enim eſt actio hierarchica; quia eſt illuminatio & purgatio: ſed Angeli exercent in nos hierarchicas

Digitized by Google

ſacramentalia Symbola actiones hierarchicas exequuntur, quod hoc Angeli poſſint facere, ſed modo altiori. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 5. *q.* 2. *art.* 3.

Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.

Videtur quòd requiratur ſcientia totius ſacræ ſcripturæ in illo qui ordines ſuſcipit, quia ille debet habere legis ſcientiam à cujus ore lex requiritur: ſed legem requirunt de ore ſacerdotis, vt patet *in textu*; ergo ipſe debet totius legis habere ſcientiam.

1. Pet. 3. v. 15. 2. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt fide & ſpe:* ſed reddere rationem de his quæ ſunt fidei & ſpei, eſt illorum qui perfectam ſcientiam ſacrarum ſcripturarum habent; ergo talem ſcientiam debent habere illi qui ponuntur in ordinibus, quibus verba prædicta dicuntur.

Dicendum quòd in quolibet actu hominis, ſi debeat eſſe ordinatus, oportet quòd adſit directio rationis. Vnde ad hoc quòd homo ordinis officium exequatur, oportet quòd habeat tantùm de ſcientia quæ ſufficiat ad hoc quòd dirigatur in actu illius ordinis.

Ideo talis ſcientia requiritur in eo qui ad ordines promoueri debet: & non quòd vniuerſaliter in tota ſcriptura ſit inſtructus; ſed plus & minus, ſecundùm quod ad plura vel pauciora ſe eius officium extendit.

Vt ſcilicet illi qui alijs præponuntur, curam animarum ſuſcipientes, ſciant ea quæ ad doctrinam fidei & morum pertinent: & alij ſciant ea quæ ad executionem ſui ordinis ſpectant.

Ad 1. R. quòd ſacerdos habet duos actus, vnum principale ſupra corpus Chriſti verum, & alterum ſecundarium ſupra corpus Chriſti myſticum. Secundus autem actus dependet à primo, ſed non conuertitur: & ideo aliqui ad ſacerdotium promouentur, quibus committitur primus actus tantùm; ſicut religioſi quibus cura animarum non committitur. Et à talium ore non requiritur lex, ſed ſolùm quòd ſacramenta conficiant. Et ideo talibus ſufficit ſi tantùm de ſcientia habeant, quòd ea quæ ad ſacramentum perficiendum ſpectant, ritè ſeruare poſſint.

Alij autem promouentur ad alium actum qui eſt ſupra corpus Chriſti myſticum: & à talium ore populus legem requirit. Vnde ſcientia legis in eis eſſe debet; non quidem vt ſciant omnes difficiles quæſtiones legis, quia in his debet ad ſuperiores haberi recurſus, ſed ſciant quæ populus debet credere & obſeruare de lege.

Sed ad ſuperiores ſacerdotes ſcilicet Epiſcopos pertinet vt etiam ea quæ difficultatem in lege facere poſſint, ſciant; & tantò magis, quantò in majori gradu collocantur.

Ad 2. R. quòd ratio reddenda de fide, non eſt intelligenda talis quæ ſufficiat ad probandum quæ fidei, vel ſpei ſunt; cùm vtrumque de inuiſibilibus ſit: ſed vt ſciat in communi probabilitatem vtriuſque oſtendere; ad quod non requiritur multùm magna ſcientia. *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2.

Idem locus explicatur ſupra

ad quod Iudæi pro... erant propter corruptionem iraſcibilis.

Sicut etiam permiſſum eis fuit extraneis fœnerari propter aliquam corruptionem in concupiſcibili, ne ſcilicet fratribus ſuis fœnerarentur.

Et ſicut propter corruptionem ſuſpicionis in rationali fuit permiſſum ſacrificium zelotypiæ, ne ſola ſuſpicio apud eos iudicium corrumperet.

Sed quia lex vetus, quamuis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat vt peccatum oſtenderet (vt communiter ſancti dicunt) ideo alijs videtur, quòd ſi replicando vxorem peccaſſent, hoc ſaltem eis per legem, aut prophetas indicari debuiſſet, *Annuntia populo meo peccata eorum.* *Eſa.* 58. *v.* 1.

Aliàs viderentur eſſe nimis neglecti, ſi ea quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, quæ non cognoſcebant, numquam eis nuntiata fuiſſent, quòd nòn poteſt dici; cùm iuſtitia legis tempore ſuo obſeruata, vitam mereretur æternam.

Et propter hoc dicunt quòd quamuis repudiare vxorem per ſe ſit malum, tamen ex permiſſione diuina licitum fiebat. Et hoc confirmant auctoritate Chryſoſt. qui dicit quòd à peccato abſtulit culpam legiſlator, quando permiſit repudium.

Et quamuis hoc probabiliter dicatur; tamen primum communiùs ſuſtinetur. Ideo ad vtraſque rationes reſpondendum eſt.

Ad 1. R. quòd aliquis qui poteſt prohibere non peccat, ſi à prohibitione abſtineat non ſperans correctionem, ſed magis malum æſtimans ex tali prohibitione occaſionem ſumere. Et ſic accidit Moyſi. Vnde diuinâ auctoritate fretus libellum repudij non prohibuit.

Ad 2. R. quòd prophetæ ſpiritu ſancto inſpirati non dicebant dimittendam eſſe vxorem, quaſi ſpiritus ſan... præceptum ſit; ſed quaſi permiſſum, ne mala pejora fierent.

Ad 3. R. quòd illa permiſſionis ſimilitudo, non eſt ..ligenda quantùm ad omnia, ſed ſolùm quantùm ad cauſam eandem; quia vtraque permiſſio ad vitandum turpitudinem facta eſt.

Ad 4. R. quòd quamuis duritia cordis non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritia facta excuſat. Quædam enim prohibentur ſanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter: nec tamen infirmi peccant permiſſione ſibi factâ vtentes.

Nota quòd aliquod bonum poteſt intermitti dupliciter: vno modo propter aliquod majus bonum conſequendum. Et tunc intermiſſio illius boni ex ordine ad majus bonum accipit honeſtatem: ſicut intermittebatur ſingularitas vxoris honeſtæ à Iacob propter bonum prolis. *aliquod bonum poteſt prætermitti dupliciter.*

Alio modo bonum aliquod intermittitur ad vitandum majus malum: & tunc ſi auctoritate eius qui diſpenſare poteſt hoc fiat, reatum talis boni intermiſſio non habet, ſed honeſtatem etiam non acquirit.

Et ſic indiuiſibilitas matrimonij in lege Moyſi intermittebatur propter majus malum vitandum, ſcilicet vxoricidium. Et ideo Chryſoſt. dicit quòd à peccato abſtulit culpam.

Y y

Quamuis enim inordinatio maneret in repudio ex quo peccatum dicitur; tamen reatum pœnæ non habebat neque temporalis, neque perpetuæ, inquantum diuinâ diſpenſatione fiebat: & ſic erat ab eo culpa ablata.

Et ideo etiam ipſe ibidem dicit, quòd permiſſum eſt repudium, non malum quidem, tamen illicitum. Quod quidem illi qui ſunt de prima opinione referunt ad hoc tantùm quòd haberet reatum temporalis pœnæ. *Lib. 4. ſent. diſt. 33. q. 2. art. 2. q. 2.*

Idem locus explicatur ſupra *Deuteron. cap. 21. v. 4. vid. ſupplem. q. 67. art. 6.*

MALACH. *Cap. 3. v. 4.*

Placebit Deo ſacrificium Iuda.

EXplicatur ſupra *Ezechielis cap. 44. v. 10.*

MALACH. *Cap. 3. v. 6.*

Ego Deus & non mutor.

ARguitur, illa quæ optimo modo ſe habent poſſident ſuum bonum ſine motu: ſed Chriſtus optimè ſe habuit; quia & ſecundùm diuinam naturam eſt ſummum bonum; & ſecundùm humanam naturam eſt ſummè glorificatus; ergo ſuum bonum habet ſine motu: ſed aſcenſio eſt quidam motus; ergo non fuit conueniens quòd Chriſtus aſcenderet.

Aſcēſio Chriſti explicatur.

Dicendum, quòd locus debet eſſe proportionatus locato: Chriſtus autem poſt reſurrectionem vitam immortalem, & incorruptibilem inchoauit.

Locus autem in quo nos habitamus, eſt locus generationis & corruptionis: ſed locus cœleſtis, eſt locus incorruptionis.

Et ideo non fuit conueniens quòd Chriſtus poſt reſurrectionem remaneret in terris, ſed conueniens fuit quòd aſcenderet in cœlum.

Ad argum. R. quòd illud optimè ſe habens, quod ſine motu poſſidet ſuum bonum, eſt ipſe Deus, quia eſt omnino immutabilis, vt patet *in textu.*

Quælibet autem creatura eſt mutabilis aliquo modo. Et quia natura aſſumpta à filio Dei remanſit creatura, non eſt inconueniens, ſi ei aliquis motus attribuatur. *3. p. q. 57. art. 1.*

Idem locus citatur *1. p. q. 9. a. 1. ſed contra. & 3. p. q. 16. art. 6. ad ſecundum.*

MALACH. *Cap. 3. v. 10.*

Inferte omnem decimam in horreum, vt ſit cibus in domo mea.

VIdetur quòd Chriſtus in Abraham decimatus ſit; Chriſtus enim non habet habitudinem ad Abraham niſi mediante beata Virgine: ſed beata Virgo fuit in Abraham decimata; ergo & Chriſtus.

2. Decimatio eſt quidam actus figuralis: ſed Chriſtus videtur maximè per decimam figurari ratione perfectionis Chriſti, quæ denario competit; ergo Chriſtus præcipuè in Abraham fuit decimatus.

Sed contra, Apoſtolus præfert ſacerdotium Chriſti ſacerdotio Aaron per hoc quod Leui ex cu- *Hebr. 7. v. 9.*

Digitized by Google

jus ſtirpe Aaron deſcendit, Abraham dante decimas decimatus eſt: ſed Chriſtus in hoc nihil ampliùs haberet quàm Aaron, ſi in Abraham ſimiliter decimatus eſſet; ergo nullo modo in eo decimatus fuit.

Dicendum quòd illi qui ex Abraham per concubitum deſcenderunt, in Abraham decimati ſunt. Chriſtus autem in eo decimatus non eſt; cujus ratio eſt, quia decimatio non tantùm erat actus moralis, ſed etiam figuralis.

Eſt enim actus moralis ſecundùm hoc quòd pars quædam terræ naſcentium, & aliorum, in vſum miniſtrorum Dei & pauperum conferebatur, vt eſſet cibus in domo Domini, vt patet *in textu*.

Chriſtus non fuit in Abrahá decimatus.

Actus autem figuralis eſt ſecundùm hoc quod figurat imperfectionem in eo qui decimas dat, qui perfectionem ab eo cui dat, expectat. In numero enim denario eſt quædam perfectionis ratio, ſecundùm quod limes quidam eſt, vnde nouenarius imperfectionem ſignificat, ſecundùm quòd à denario deficit.

Et ideo qui decimas dat, in hoc quòd nouem ſibi retinet, & decem alteri dat, confitetur ſe imperfectum eſſe, & perfectionem ab altero expectare.

Decimas ſoluere quid ſignificat.

Et inde eſt quòd etiam decimatio quodammodo actus ſacramentalis erat, ſecundùm quod dicta realis confeſſio ex fide mediatoris procedebat, per cujus perfectionem ablata eſt humani generis imperfectio, quæ erat per originale peccatum: hoc enim figurat remedium quod contra originale peccatum præſtabat per modum ſacramenti. Illa ergo decimatio qua Abraham decimas dedit oſtendens ſe liberatore indigere, ad illos tantùm pertinet ex eius ſtirpe deſcendentes, qui imperfectionem originalis peccati ex eo traxerunt; vt ſimiliter ſicut ipſe liberationem ab alio expectarent.

Non autem originale peccatum ab eo traxerunt niſi qui per concubitum ex eo deſcenderunt; ſolùm enim hi naturam humanam ab eo ſicut à principio actiuo acceperunt: vnde & in eo ſecundùm rationem ſeminalem fuiſſe dicuntur. Et propter hoc etiam ſimul cum natura, naturæ vitium contraxerunt ab Adam vel Abraham.

Chriſtus verò ab Adam, vel Abraham, non per concubitum deſcendens, naturam humanæ naturæ ab eis habuit, quæ virtute ſpiritus ſancti in humanam naturam formata eſt. Et ideo non contraxit originale peccatum: & ideo non oportuit figurari vt imperfectionem habens & liberatore indigens; & propter hoc non eſt decimatus in Abraham.

Ad 1. R. quòd cùm Chriſtus à Beata Virgine deſcenderit non per concubitum, vt illa ab Abraham; non ſequitur quòd ſi beata Virgo in Abraham decimata fuit, quòd in ea Chriſtus decimatus fuerit.

Ad 2. R. quòd decima pars quæ Deo redditur, non dicitur propriè decimari, ſed magis nouem partes à quibus decima ſeparatur: & ideo Chriſtus per decimam ſignatus, decimari non dicitur; ſed alij imperfectionem contrahentes per nouenarium deſignati. *Lib. 3. ſent. diſt. 3. q. 4. art. 3. q. 2.*

Digitized by Google

laudabiliter non exigebat ſumptus, qui ſibi propter prædicationem Euangelij debebantur; ne quod impedimentum fieret Euangelio, aut ſcandalum fidelibus Chriſti. Non tamen illi peccabant non miniſtrantes ſumptus, quos Apoſtolus ſibi debitos remittebat.

Ita etiam prælati Eccleſiæ laudabiliter faciunt non exigendo decimas in terris illis, in quibus propter diſſuetudinem timent ſcandalum generari. Nec peccant illi qui non ſoluunt decimas in terris illis, in quibus non eſt conſuetum. Peccarent autem ſi obſtinatè exigentibus dare recuſarent: & ideo vt huic peccato obuient ſacerdotes, in terris illis non exigunt decimas. *Quodlib. 6. art. 10.*

Idem locus explicatur ſupra *Geneſ. cap. 15. v. 8.*

MALACH. *Cap. 3. v. 14.*

Dixiſtis, vanus eſt qui ſeruit Deo.

QVorundam antiquorum error fuit, qui poſuerunt quòd res humanæ non reguntur diuinâ prouidentiâ; ex quo ſequitur quòd vanum ſit orare, & omnino Deum colere, vt patet in textu: *2. 2. q. 83 art. 2. in corpore.*

MALACH. *Cap. 4. v. 2.*

Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ.

CItatur *3. p. q. 46. art. 9. ad ſecundum.*

MALACH. *Cap. 4. v. 4.*

Mementote legis Moyſi.

EXplicatur ſupra *Prouerbior cap. 3. v. 5.*

MALACH. *Cap. 4. v. 5.*

Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.

TEmpore Antichriſti venient Elias & Enoch, Verbo & exemplo pœnitentiam prædicantes, & fidem ſaluatoris confirmantes, vt patet *in textu*. Et, *Dabo duobus teſtibus meis*. Gloſſa, Eliæ & Enoch; *Et Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta.* *Apo. 11. v. 3.*

Gloſſa, tribus annis, ſicut ipſe Chriſtus prædicauit. *Amicti ſaccis*, gloſſa, prædicantes pœnitentiam, & exemplo oſtendentes.

Tandem Antichriſtus occidet eos: Antichriſtum verò Dominus *Ieſus Chriſtus interficiet ſpiritu oris ſui*, id eſt, in virtute ſpiritus ſui. *2. Teſſ. 2. v. 8.*
Opuſculo de humanite Chriſti art. 30.

Libri Malachiæ finis.

ſari ab illo qui auctoritatem habet.

Ad 1. R. quòd illud verum eſt de vicario habente plenitudinem poteſtatis ſimpliciter vniuerſalem, non de illo qui habet reſtrictam & determinatam. Vicarius autem Chriſti non habet plenitudinem vniuerſalem; non enim poteſt facere miracula quæ faciebat Chriſtus: ſed habet reſtrictam ad ea quæ pertinent ad cathedram in quibus habet plenitudinem poteſtatis.

Ad 2. R. quòd occidere ſimpliciter malum eſt & prohibitum, nec hoc licet ex præcepto iudicis facere. Tamen occidere maleficum non eſt malum, nec prohibitum miniſtro juris. Et hoc licet ex præcepto iudicis facere.

Ad 3. dicendum quòd contrectare rem alienam inuito domino, non eſt malum ſecundùm ſe, niſi addatur fraudulenter. Vnde ex cauſa addita licet hoc facere: non tamen licet furari; & præterea ex præcepto imperatoris, illud quod erat alicujus alterius, fit non ſuum propter aliquam culpam; & ſic non contrectatur alienum.

Ad 4. R. quòd non fuit diſpenſatio, ſed interpretatio: nam legem defendere non erat ſeruile opus, ſed libertrimum & licitum quocumque tempore. *Lib. 3. ſent. ad Annibal. diſt. 37. art. 4. ſimile* 1. 2. *q. 100. art. 8.*

Pugnemus aduerſus eum. Obſeruatio feſtorum non impedit ea quæ ordinantur ad hominis ſalutem etiam corporalem. Vnde Dominus arguit Iudæos dicens, *Mihi indignamini; quia totum hominem ſaluum feci in ſabbato.* *Ioan. 7. v. 23.*

Et inde eſt quòd medici licitè poſſunt medicari homines in die feſto. Multò autem magis eſt conſeruanda ſalus reipublicæ per quam impediuntur occiſiones plurimorum, & innumera mala & temporalia & ſpiritualia quàm ſalus corporalis vnius hominis.

Et ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium, licitum eſt iuſta bella exercere in diebus feſtis; ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat. *Sabbati obſeruatio.*

Hoc enim eſſet tentare Deum, ſi quis imminente tali neceſſitate vellet à bello abſtinere. Sed neceſſitate ceſſante non eſt licitum bellare in diebus feſtis; feſta enim ſunt ordinata ad vacandum diuinis; ſed bella maximam inquietudinem habent. 2. 2. *q 40. art. 4.*

Idem locus explicatur ſupra *Exodi cap.* 20. *v.* 8.

1. MACHAB. *Cap.* 2. *v.* 65.

Ecce Simon frater veſter, ſcio quòd vir conſilij eſt, ipſum audite ſemper.

ARguitur, hæc videtur eſſe differentia inter ſeptem dona ſpiritus ſancti & gratias gratis datas, quòd gratiæ gratis datæ non dantur omnibus, ſed diſtribuuntur diuerſis: dona autem ſpiritus ſancti dantur omnibus habentibus ſpiritum ſanctum.

Sed conſilium videtur eſſe de his, quæ ſpecialiter aliquibus à ſpiritu ſancto dantur, vt patet *in textu*; ergo conſilium magis debet poni inter gratias gratis datas, quàm inter ſeptem dona ſpiritus ſancti.

Ad argum. R. quòd hoc poteſt pertinere ad gratiam gratis

datam, quòd aliquis ſit ita boni conſilij, quòd alijs conſilium præbeat: ſed quòd aliquis à Deo conſilium habeat, quid fieri oporteat in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, hoc eſt commune omnium ſanctorum. *2. 2. q. 52. art. 1. ad ſecundum.*

---

1. MACHAB. *Cap. 3. v. 2.*

Præliabantur prælium Iſraël cum lætitia.

CItatur ſupra *Pſalm.* 81. *v.* 1.

1. MACHAB. *Cap. 3. v. 3.*

Protegebat caſtra gladio ſuo. &c.

TOtus ſtatus hujus vitæ eſt in pugnatione militantium, quorum habitacula caſtra dicuntur.
Iob. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram:* ideo habitacula fidelium nomine caſtrorum figurantur. Vnde Eccleſia ſimilitudinem habet caſ-
Gen. 32. v. 2. trorum. *Caſtra Dei ſunt hæc.*

Hæc caſtra tripliciter impugnantur: à quibuſdam quaſi obſidentibus, qui manifeſtè ſe eri-
Apo. 20 v. 8. gunt contra Eccleſiam, *Aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam.*

Ab alijs latenter decipitur, ſi-
Rom. ult. v. 18. cut ab hæreticis, *Per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda hominum.*

A quibuſdam, ſcilicet domeſticis per diuerſas corruptelas peccatorum, quæ ſunt [illegible] corruptione carnis, *Caro concupiſcit aduerſus* *Gal. 5. v. 17.*
ſpiritum.

Prælati Eccleſiæ ſunt duces, *Principes Iuda duces eorum.* Ad *Pſal. 67 v. 28.*
quorum officium pertinet contra omnia prædicta caſtra Eccleſiæ munire.

Contra peccata quidem per ex- *Prælatorum qualitates.*
hortationes, *Annuntia populo meo ſcelera eorum.* Contra hæreticos per ſanam doctrinam, *Amplecten-* *Eſa. 58. v. 1.*
tem eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem. Contra per- *Tit. 1. v. 9.*
ſecutores exemplo, ſcilicet patienter tolerando. *Prologo Epiſt. ad Coloſſenſes.*

1. MACHAB. *Cap. 3. v. 12.*

Nos nullo horum indiguimus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.

EXplicatur ſupra *Pſalm.* 1. *v.* 2.

---

1. MACHAB. *Cap. 13. v. 3.*

Vos ſcitis quanta ego & fratres mei fecimus pro legibus.

CItatur ſupra *Pſalm.* 81. *v.* 1.

1. MACHAB. *Cap. 13. v. 27.*

Ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu.

CItatur *Lib. 4. ſent. diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 3. *ad ſecundum.*

Libri 1. *Machabæorum finis.*

LIBER II.

MACHABÆORVM

CAP. I. *Verſ.* 4.

Adaperiat Dominus cor veſtrum.

Explicatur ſupra *Libro* 1. *Regum. cap.* 7. *v.* 3.

2. MACHAB. *Cap.* 3. *v.* 1.

Leges optimè cuſtodiebantur propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala.

ARguitur, odire malum eſt laudabile, vt patet *in textu*; ſi igitur nihil odiatur niſi malum, ſequitur quod omne odium ſit laudabile, quod patet eſſe falſum.

Ad argum. R. quòd ſicut aliquid apprehenditur vt bonum, quod non eſt verè bonum; ita aliquid apprehenditur vt malum, quod non eſt verè malum: vnde contingit quandoque nec odium mali, nec amorem boni eſſe bonum. 1. 2. *q.* 29. *art.* 1. *ad ſecundum.*

2. MACHAB. *Cap.* 3. *v.* 38.

In loco eſt verè Dei quadam virtus.

ECcleſia & altare, & alia hujuſmodi inanimata conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſusceptiua, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui; vt ſcilicet homines deuotionem quandam exinde percipiant, vt ſint paratiores ad diuina. Et inde eſt quòd hujuſmodi ante conſecrationem emundantur & exorcizantur, vt exinde virtus inimici pellatur. 3 *p.* *q* 83 *art.* 3. *ad tertium.*

2. MACHAB. *Cap.* 4. *v.* 7.

Iaſon ambiebat ſummum ſacerdotium.

EXplicatur ſupra 2. *Paralip. cap.* 16. *v.* 14.

2. MACHAB. *Cap.* 4. *v.* 14.

Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti erant &c.

QVidam dixerunt quòd ſacerdos poteſt omnino à conſecratione licitè abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare populo, & ſacramenta præbere.

Sed hoc irrationabiliter dicitur; quia vnuſquiſque tenetur vti gratiâ ſibi data cùm fuerit ei oppor-

1. Cor. 6 v. 1. tunum, ſecundùm il ud, *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*

Non licet ſacerdoti omnino à conſecratione ceſſare. Opportunitas autem ſacrificium offerendi, non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrari; ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui, conſecratione hujus ſacramenti, ſacrificium offertur.

Vnde ſacerdoti, etiam ſi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione ceſſare: ſed ſaltem videtur quòd celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maximè in illis diebus in quibus fideles communicare conſueuerunt. 3. p. q. 82. art. 10. in corpore.

2. MACHAB. Cap. 5. v. 19.

Non propter locum gentem, ſed propter gentem, locum Deus elegit.

Sacrilegii deſcriptio. PEccatum ſacrilegij in hoc conſiſtit, quod aliquis irreuerenter ſe habet ad rem ſacram. Debetur autem reuerentia rei ſacræ ratione ſanctitatis: & ideo ſecundùm diuerſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreuerentia exhibetur; neceſſe eſt quòd ſacrilegij ſpecies diſtinguantur.

Tantò enim ſacrilegium eſt grauius, quantò res ſacra in quam peccatur, majorem obtinet ſanctitatem.

Attribuitur autem ſanctitas & perſonis ſacris, id eſt, diuino cultui dedicatis, & locis ſacris, & rebus quibuſdam alijs ſacris.

Sanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis qui in loco ſacro cultum Deo exhibet, vt patet in textu.

Et ideo grauius peccatum eſt ſacrilegium, quo peccatur contra perſonam, quàm quo peccatur contra locum ſacrum. 2. 2 q. 99. art. 3. in corpore.

2. MACHAB. Cap. 6. v. 20.

Eleazarus deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.

DEſtinatio aliquando ſumitur pro reali miſſione alicujus ad aliquem terminum: & ſic deſtinatio non eſt niſi eius quod eſt.

Alio modo ſumitur deſtinatio pro miſſione quam aliquis mente concipit, ſecundùm quod dicimus deſtinare quod mente firmiter proponimus, vt patet *in textu*. Et ſic deſtinatio poteſt eſſe eius quod non eſt. 1. *p. q.* 23. *art.* 2. *ad ſecundum. Simile lib.* 1. *ſent. diſt.* 40. *q.* 2. *art.* 1. *in corpore.*

2. MACHAB. Cap. 6. v. 28.

Fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus, honeſtâ morte perfungar.

ARguitur, honeſtum dicitur quod eſt honore dignum: ſed iuſti & fortes maximè honorantur; ergo honeſtas non pertinet ad temperantiam, ſed magis ad iuſtitiam vel fortitudinem, vt patet *in textu*.

Ad argum R. quòd iuſtitiæ & fortitudini debetur major honor quàm temperantiæ, propter majoris boni excellentiam.

Sed temperantiæ debetur major honor propter cohibitionem vitiorum magis exprobrabilium. Honeſtatis deſcriptio.

Digitized by Google

Et ſic honeſtas magis attribuitur temperantiæ, ſecundùm regulam Apoſtoli, quòd, *Inhoneſta noſtra majorem habent honeſtatem*, ſcilicet remouentem quod inhoneſtum eſt. 2. 2. q. 145. art. 4. ad tertium.

1. Cor. 12 v. 23.

2. MACHAB. *Cap. 9. v 13.*

Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.

EXplicatur ſuprà *Lib. 1. Regum cap. 7. v. 3. ſimile lib. 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 1. ad tertium. vid. ſupra Prouerbior. cap. 21. v. 1.*

2. MACHAB. *Cap. 11. v. 11.*

Leonum more irruentes in hoſtes, proſtrauerunt eos.

AD euidentiam virtutis moralis, conſiderare oportet quid ſit mos; ſic enim ſcire poterimus quid ſit moralis virtus.

Mos duo ſignificat. Mos autem duo ſignificat conſuetudinem, ſicut dicitur, *Niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteritis ſalui fieri.* *Act. 15. v. 1.*

Quandoque verò ſignificat inclinationem quandam naturalem, vel quaſi naturalem ad aliquid agendum. Vnde & etiam brutorum animalium dicuntur aliqui mores, vt patet *in textu*. Et ſic accipitur mos, vbi dicitur, *Qui habitare facit unius moris in domo.* *Pſal. 67 v. 7.*

Dicitur autem virtus moralis à more, ſecundùm quod mos ſignificat quandam inclinationem naturalem, vel quaſi naturalem ad aliquid agendum.

Et huic ſignificationi moris propinqua eſt alia ſignificatio, quæ ſignificat conſuetudinem. Nam conſuetudo quodammodo vertitur in naturam, & facit inclinationem ſimilem naturali.

Manifeſtum eſt autem quòd inclinatio ad actum propriè conuenit appetitiuæ virtuti, cujus eſt mouere omnes potentias ad agendum. Et ideo non omnis virtus dicitur moralis; ſed ſolùm illa quæ eſt in vi appetitiua. 1. 2. q. 58. art. 1. in corpore.

2. MACHAB. *Cap. 12. v. 43.*

Iudas factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.

ARguitur, inuenerunt Iudæi ſub tunicis interfectorum de denarijs idolorum, à quibus lex prohibet, *Iudas duodecim millia &c.* vt patet in textu: conſtat autem illos mortaliter peccaſſe contra legem agentes, & ita in mortali peccato deceſſiſſe, & ita ad infernum eſſe tranſlatos; ergo in inferno exiſtentibus ſuffragia proſunt.

Ad argum. R. quòd donaria idolorum non fuerunt inuenta apud illos mortuos, vt ex eis ſignum accipi poſſet, quòd in reuerentiam idolorum eis deferrent; ſed ea acceperunt vt victores quæ eis iure belli debebantur: & tamen per auaritiam venialiter peccauerunt; vnde non fuerunt in inferno damnati: & ſic ſuffragia eis prodeſſe poterant.

Vel dicendum ſecundùm quoſdam, quòd in ipſa pugna viden-

tes ſibi periculum eminere, de peccato pœnituerunt, ſecundùm illud, *Cùm occideret eos quærebant eum*. (Pſal 77. v 34.) Et hoc probabiliter poteſt æſtimari: & ideo oblatio pro eis fuit facta. *Lib. 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 2. ſimile lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 45. art. 3. ad primum.*

2. MACHAB. *Cap. 12. v. 46.*

Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.

VIdetur quòd purgatorium non ſit poſt hanc vitam, dicitur enim, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis*: (Apo. 14 v. 13.) ergo his qui in Domino moriuntur non manet aliquis purgatorius labor poſt hanc vitam: nec illis qui non in Domino moriuntur, quia illi purgari non poſſunt; ergo purgatorium poſt hanc vitam non eſt.

2. Sicut ſe habet charitas ad præmium æternum, ita peccatum mortale ad ſupplicium æternum: ſed decedentes in peccato mortali ſtatim ad ſupplicium æternum deportantur; ergo decedentes in charitate ſtatim ad præmium vadunt: & ita non manet eis aliquod purgatorium poſt hanc vitam.

3. Deus qui eſt ſummè miſericors pronior eſt ad præmiandum bona, quàm ad puniendum mala: ſed ſicut illi qui ſunt in ſtatu charitatis, faciunt aliqua mala quæ non ſunt digna ſupplicio æterno: Ita qui ſunt in peccato mortali, interdum faciunt aliqua bona ex genere, quæ non ſunt digna præmio æterno; ergo cùm illa bona non præmientur in damnandis poſt hanc vitam, nec illa mala debent poſt hanc vitam puniri; & ſic idem quod priùs

Sed contra eſt quod dicitur *in textu*. Sed pro defunctis qui ſunt in paradiſo non eſt orandum; quia illi nullo indigent. Nec iterum pro illis qui ſunt in inferno; quia illi à peccatis ſolui non poſſunt; ergo poſt hanc vitam ſunt aliqui à peccatis nondum abſoluti, qui ſolui poſſunt: & tales charitatem habent ſine qua non fit peccatorum remiſſio; quia, *Vniuerſa delicta operit charitas*. (Prou 10 v. 12.)

Vnde ad mortem æternam non deuenient; quia, *Qui viuit & credit in me non morietur in æternum*. (Ioan 11. v. 26.) Nec ad gloriam inducentur niſi purgati, quia nihil immundum ad illam perueniet, *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*; (Apo 21. v. 27.) ergo aliqua purgatio reſtat poſt hanc vitam.

Dicendum quòd ſatis conſtat purgatorium eſſe poſt hanc vitam. Si enim per contritionem deletâ culpâ, non tollitur ex toto reatus pœnæ; nec etiam ſemper venialia dimiſſis mortalibus tolluntur; & iuſtitia hoc exigit vt peccatum per pœnam debitam ordinetur.

(Purgatorij neceſſitas.) Oportet ergo quòd ille qui poſt contritionem de peccato, & abſolutionem, decedit ante ſatisfactionem debitam, poſt hanc vitam puniatur.

Et ideo illi qui purgatorium negant, contra diuinam iuſtitiam loquuntur: & propter hoc erroneum eſt, & à fide alienum.

Ad 1. R. quòd auctoritas illa loquitur de labore operationis ad merendum, & non de labore paſ-

Digitized by Google

ſionis ad purgandum.

Ad 2. R. quòd malum non habet cauſam perfectã, ſed ex ſingularibus defectibus contingit: ſed bonum ex vna cauſa perfecta conſurgit. Et ideo quilibet defectus impedit à perfectione boni; ſed non quodlibet bonum impedit conſummationem aliquam mali; quia numquam eſt malum ſine aliquo bono.

Et ideo peccatum veniale impedit habentem charitatem ne ad perfectum bonum deueniat, ſcilicet vitam æternam, quandiu purgatur.

Sed peccatum mortale non poteſt per aliquod bonum adjunctum, quominus ſtatim ad vltimum malorum perducat.

Ad 3. R. quòd ille qui in peccatum mortale incidit, omnia bona anteacta mortificat: & quæ in peccato mortali exiſtens, facit, mortua ſunt; quia ipſe Deum offendens, omnia bona meretur amittere, quæ à Deo habet.

Vnde ei qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod præmium poſt hanc vitam, ſicut manet aliquando pœna ei qui in charitate decedit, quæ non ſemper delet omne malum quod inuenit, ſed ſolùm hoc quod eſt ſibi contrarium. *Lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 1. art. 1.*

Sancta & ſalubris eſt cogitatio &c. Videtur quòd non liceat ab aliquo moriente requirere quòd reuelet ſtatum ſuum poſt mortem; non enim licet inquirere quæ Deus vult eſſe abſcondita, ſecundùm illud, *Altiora te ne quæſieris:* Eccli. 3. v. 22.
ſed Deus vult eſſe abſconditum ſtatum animæ poſt mortem; quod patet ex hoc quod, *Diuiti petenti ut Lazarus mittertur ad fratres ſuos viuentes*, eſt hoc denegatum: non ergo licet hoc, à morientibus requirere. Lucæ 16. v. 27.

Dicendum quòd cùm peccatum ſit contra naturam, requirere impletionem naturalis deſiderij non eſt peccatum, niſi aliqua inordinatio adjungatur; ſicut patet in ſumptione cibi & potus.

Licet à mortuis requirere ſtatū ſuum.

Homo autem naturaliter ſcire deſiderat: vnde ſi requirat alicujus rei notitiam, non eſt peccatum, niſi forte per accidens hoc eſt, per aliquam inordinationem adjunctam, putà, ſi per ſtudium & inquiſitionem alicujus ſcientiæ aliquis impediatur ab his quibus tenetur intendere, putà ſi prædicator impediatur ab officio debitæ prædicationis propter ſtudium geometriæ.

Aut etiam ſi quis inquirat aliquid cognoſcere ſuperbè & præſumptuosè de ſua facultate confidens; vel ſi qua alia hujuſmodi inordinatio circa hoc contingat.

Nulla autem inordinatio in hac inquiſitione videtur, ſi aliquis requirat à moriente cognoſcere ſtatum ſuum poſt mortem; ſubmittendo tamen hoc diuino judicio.

Vnde nulla ratio videtur quare debeat dici hoc eſſe peccatum; niſi fortè ex dubitatione fidei de futuro ſtatu, quaſi tentando inquirat.

Et hoc patet *per textum*; homo enim prouocatur, *Pro defunctis exorare*, per hoc quòd cognoſcit neceſſitatem eorum, quam habent poſt mortem; ergo licitum eſt & ſanctum hoc à morientibus requirere.

Ad argum. R. quòd Deus vult

multa nobis ſiç eſſe abſcondita, quorum notitiam proprijs viribus, aut merito acquirere non poſſumus, quæ tamen vult reuelari humiliter & piè quærentibus, ſecundùm illud, *Abſcond hæc à ſapientibus &c.* Vnde non eſt mirum, ſi ſuperbis fratribus ſuperbi diuitis Deus aliqua noluit reuelari; quæ tamen vult reuelari fidelibus piè & humiliter requirentibus. *Quodlibeto 3. art. 22.*

Matt. 11 v. 25.

Sancta & ſalubris eſt cogitatio.

Pſal. 61. v. 13. Dicitur, *Tu reddes vnicuique iuxta opera ſua*; non ergo per opera viuorum defuncti iuuantur.

Ad argum. R. quòd gloria vel damnatio vltima, ſolùm ſecundùm opera propria defunctis reddentur; ſed impedimenta conſequendæ ſalutis tolluntur per opera aliorum. Quæ tamen opera ſunt eorum, inquantum pro eis ſunt facta, & inquantum meruerunt vt eis poſt mortem poſſent prodeſſe; quippe qui conjuncti ſunt vinculo charitatis his à quibus poſt mortem iuuantur. *Lib. 4. ſent. ad Annibald. q. 45. art. 2. ad primum.*

Idem locus explicatur ſupra *Iob. cap. 19. v. 8. vid. lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 45. art. 2. ſed contra.*

2. MACHAB. *Cap. 14. v 18.*

Nicanor audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quam pro patria certaminibus habebant.

Laudabilia ſunt ſolùm virtutum opera; ergo magnanimitas, ad quam pertinet magnum animum habere, eſt virtus, vt patet in textu. 2. 2. *q. 129. art. 3. ſed contra.*

2. MACHAB. *Cap. 14. v. 45.*

Razias ſeipſum interfecit.

Explicatur ſupra *Iudicum cap. 16. v. 30.*

2. MACHAB. *Cap. 15. v. 14.*

Hic eſt qui multùm orat pro populo.

Sancti ex charitate dum viuunt, & pro alijs orant, & merito charitatis exaudiuntur: ſed eorum charitas in patria perficitur; ergo ibi magis & efficacius pro nobis orant.

Ex hoc ipſo ergo quòd vident Verbum, & in Verbo omnia quæ eos decent; noſtras orationes & neceſſitates cognoſcunt; & vrgente charitate qua feruent, pro nobis orant, & impetrant. *Lib. 4. ſent. ad Annibald. diſt. 45. art. 4. in corpore. ſimile 2. 2. q. 83. art. 11. vid. lib. 4. ſent. diſt. 45. q. 3. art. 3. ſed contra.*

Sancti in patria orant pro nobis.

Libri 2. Machabæorum, & totius Veteris Teſtamenti finis.

APPENDIX OMISSORVM.

DEVTERON. CAP. 15. Verſ. 4.

Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.

ARguitur, illud quod eſt in lege prohibitum, & iuſtitiæ contrarium, non competit religioſis: ſed mendicare eſt prohibitum in lege diuina, vt patet *in textu*, Et, *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem*; ergo non competit religioſis mendicare

Pſal. 36. v. 25.

Ad argum. R. quòd ex illo præcepto legis diuinæ non prohibetur alicui mendicare, ſed prohibetur diuitibus, ne tam tenaces ſint, vt propter hoc aliqui egeſtate mendicare cogantur. 2. 2. q. 187. *art. 5. ad tertium.*

Mendicare religioſis licet.

DEVTER. Cap. 16. v. 20.

Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris.

ARguitur, eſt modus virtutis vt aliquis iuſtè operetur iuſta, & fortiter fortia, & ſimiliter de alijs virtutibus vt patet *in textu*; ergo modus virtutis cadit ſub præcepto.

Ad argum. R. quòd modus faciendi actum iuſtitiæ qui cadit ſub præcepto, eſt vt fiat aliquid ſecundùm ordinem iuris; non autem quòd fiat ex habitu iuſtitiæ. 1. 2. q. 100. *art. 9. ad primum.*

DEVTER. Cap. 23. v. 22.

Si nolueris polliceri, abſque peccato eris.

ARguitur, Iepthe in catalogo ſanctorum ponitur, vt patet: ſed ipſe filiam innocentem occidit propter votum vt habetur; cùm ergo occiſio innocentis non ſit melius bonum, ſed ſit ſecundùm ſe illicitum, videtur quòd votum fieri poſſit non ſolùm de meliori bono, ſed etiam de illicitis.

Hebr. 11. v. 32. *Iudic 11 v. 30.*

Ad argum. R. quòd quædam ſunt quæ in omnem euentum ſunt bona, ſicut opera virtutis: & alia bona quæ poſſunt abſolutè cadere ſub voto.

Quædam verò in omnem euentum ſunt mala, ſicut ea quæ ſecundùm ſe ſunt peccata. Et hæc nullo modo poſſunt ſub voto cadere.

Quæ voueri poſſunt.

Quædam verò ſunt quidem in ſe conſiderata bona: & ſecundùm hoc poſſunt cadere ſub voto. Poſſunt tamen habere malum euentum; in quo non ſunt obſeruanda.

Et ſic accidit in voto Iepthe qui votum vouit Domino dicens, *Si tradideris filios Amon in manus meas, quicumque primus egreſſus fuerit de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti in pace, eum of-*

Digitized by Google

feram holocauſtum Domino.

Hoc autem poterat malum euentum habere, ſi occurreret ei aliquod animal non immolandum, ſicut aſinus vel homo quod etiam accidit. Vnde in vouendo fuit ſtultus; quia diſcretionem non habuit: & in reddendo impius.

Præmittitur tamen ibidem quòd, *Factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini*; quia fides & deuotio ipſius, ex qua motus eſt ad vouendum, fuit à ſpiritu ſancto. Propter quod ponitur in catalogo ſanctorum; & propter victoriam quam obtinuit, & quia probabile eſt eum pœnituiſſe de facto iniquo; quod tamen aliquod bonum figurabat. *2. 2 q. 88. art. 2. ad ſecundum.*

DEVTER. *Cap. 32 v. 7.*

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi.

ARguitur, ſicut per Apoſtolos ad nos fides Chriſti peruenit, ita etiam in veteri Teſtamento per priores patres ad poſteriores deuenit cognitio fidei, vt patet *in textu*: ſed Apoſtoli pleniſſimè fuerunt inſtructi de myſterijs; ergo videtur quòd cognitio credibilium non creuerit per temporum ſucceſſionem.

Ad argum. R. quòd vltima conſummatio gratiæ facta eſt per Chriſtum: vnde & tempus eius dicitur, *Tempus plenitudinis.* Et ideo illi qui fuerunt propinquiores Chriſto, vel ante, ſicut Ioannes Baptiſta; vel poſt, ſicut Apoſtoli; pleniùs myſteria fidei cognouerunt. *Gal. 4. v. 4.*

Quia & circa ſtatum hominis hoc videmus quòd perfectio eſt in iuuentute: & tantò habet homo perfectiorem ſtatum vel ante, vel poſt, quantò eſt iuuentuti propinquior. *2. 2. q. 1. art. 7. ad quartum.*

1. REG *Cap 16. v. 7.*

Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

POena legis non infligitur, niſi pro illis de quibus legiſlator habet iudicare; quia ex iudicio lex punit. Homo autem qui eſt legiſlator humanæ, non habet iudicare niſi de exterioribus actibus; quia, *Homines vident ea quæ parent*, vt patet in textu.

Sed ſolius Dei qui eſt lator legis diuinæ, eſt iudicare de interioribus motibus voluntatum, ſecundùm illud, *Scrutans corda & renes Deus.* *Pſal. 7. v. 10.* *1. 2. q. 100. art. 9. in corpore.*

IOB *Cap. 13. v. 9.*

Nunquid decipietur vt homo veſtris fraudulentijs?

ARguitur, nullus aſtutiâ vtitur contra ſeipſum: ſed aliquorum fraudes ſunt contra ſeipſos; dicitur enim de quibuſdam quòd, *Moliuntur fraudes contra animas ſuas*; ergo fraus non pertinet ad aſtutiam. *Prou. 1. v. 18.*

Vid. quæ ſequuntur ſupra Pſalm. 7. v. 16.

IOB. *Cap. 14. v. 19.*

Alluuione paulatim terra conſumitur.

TErra non eſt infinita; ſi ergo fuiſſet tempus infinitum, jam totaliter

Digitized by Google

totaliter eſſet conſumpta, quod patet eſſe falſum.

Præterea, dicitur ex ore diuinæ
Prou. 8. ſapientiæ, *Nondum erant abyſſi &c.*
v. 24. Ergo cardines orbis terræ, & flumina & terra non ſemper fuerunt. *In queſt. diſp. q. 3. de potentia art. 17 ſed contra.*

IOB. *Cap.* 20. *v.* 15.

Diuitias quas deuorauit, euomet.

DOminus prohibuit principaliter in lege ſua iniuriam proximi: & primò iniuriam in pro-
Ex. 20. priam perſonam, ibi, *Non occides*;
v. 13. ſecundò in perſona conjuncta, ibi,
Ex. 20. *Non mœchaberis*: tertiò in rebus,
v. 14. hic, non furtum facies.

Ex. 20. Et ſciendum quòd in hoc præ-
v. 15. cepto prohibetur omne malum ablatum: committitur enim furtum multis modis; primò occultè
Matth. 24 accipiendo, *Si ſciret paterfamilias*
v. 43. *quâ horâ fur venturus eſſet.*

Secundò, violenter auferendo:
Iob. 24. & hæc eſt major injuria. *Vim fe-*
v. 9. *cerunt depradantes pupillos.* Inter iſtos ſunt mali principes & reges,
Sophō. 3. *Principes eius in medio eius quaſi*
v. 3. *leones rugientes &c.* Iſti enim faciunt contra intentionem Domini volentis iuſtum regnum, & di-
Prou. 8. centis, *Per me reges regnant, & le-*
v. 15. *gum conditores iuſta decernunt.* Et
Furtum fieri poteſt 5. modis. aliquando talia faciunt per modum furti, aliquando per violentiam.

Tertiò, mercedem non ſoluen-
Leu. 19. do, *Non morabitur opus mercenarij*
v. 13. *apud te vſque mane.* Et hoc intelligitur quòd homo cuilibet dare debet quod ſuum eſt, ſiue principi, ſiue prælato, ſiue clerico, *Reddite omnibus debita, cui tributum tri-* Rom. 13.
butum. Tenemur enim regibus v. 7.
cuſtodientibus pacem noſtram, dare mercedem.

Quartò, fraudem in mercationibus committendo. Vnde dici-
tur, *Non habebis in ſacculo diuerſa* Deu. 25
pondera. Et, *abominatio eſt apud* v. 13.
Dominum pondus & pondus, ſtatera Prou. 20
doloſa non eſt bona. Hoc eſt etiam v. 10.
caupones, qui miſcent aquam vino. In hoc etiam prohibetur vſura.

Quintò, dignitates emendo ſiue temporales ſiue ſpirituales. De Iob. 20.
primo, *Diuitias quas deuorauit,* v. 15.
euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Omnes enim tyranni qui vi tenent regna, vel prouinciam, vel feudum, fures ſunt; & omnes tenentur ad reſtitutionem.

De ſecundo, *Qui non intrat per* Ioann. 10.
oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit v. 1.
aliunde; ille fur eſt & latro. Et ideo ſimoniaci fures ſunt. *Opuſculo de 10. præceptis cap.* 24.

PSALM. *Cap.* 118. *v.* 110.

Super ſenes intellexi.

ITa ſe habent in doctrina fidei articuli fidei ſicut principia per ſe nota in doctrina, quæ per rationem naturalem habetur. In quibus principijs ordo quidam inuenitur, vt quædam in alijs implicitè contineantur; ſicut omnia principia reducuntur ad hoc ſicut ad primum, impoſſibile eſt ſimul affirmare & negare.

Et ſimiliter omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, ſcilicet vt credatur Deus eſſe, & prouiden-

tiam habere circa hominum ſalutem; ſecundùm illud, *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.* *Hebr. 11 v. 6.*

In eſſe enim diuino includuntur omnia quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere, in quibus noſtra beatitudo conſiſtit. In fide autem prouidentiæ, includuntur omnia quæ temporaliter à Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem, quæ ſunt via in beatitudinem.

Et per hunc etiam modum aliorum ſubſequentium articulorum, quidam in alijs continentur, ſicut in fide redemptionis humanæ implicitè continentur & incarnatio Chriſti, & eius paſſio, & omnia hujuſmodi.

Quomodo articuli fidei tēporum ſucceſſione creuerunt.

Sic ergo dicendum eſt, quòd quantùm ad ſubſtantiam articulorum fidei, non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem; quia quæcumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium patrum, licet implicitè.

Sed quantùm ad explicationem creuit numerus articulorum; quia quædam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, quæ à prioribus, non cognoſcebantur explicitè.

Vnde Dominus Moyſi dixit, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, & nomen meum Adonai, non indicaui eis.* *Ex. 6. v. 3.* Et Dauid dicit in textu *Super ſenes intellexi.* Et Apoſtolus dicit, *In alijs generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius & Prophetis,* *Eph. 3 v. 4.* 2. 2. q. 1. art. 7. in corpore.

ESAIÆ *Cap. 24. v. 22.*

Congregabuntur congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur.

Arguitur, Propheta loquitur ibi de damnatis, qui militiam cœli adorauerant; ergo videtur quòd etiam damnati, Chriſto deſcendente ad inferos, ſint viſitati; quod ad eorum liberationem videtur pertinere.

Ad argum. R. quòd Chriſto deſcendente ad inferos, omnes qui erant in quacumque parte inferni ſunt aliqualiter viſitati. Sed quidam ad ſuam conſolationem & liberationem; quidam autem ad ſuam confutationem & confuſionem, ſicut damnati. Vnde ibidem ſubditur, *Et erubeſcet luna, & confundetur ſol &c.* *Soph. 1. v. 12.*

Poteſt etiam hoc referri ad viſitationem qua viſitabuntur in die iudicij; non vt liberentur, ſed vt ampliùs condemnentur, ſecundùm illud, *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. 3. p. q. 53. art. 6. ad primum.*

FINIS.

Digitized by Google

INDEX LOCORVM VETERIS TESTAMENTI

extra locum ſuum citatorum.

P. paginam T. tomum deſignat.

Gen. 1. v. 1. IN principio creauit Deus cœlum & terram. *p.* 126. *t.* 2.

Gen. 1. v. 3. Dixit Deus fiat lux. *p.* 467. *t.* 2.

Gen. 1. v. 26. Faciamus hominem ad imagin. *p.* 325. 422. 435. & 526. *t.* 2.

Gen. 2. v. 4. Iſtæ ſunt generationes cœli. *p.* 411. *t.* 2. *&* *p.* 384. *t.* 3.

Gen. 2. v. 17. Morte morieris. *p.* 118. *t.* 2.

Gen. 2. v. 23. Relinquet homo patrem ſuum &c. *p.* 372. *t.* 3.

Gen. 3. v. 19. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *p.* 578. *t.* 2.

Gen. 5. v. 3. Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem ſuam. Zachar. *cap.* 13. *v.* 5.

Gen. 14. v. 18. Melchiſedech rex ſalem proferens panem, & vinum &c. *p.* 571. *t.* 2.

Gen. 18. v. 27. Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis. *p.* 567. *t.* 2.

Gen. 19. v. 24. Dominus pluit ſuper Sodomam &c. *p.* 51. 118. & 471. *t.* 2.

Gen. 22. v. 1. Tentauit Dominus Abraham. *p.* 455. *&* 471. *t.* 2.

Gen. 22. v. 18. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *p.* 171. *t.* 1.

Gen. 27. v. 41. Venient dies luctus patris mei. *p.* 76. *t.* 3.

Gen. 32. v. 2. Caſtra Dei ſunt hæc. 1. Machab. 3. *v.* 3.

Gen. 34. v. 14. Non poſſumus dare ſororem noſtram homini incircumciſo. *p.* 186. *t.* 2.

Gen. 40. v. 8. Numquid non Dei eſt interpretatio? *p.* 143. *t.* 2.

Gen. 41. v. 26. Septem ſpicæ plenæ &c. *p.* 97. *t.* 2.

Gen. 41. v. 46. Triginta annorum erat Ioſeph quando ſtetit in conſpectu regis Pharaonis. *p.* 81. *t.* 2.

Exod. 6. v. 3. Nomen meum Adonai non indicaui eis. *p.* 118. *v.* 100. in append.

Exod. 7. v. 12. Projecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones. *p.* 192. *t.* 2.

Exod. 10. v. 1. Ego induraui cor Pharaonis. *p.* 418. *t.* 3.

Exod. 12. v. 48. Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam. *p.* 421. *t.* 1.

Exod. 14. v. 27. Fugientibus Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. *p.* 118. *t.* 2.

Exod. 19. v. 15. Ne appropinquetis vxoribus veſtris. *p.* 455. *t.* 3.

Exod. 20. v. 3. Non habebis deos alienos coram me. *p.* 150. *t.* 3.

Digitized by Google

Exod. 20. *v.* 5. Sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes &c. Ioëlis *cap.* 2. *v.* 12.
Exod. 20. *v.* 7. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. *p.* 499. *t.* 3.
Exod. 20. *v* 12. Honora patrem tuum &c *p* 425. *t.* 3
Exod. 20 *v* 13. Non occides. *p.* 499. *t.* 3. & 1 Machab. 2. *v.* 41. & Iob *cap.* 20. *v.* 15. in append.
Exod 20. *v* 14. Non mœchaberis *p.* 499. *t.* 3. & Iob *cap.* 20. *v.* 15. in append.
Exod. 20. *v.* 15. Non furtum facies. *p.* 499. *t.* 3. & Iob. *cap.* 20. *v.* 15. in append.
Exod 20. *v.* 16. Non loqueris contra proximum &c. *p.* 425. *t.* 2. & *p.* 4 9. *t.* 3.
Exod. 21. *v.* 12. Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. *p* 465. *t.* 1.
Exod 22. *v.* 1. Cùm furatur quis vnam ouem, reddet quatuor. *p.* 445. *t.* 3.
Exod. 22. *v.* 16. Si ſeduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam &c. 457 *t.* 2. & *p.* 404. *t.* 3
Exod. 22. *v.* 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo &c. *p.* 457. *t.* 1.
Exod. 22. *v.* 26. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei. *p.* 457. *t.* 1.
Exod. 22. *v.* 28. Principi populi tui non maledices. *p.* 107. *t.* 2.
Exod. 23. *v* 2. Non ſequeris turbam ad faciendum malum *p.* 1 0. *t.* 2.
Exod. 32. *v.* 28. Ceciderunt in die illa quaſi 23. millia hominum. *p.* 118. *t.* 2.
Exod. 33. *v.* 19. Oſtendam tibi omne bonum. *p.* 376. *t.* 2.
Exod. 34. *v.* 14. Dominus zelotes nomen eius. Ioëlis *cap.* 2. *v.* 12.
Exod. 40 *v.* 32. Operuit nubes tabernaculum teſtimonij. *p.* 200. *t.* 2.
Leuit 1. *v.* 3. Si holocauſtum fuerit eius oblatio *p.* 450. *t.* 3.
Leuit. 3 *v.* 1. Si hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio. *p.* 450. *t.* 3.
Leuit 19. *v.* 2. Sancti eritis; quoniam ego ſanctus ſum. *p.* 374. *t.* 3.
Leuit. 19 *v.* 13. Non morabitur opus mercenarij apud te vſque mane. Iob *cap.* 20. *v.* 15. in append.
Leuit 19. *v.* 31. Non declinetis ad magos &c. Malach. *cap.* 1. *v.* 11.
Leu. 24. *v.* 14. Educ blaſphemum extra caſtra, & lapidet eum populus vniuerſus. *p.* 394. *t.* 1.
Leuit. 27. *v.* 17. Si immundum animal eſt, redimet qui obtulerit *p.* 12. *t.* 3.
Num. 11. *v.* 17. Auferam de ſpiritu tuo. *p.* 9. *t.* 1.
Num. 12. *v* 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini. *p.* 93. *t.* 2.
Num. 22. *v.* 28. Aperuit Dominus os aſinæ, & locuta eſt. *p.* 193 *t.* 2.
Num. 25. *v.* 4. Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis. *p.* 118. *t.* 2.
Deu. 1. *v.* 17. Quia Dei eſt iudicium *p.* 458. *t.* 1.
Deu. 4. *v.* 19. Ne adores ea & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus *p.* 151. *t.* 3.
Deu 4. *v.* 36. & 37. Audiſtis verba illius de medio ignis; quia dilexit patres, & elegit ſemen eorum poſt illos. *p.* 374 *t.* 3.
Deu. 7. *v.* 2. & 3. Non inibis cum eis fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia. *p.* 185. *t.* 2.
Deu. 9. *v.* 5. Quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ ſunt. *p.* 465. *t.* 1.
Deu. 10. *v.* 12. Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te; niſi vt timeas

Digitized by Google

Dominum Deum tuum. Malach *cap*. 1. *v*. 6.

Deu. 13. *v*. 3. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non. *p*. 472. *t*. 2.

Deu 17. *v*. 6. In ore duorum vel trium teſtium peribit, qui interficietur. *p*. 109. *t*. 2.

Deu. 18. *v*. 10. Nec inueniatur in te qui luſtret filium. *p*. 143. *t*. 2.

Deu. 19. *v* 4. Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens &c. *p* 74. *t*. 2.

Deu 19. *v*. 15. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum *p*. 109. *t*. 2.

Deu. 21. *v* 10. & 11. Si egreſſus ad pugnam videris mulierem pulchram in medio captiuorum, dormieſque cum ea, & erit tibi vxor. *p*. 185. *t*. 2.

Deu. 22. *v*. 1. Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis. Debuiſſet explicari prouerb. *cap*. 24. *v*. 11. ſed explicatur Eccle. *cap*. 1. *v*. 15.

Deu. 25. *v*. 13. Non habebis in ſacculo diuerſa pondera. Iob *cap*. 20 *v*. 15. in appendice.

Deu. 27. *v*. 26. Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus. Debuiſſet explicari lib 4. Regum *cap*. 2. *v*. 24. ſed explicatur Daniel *cap*. 3. *v* 82.

Deu. 32. *v*. 4. Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate. Eſaiæ *cap*. 53. *v*. 12.

Deu. 32. *v*. 18. Deum qui te genuit, dereliquiſti. *p*. 384 *t*. 3.

Deu. 32. *v*. 35. Mihi vindicta, & ego retribuam. *p* 117. *t*. 2 & *p*. 86. *t*. 3.

Deu 32. *v*. 39. Ego occidam, & ego viuere faciam. *p*. 21. t. 2.

Ioſue. 4. *v*. 18. Reuerſæ ſunt aquæ in aluum ſuum. *p*. 97. *t*. 2.

Ioſue 10. *v*. 12. Sol contra Gabaon ne mouearis. *p*. 132 *t*. 2.

Iudic 11. *v*. 30. Si tradideris filios Amon &c. Deuter. 23. *v*. 22 in append.

Iudic. 14. *v*. 12. Proponam vobis problema. *p*. 150. *t* 2.

Iudic. 15. *v*. 14. Irruit Spiritus Domini in eum *p*. 96. *t*. 2.

Ruth. 1. *v*. 16. Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus. *p*. 292 *t*. 1.

3. *Regum* 3 *v*. 5. In ſomno aperit aures virorum *p*. 32 *t* 1.

3. *Reg*. 8. *v*. 10. Dixit Dominus vt habitaret in nebula *p*. 406. *t*. 3.

3. *Reg*. 10. *v*. 5. Regina Saba videns ordinem miniſtrantium Salomoni, non habebat vltra ſpiritum. *p*. 385. *t*. 1.

3 *Reg*. 18. *v*. 21. Vſquequo claudicatis in duas partes? Ioëlis *cap*. 2. *v*. 12.

3. *Reg*. 18. *v*. 28. Incidebant ſe cultris & lanceolis. *p*. 368. *t*. 1.

4. *Reg*. 2. *v*. 15. Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. *p*. 9. *t* 1.

4. *Reg*. 2 *v*. 24. Maledixit eis in nomine Domini. *p*. 509. *t*. 3.

4 *Reg*. 3. *v* 15. Cùm caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini *p*. 45. *t*. 2.

4. *Reg*. 4. *v*. 27. Anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me *p*. 45. *t* 2.

4 *Reg*. 17. *v*. 25. Immiſit in eos Dominus leones. *p*. 330. *t*. 1.

1. *Para*. 29. *v*. 14. Tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. *p*. 248. *t*. 1. & Ioelis *cap*. 2. *v*. 12.

Tobia 4. *v*. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. *p*. 510. *t*. 3.

Tobia. 12. *v*. 7. Sacramentum regis abſcondere bonum eſt. *p*. 136. *t*. 3.

Iudith. 3. *v*. 13. Nabuchodonoſor ſolus volebat dici Deus &c. *p*. 15. *t*. 2.

Iob 3. *v*. 8. Maledicant ei, qui maledicunt diei. *p*. 510. *t*. 3.

Digitized by Google

Iob. 5. *v*. 17. Beatus homo qui corripitur à Deo *p*. 405. *t*. 2.
Iob. 7. *v*. 1. Militia eſt vita hominis ſuper terram. 1. Machab. 3. *v*. 3.
Iob. 7. *v*. 17. Quid eſt homo, quia magnificas eum? Explicari debuit Pſalm. 14. v. 5. ſed explicabitur Ioan. *cap*. 8. v. 34.
Iob. 11. *v*. 6. Vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ. *p*. 522. *t*. 3.
Iob 12. *v*. 4. Deridetur iuſti ſimplicitas: *p* 16. *t*. 2.
Iob 15. *v*. 34. Ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Abacuc *cap*. 1. v. 6.
Iob 21. *v*. 14. Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. *p*. 64. *t*. 2.
Iob 23. *v*. 6. Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis ſuæ mole me premat. *p*. 197. *t*. 2.
Iob 24. *v*. 9. Vim fecerunt deprædantes pupillos. Iob. cap. 20. v. 15. in append.
Iob. 25. *v*. 4. Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo? *p*. 139. *t*. 3.
Iob 28. *v*. 7. Semitam ignorauit auis. *p*. 20. *t*. 3.
Iob 28. *v*. 21. Abſcondita eſt ab oculis viuentium omnium. *p*. 383. *t* 3.
Iob 31. *v*. 18. Ab infantia creuit mecum miſeratio. *p*. 545. *t*. 2.
Iob 33. *v*. 4. Spiritus Domini fecit me. *p*. 503. *t*. 3.
Iob 33. *v*. 15. & 16. In ſomno tunc aperit aures virorum. *p*. 32. *t*. 2.
Iob 34 *v*. 3. Qui facit regnare hominem hypocritam. Oſeæ cap. 13. v. 11.
Iob 35. *v*. 7. Si iuſtè egeris, quid donabis ei? *p*. 476. *t*. 3.
Iob. 36. *v*. 6. Iudicium pauperibus tribuit *p*. 412. *t*. 3.
Iob 36. *v*. 33. Annuntiat de ea amico ſuo. Malach. cap. 1. v. 11.
Iob 38. *v*. 10. Circumdedi mare terminis meis. *p*. 466. *t*. 3.
Pſalm. 2. *v*. 4. Qui habitat in cœlis irridebit eos. *p*. 16. *t*. 3.
Pſal. 2 *v*. 7. Dominus dixit ad me, filius meus es tu &c. *p*. 384. *t*. 3.
Pſal. 5. *v*. 7. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. *p*. 461. *t*. 2.
Pſal. 6. *v*. 3. Miſerere mei Domine; quoniam infirmus ſum. *p*. 155. *t*. 3.
Pſal. 7. *v*. 10. Scrutans corda & renes Deus. Deuter. cap. 23. v. 22. in append.
Pſal. 8. *v*. 8. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. *p*. 50. *t*. 3.
Pſal. 9. *v* 5. Sediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam. *p*. 71. *t*. 3.
Pſal. 15. *v*. 5. Dominus pars hæreditatis meæ. *p*. 130. *t*. 2.
Pſal. 18. *v*. 6. In ſole poſuit tabernaculum ſuum. *p*. 200. *t*. 2.
Pſal. 18. *v*. 8. Lex Domini immaculata conuertens animas. *p*. 485. *t*. 3.
Pſal. 18. *v*. 9. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. *p*. 444. *t*. 1.
Pſal. 18. *v*. 10. Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum. Malach. cap. 1. v. 6.
Pſal. 18. *v*. 13. Delicta quis intelligit? *p*. 112. *t*. 3.
Pſal. 20. *v*. 13. In reliquijs tuis præparabis vultum eorum. *p*. 405. *t*. 3.
Pſal. 22. *v*. 2. Super aquam refectionis educauit me. *p*. 36. *t*. 3.
Pſal. 24. *v*. 10. Omnes viæ Domini miſericordia & veritas. *p*. 525. *t*. 2.
Pſal. 31. *v*. 5. Dixi confitebor aduerſùm me iniuſtitiam. *p*. 42 *t*. 3.
Pſal. 32. *v*. 9. Dixit & facta ſunt. *p*. 509. *t*. 3.
Pſal. 34. *v*. 13 Oratio mea in ſinu meo conuertetur. *p*. 17. *t*. 3.
Pſal. 35. *v*. 7. Homines & iumenta ſaluabis Domine. *p*. 375. *t*. 3.
Pſal. 35. *v*. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. *p*. 387. *t*. 3.

Pſal 35 *v.* 10. Apud te eſt fons vitæ. *p.* 155. *t.* 3.
Pſal 3 . *v.* 10. In lumine tuo videbimus lumen. *p.* 108. *t.* 2.
Pſal. 36. *v.* 25. Non vidi iuſtum derelictum. *p.* 47 . *t.* 2 & Deuter. cap. 15. v. 14. in appendice.
Pſal 39 *v.* 3. Spera in Domino, & fac bonitatem, *p.* . *t.*
Pſal. 39. *v.* 5. Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes eius. *p.* 519. *t.* 3.
Pſal. 45 *v.* 5. Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. *p.* 200. *t.* 2.
Pſal. 49. *v.* 3. Deus manifeſtè veniet. *p.* 439. *t.* 3.
Pſal. 49. *v.* 22 Nequando rapiat, & non ſit qui eripiat. *p.* 489. *t.* 3.
Pſal. 61. *v.* 13. Tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. 2. Machab. cap. 12. v. 46.
Pſal. 62. *v.* 10. Introibunt in inferiora terræ. *p.* 387. *t.* 3.
Pſal. 70 *v.* 9. Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. *p.* 499. *t.* 3.
Pſal. 72. *v.* 2. Mei pene moti ſunt pedes. *p.* 578. *t.* 2.
Pſal. 72. *v.* 25. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? *p.* 116. *t.* 3.
Pſal. 72. *v.* 28. Mihi adhærere Deo bonum eſt. *p.* 471. *t.* 2.
Pſal. 73. *v.* 23. Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper. *p.* 64. *t.* 3.
Pſal. 76. *v.* 4. Memor fui Dei, & delectatus ſum. *p.* 56. *t.* 3.
Pſal. 76. *v.* 11. Hæc mutatio dexteræ excelſi. *p.* 535. *t.* 2.
Pſal. 77. *v.* 34. Cùm occideret eos reuertebantur. Lib. 2. Machab. cap. 12. v. 43.
Pſal. 77 *v.* 39. Recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus vadens & non rediens. *p.* 460. *t.* 2.
Pſal. 83. *v.* 6. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum *p.* 461. *t.* 3.
Pſal 83 *v.* 12. Gratiam & gloriam dabit Dominus. *p.* 309. *t.* 3. & *p.* 421. *t.* 3.
Pſal. 84. *v.* 5. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. *p.* 480. *t.* 3.
Pſal. 85. *v.* 13. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. *p.* 347. *t.* 2.
Pſal. 95. *v.* 5. Omnes dij gentium dæmonia. *p.* 151. & 152. *t.* 3.
Pſal. 102. *v.* 3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus. *p.* 155. *t.* 3.
Pſal 102. *v.* 4. Qui redimit de interitu vitam tuam. *p.* 356. *t.* 3.
Pſal. 103 *v* 15. Panis cor hominis confirmet. *p.* 485. *t.* 3.
Pſal. 103. *v.* 24. Omnia in ſapientia feciſti. *p.* 149. *t.* 3.
Pſal. 103. *v.* 28. Aperiente te manum tuam &c. *p.* 5 9. *t.* 3.
Pſal. 105. *v.* 38. Effuderunt ſanguinem innocentem. *p.* 450. *t.* 3.
Pſal. 110. *v.* 10. Initium ſapientiæ timor Domini. *p.* 452. *t.* 1. *p.* 360. *t.* 3. & Malach. cap. 1. v. 6.
Pſal. 112. *v.* 4. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus. *p.* 444. *t.* 3.
Pſal 113. *v.* 3. Iordanis conuerſus eſt retrorſum. *p.* 251. *t.* 1.
Pſal. 113. *v.* 16. Terram autem dedit filijs hominum. *p.* 251. *t.* 1.
Pſal 117. *v.* 16. Dextera Domini fecit virtutem. *p.* 25 . *t.* 1.
Pſal. 118. *v* 100. Super ſenes intellexi. *p.* 459. *t.* 3.
Pſal. 132 *v.* 1. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. *p.* 107. *t.* 3.
Pſal 132. *v.* 2. Sicut vnguentum in capite &c. *p.* 327. *t.* 1.
Pſal 138. *v.* 1. Tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrec. *p.* 445. *t.* 3.
Pſal. 138. *v.* 6. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. *p.* 150. *t.* 3.

Digitized by Google

Pſal. 138. *v.* 14. Mirabilia opera tua &c. *p.* 150. *t.* 3.
Pſal. 138. *v.* 22. Perfecto odio oderam illos. *p.* 81. *t.* 3.
Pſal. 142. *v.* 6. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *p.* 503. *t.* 3.
Pſal. 144. *v.* 9. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. *p.* 440. *t.* 3.
Pſal. 147. *v.* 3. Qui poſuit fines tuos pacem. *p.* 425. *t.* 3.
Pſal. 147. *v.* 9. Non fecit taliter omni nationi. *p.* 374. & 329. *t.* 3.
Pſal. 149. *v.* 6. Gladij ancipites in manibus eorum. *p.* 133. *t.* 3.
Prouerb. 3. *v.* 12. Quem diligit Dominus corripit. *p.* 366. *t.* 3.
